z
lis

Rara 909

I

II

SVADA CIVILIS,

Oratoriæatq; Politiæ nostratis ingenio accommodata:

ut &

PHŒNIX RHETORUM,

in qvo

Fundamenta necessaria & species rarioris Eloqventiæ

ostenduntur:

Bipartitum opus adornatum

à

JOANNE KWIATKIEWICZ,
Societ. JESU.

VRATISLAVIÆ,
Apud Joh. Adamum Kästnerum.

2

Rara 909

C 6578

SVADA CIVILIS,

Hujus ævi genio

&

Noſtratis Politiæ

ingenio

per

P. Joannem Kwiatkiewicz,

è Societate Jesu,

ACCOMMODATA.

FACULTAS R. P. PROVINCIALIS.

ALEXANDER LORENCOWIC,

Provinciæ Polonæ Soc. JESU Præpositus Provincialis.

CUm librum, qvi inscribitur Svada Civilis à Joanne Kvviatkievvicz Societatis Nostræ Sacerdote, aliqvot ejusdem Societatis Patres recognoverint, & in lucem edi posse probaverint, potestate mihi factâ ab Adm. R. P. N. Joanne Oliva prædictæ Societatis Generali Præposito, facultatem concedo, ut typis mandetur, si iis, ad qvos pertinet, ita videbitur. Cujus rei gratia has literas manu mea firmatas sigilloq; munitas dedi Jaroslaviæ 13. Januarii Anno Domini 1672.

PRO-

PROLUSIO I.

In qva præmittitur Idea literarum cultè & è decoro ſcribendarum.

A Literis (nam & hæ civiliter dicendi Elementa ſunt) ordior. Nimirum ab imis celſior ſemper aſſurgit moles, & palmaribus pugnis etiam ludicro Marte verſisqve armis præluditur. Præeant minores hoſtiæ, anteqvam venias ad hecatomben; & herbeſcentis Sapientiæ ver qvoddam aureæ meſſi præcurrat. etiam herba hæc in florem fructumqve Iſocrati dulcem deſinet, aut in culmum protinus adoleſcet. Robuſtior & virilis facundia hac etiam ab infantia ſumat initium, priusqvam his non tam ætatum qvam artis gradibus maturesſcat. Thaumaturgus non ſum, qvi citra infantiæ rudimenta mentes ad grandiora proveham. Adhæc qvi ipſa dicendi primordia arduo complectar ambitu & tonantem ſtatim dem tibi Periclem ſine prævio leviorum nubium colliſu ac concurſu? Id verò demum eſſet ab aureis non jam Heſperidum, ſed Hortenſii Tulliiq; hor-

hortulis, Draconis Leonisvé pro foribus excubantis objectu obvios arcere; atqve à pulcherrima facultate primo spinarum inter has etiam Rosas intuitu aut velut objecta Gorgonis parma deterrere. Boni proinde consule, qvod hinc Ideam dicendi scribendiq; ordiar. desperet grandia, qvi etiam inter hæc leviora ingenii molimina non eminet. At tu hic esto inprimis Rubrius, aut Callipedes, anteqvam in rostris & scena graviore Roscius videâre. Assvesce primo absenti citra ruboris periculum (nam litera non erubescit) eloqvi, anteqvam coram plausuum certus majore pompa in Latio perores. In rudes ac illiteratos olim jactabat antiqvitas: Nec literas novit nec natare; & mihi rudis omnino, qvi, etsi cum Licinio literas ceu virus non oderit, literas tamen, qvibus absentes compellentur, scribere neutiqvam novit. Qvod probrum ut à te amoliare, hinc disce, qvomodo formanda sit

Litera sermonis fida ministra tui,

ut Epistolam Naso verior subinde qvam verecundior nuncupavit.

§. I.

Leges scribendarum literarum.

PRima lex esto; Non semper hic curandum, ut Scholastico more Exordium & Confirmatio Epistolæ inseratur, sed sufficit per certa aliqvot Puncta rerum scribendarū stylum ducere.

2. Per-

2. Personarum Adjuncta & qvalitas utrinqve bene pensanda, ne in aliqvo contra decorum peccet Epistola.

3 Stylus Epistolæ nec nimis floridus, nec nimis sit dejectus: Ad doctos & æqvales potest esse concisus & pressus: Item Adagio hinc inde inspersо, versibus Poëtarum integris vel truncatis, ac etiam obiter inspersa eruditione instructus. Ad Proceres vel Principes paulò gravior esse debet, ne illis punctis Periodorum se contemni putent. Deinde iræ stylus brevis.

4. Epistolis Patrio Idiomate conscriptis permiscentur interdum breves Sententiæ, item illæ dictiones Latinæ, qvæ non videntur posse tam decore vel commode, vel cum tanta vi ac energia Sermone Patrio efferri: Item qvæ aliqvam scriptioni gratiam concilient. Patrium Idioma non sit tam elaboratum, qvam reqvirat Oratio: Insuper non tam hîc amplificatione opus, maxime in gravibus literis, qvam rerum & verborum rationali pondere.

§. II.

Inscriptiones & divisio literarum.

Ad Summum Pontificem.

SAnctissimo Domino nostro Divina Providentia Papæ N. N. Romano Pontifici Domino, Domino & Patri Clementissimo. In literis: Sanctissime vel Beatissime Pater, Domine Do-

Domine Clementissime. Loco Pronominis, Tu, ponetur Sanctitas Vestra, vel Beatitudo Vestra.

Ad Romanum Imperatorem.

AUgustissimo & potentissimo Principi ac D. D. Leopoldo I. Electo Romanorum Imperatori semper Augusto, Regi Germaniæ, Ungariæ, Bohemiæ, Sclavoniæ, Archiduci Austriæ, &c. &c. Domino D. Clementissimo. Augustissime Imperator: Sacra Cæsarea Majestas.

Ad Regem Poloniæ.

SErenissimo ac Invictissimo (vel Potentissimo) Principi ac D. D. Michaëli I. Regi Poloniæ, M.D Lit. Russiæ, Prussiæ, Masoviæ, Livoniæ, Samogitiæ, Czerniechoviæ, Severiæ, Duci, D.D. Clementissimo.

Ad Regem Hispaniæ.

SErenissimo & Potentissimo Principi ac D. D. Philippo IV. Regi Catholico D. D. Clementissimo.

Ad Regem Galliæ.

SErenissimo ac Potentissimo Principi ac D. D. Ludovico XIV. Regi Christianissimo D. D. Clementissimo.

Ad Cardinalem.

EMinentissimo ac Reverendissimo D. D. Ernesto N. S. R. E. Cardinali Presbytero tituli Praxedis, Archiep. N. D. D. Clementissimo. In literis,

literis, Eminentissime, loco Pronominis Tu, Celsitudo vel Eminentia Vestra.

Ad Archiepiscopum Gnesnensem.

ILlustrissimo Principi & Reverendissimo D. D. Nicolao Prazmovvski, Archiepiscopo Gnesnensi, Legato nato Regni Poloniæ Primati Primoq; Principi D.D. Clementissimo. Aliis Episcopis Regni Poloniæ præfigitur titulus Illustrissimi ac Reverendissimi Domini: & Episcopo Cracoviensi inscribitur, Illustrissimo ac Reverendissimo D.D.N. Episcopo Cracoviensi, Duci Severiæ.

Ad Senatores Regni Poloniæ.

ILlustrissimo Domino &c. Principi seculari inscribitur: Illustrissimo ac Excellentiss. Principi ac D. Duci in Ostrog. D.D. Clementissimo.

Ad Suffraganeos & Abbates.

PErillustri ac Reverendissimo D. D. Abbati Sanctæ Crucis; Prælatis majoribus inscribitur: Perillustri & admodum Rever. Aliis ex Eqvestri ordine inscribitur pro ratione muneris, Perillustri vel Illustri ac Generoso Domino.

Literas in qvadruplici differentia

statuo. Aliæ sunt graves, qvæ continent negotium serium, aut alicujus momenti, concernens bonum commune vel privatum: Aliæ sunt Narratoriæ novorum. Aliæ officiosæ, imo etiam joculares aliqvando & ludicræ: Deniq; aliæ sunt Ænigmaticæ seu abstrusæ & occultæ, qvales mitterentur belli vel obsidii tempore.

§. III.

Modus & Idea literarum gravium.

Duplicem modum ſcribendarum hujusmodi literarum ſtatuo.

PRimus: Si ducatur initium Epiſtolæ à re ipſa & qvæ circa illam occurrunt vel occaſiones vel rationes exponantur, qvod potiſſimum ſit in Svaſoriis, Petitoriis, Expoſtulatoriis, Commendatitiis. non prohibeo tamen in hujusmodi literis initium à prævio aliunde acceſſu ducere, maxime cum res ardua vel difficilis urgenda ſeu roganda in literis, ne ipſa fronte & primo aſpectu feriatur aut percellatur is cui ſcribis, ſtatimqve animum abjicias legendi etiam ultra literas, ne dicam præſtandi qvod poſtulant. Afferam ad hunc modum conformatas aliqvot Epiſtolas.

Literæ Illuſtriſſimi Regni Primatis nomine omnium Procerum ad Imp. Romanum de ſuppetiis contra hoſtem.

Auguſtiſſime Imperator,
D. D. Clementiſſime.

VEnit ad CæſaremMajeſtatemVeſtram ſupplex Polonia; coacta ſuppetias qværere extra Regnum, cum in Regno ſolas propemodum

ruinas

ruinas non sine gemitu spectet & injecta hostili manu aris focisqve incendia lacrymis cogatur extingvere. Serpit in dies receptum semel Regni visceribus malum, nec tantum ignea Svecici belli moles imminet, verum & Moschus in ultimam Regni sese armat perniciem; ut mittam qvod & à meridie (ne qva Poloniæ sit pars, qvæ ab hostili metu vacet] Transylvaniæ Princeps arma jam nobis inferat & urbium propugnacula demoliatur. Non est, unde hisce malis præsentius qværatur remedium, nisi à Cæsareæ Majestatis suppetiis. Accisæ Regni vires, nisi ab augustæ Majestatis Vestræ manu, missisqve opportune auxiliis firmentur, non facile alibi munimentum reperient. Novimus, qvantum Austriacæ Domui Christiana res cordi sit, & qvantum arctioris affinitatis vinculo Poloniæ Regibus obstricta, flagitare proinde armorum subsidia apud Pium Principem & nostra in ruentem Patriam jubet pietas, & sperare Cæsareæ Majestatis in affine sibi Regnum propensio. Neqve id meum unius votum est, sed omnium Regni Procerum, qvibus & Patriæ salus in votis & innata Austriacæ Majestati pietas non ignota. Qvorum vota, uti & meæ supplices literæ, si ex voto apud Cæsaream Majestatem cesserint, æternum nos sibi tanto beneficio obæratos habebit, cum humillimis semper obseqviis & (si ita communis Mars ferat) cum promptissimis semper auxiliis affuturos.

Literæ Illustriss. D. Zamovski olim Cancellarii M. ad Clementem VIII. Romanum Pontif. Tantum earum initium do, ut vel hinc videas qvales literis sensus inseri possint.

Beatissime Pater, D.D. Clementissime.

CLementis nomen Sanctitas Vestra sumpsit, re ipsa ac nomine est. Audiat igitur Clementer & benignè gemitus nobilitatis Sarmaticæ, qvæ universa Sanctitatem Vestram ut Patrem beneficum & pacificum veneratur &c.

Literæ dissvadentes indocto statum spiritualem.

QVòd ad Clerum & sacram militiam aspires, qvis non approbet? is tantum, qvi sacra reprobat: at ego Orthodoxus sum, & fidei amicus usqve ad aras. Sed heus, tuné ad aras? Vide an non ad focos Patriæ tuendos potius: vel certè utinam ad aras tantùm! sed qvidsi ad animarum etiam regimen?

Et tu metire, qvod audes,
tecumq; maturius expende
qvid valeant humeri, qvid ferrè recusent.
Eqvidem si consilium seriò exqviris,
non viribus istis
Munera conveniunt;
adeoqve & tibi dicere licet:
Alta petis Phaëthon, non est mortale qvod optas.

For-

Formidandum id etiam cœlitibus, qvod tentas aggredi. Velim non lucra hic tantum cogites, sed & dispendia: imò si lucra tantummodo spectes, qvæ coacerves, qvæstus hic est, non religio. Malè (etsi sæpe) curritur ad aras, auro stimulum admovente. Odit ara Numinis Seraphinos, solius avaritiæ pennis instructos: nec alio igne æstuantes, nisi qvem opum cupiditas, & auri sacra fames accendit. Curare animos beneficia (ut vocant) curata jubent, non marsupia aut horrea. Suffecerit tibi Tuum Patrimonium. Ego beneficio beatus esse nolim, qvo tanti emam plurium meiqve interitum. At nec subsidia Tibi præsto, qvibus animos juves; proinde certum hinc eorum exitium, & Tibi gravior ira Numinis. Non sic instructus es, ut alios jam sacris instruas; sed munus id non rudes exigit. Malè illi navi, qvam rudis gubernator, malè exercitui, qvem Dux rei bellicæ ignarus regit. Ergo si sapis, non prius ad id muneris aspira, qvam opportunis ad id præsidiis instruare.

Respondetur ad superiores literas.

ETiamné in Scholis novi extra Romam Consules? primum te veneror, cui satis consilii semper in promptu, etiam ubi consilio res non eget. mihi certè serò consulis: pridem deliberavi, nec consilium exqviro. Tua te sollicitent, non mea. Formidandum si id Cœlitibus, nec Tibi aggrediendum fuerat. Scilicet Tu cel-

sius qvid nactus es præ Cœlitibus, qvi idem non reformidasti. Lucris non inhio, nisi animarum; at nec Tu ipse auri amorem posuisti. Si dispendia times animarum, etiam in Te time. Doctrina mihi non supra cæteros, sed non infra Te. Oppositum nec ipse Tibi de me fassus sum, & fama fallit: Certior de Tua serpit ruditate, qvam tamen aris & animarum regimini admovisti. Ergo Tibi potiùs Tuæqve Domui ac Famæ consule, nec monita ingere, ubi minime postularis.

Literæ qvibus svadetur Polono adolescenti studium Rhetoricæ præ Philosophico.

CAlissium te confers? seqvor te literis & affectu. Qvid vero Tu Calissii, hoc est in majoris Poloniæ Attica, Musarum Emporio? Si Aristoteles sapit, nondum sapis. Malim te Musis & Tullio adjungas, & florem hunc ætatis, Puteani fontibus adhuc irriges, vel Hortensio committas. Polonæ Aqvilæ pullus es, qvid in Academi umbras avoles? Sol & apricum Aqvilam decet. Qvodsi nata hæc ales ad fulmina; apud Tullium disce fulminare cum Pericle. Qvid tibi cum Stoicis? qvid cum lyceo? Jovem lapidem nisi Te sola usibus Patriæ civem idoneum formet Eloqventia. Non illi alia facultas in usu & amoribus: plane hic Eloqventiæ regnum est, hic illa triumphat. Obeunda ad Orbis Principes legatio? disertum hæc sparta postulat:

nec

nec alio magis instructum jubet, qvam facundiæ adminiculis ipsum Legati nomen. Nam etiam hic Orator Principis est ac Reipublicæ. Ossolinio nomen Romæ peperit non tam splendidior legationis cultus, qvam Oratio. Item peroras in curia? nullus es sine Svadæ suppetiis. In foro causas agis? Judiciale genus inibi regnat. Nec ad Comitia potior comes alius, qvam eloqventia; seu animi sensum per Suffragia depromas Orator; seu ad Principes perores, Tullius necesse est sis magis qvam Aristoteles. At nec ulla alia vitæ ratio sine hac arte proficit. Et Sacra rostra Oratorem ambiunt: ibi vel maxime flexanimo dicendi generi locus. Chrysologos & Chrysostomos si recipit, format hos Tullii palæstra. Qvid? qvod neq; Mars Artem hanc excludat? Bene convenit hastatæ Palladi cum Bellona, Apollini cum pharetris; nec male arma togæ, laurea lingvæ sociatur. In Duce Onesandri & res ipsa exigit eloqventiam, qva militum animos accendat. Vide qvantum in una facultate, Patriæ Orbiqve præsidii? qvot eligis damna, si hanc deseris? Si tamen & Aristoteles placet, saltem prius te instruat optime noster Tullius, tum demum orationem excolat ratio, & mansvetiorem severior literatura excipiat.

Secundus Modus.

Scribendi graves literas.

HIc est usitatissimus doctis æqve ac rudibus; si nimirum Epistola reducatur ad certa ali-

qvot

qvot Puncta, etiam secum non connexa, qvæ, qvo velis ordine communices ei, cui scribis. Cum enim Epistola subeat sermonis vicem cum absente, sicut cum præsente amico de multis, etiam disparatis, ultro citroq; conferimus, sic idem in literis præstare possumus. Unde licebit iisdem literis & postulare aliqvid, & aliqvid commendare, & nuntiare, & conqveri, prout res tuæ exigunt. Qvi modus etiam servabitur in respondendo ad puncta Epistolæ.

Literæ cujusdam juxta hunc modum scriptæ.

NUper studiis initium dedit Tuus Cliens, sed utinam & profectui! proficit, sed in deterius: etiam in ipso limine offendit, & in hoc Latio græcatur. Eum Tu pro ea, qva polles in eum auctoritate, per literas coërce & principiis obsta. Ejus fratrem lectus morbo affixit. vereor, ne morbi vis invalescat, ni malo per remedia non lenta occurratur. Mitte obsecro illum qvem domi præsto habes Æsculapium, qvo nemo ibi eget. Commendatum etiam Tibi velim latorem harum: Sed vide, ne sciat se literas Uriæ, aut Bellerophontis tulisse. id enim mihi foret odiosum. Is in causa est, qvod major frater sic insaniat. Lator hic ut palæstræ, sic & scelerum ejus est socius, ne dicam author. Ergo illi bona verba, imò mala. credo, vel hoc ipsius pervicaciam franget, si Parenti ejus te id scripturum miniteris. Idem Clientes rogant, si

fieri

fieri possit, ut alio commigrent: & expedit. Nam hic locus non satis studiis opportunus, & illecebram helluandi offert proxima in vicino popina. De coronatione Reginæ hîc Fama incerta & sæpe contraria. &c.

Respondetur ad Superiores.

GRaviter me habet mei Clientis insania in loco Sapientiæ. increpo illam in datis ad eundem. Sapiet credo & resipiscet. Æsculapium qvem postulas, mitto, sed qvàm primùm morbum à Cliente depulerit, nullas eum inibi moras trahere velim. nam etiam hic eodem Deo egemus. Latorem harum benignè primo, post duriùs accepi. culpam deprecatur & ejurat in posterum, silentium apud Parentem sic à me pactus. Inhibui meo Clienti ejus consortia, & vide ne illa postineat, nec vetus inter eos amicitia coalescat. De hospitio nihil in præsens. Nam forte Varsaviam Clientes transferam ad novum Apollinem & Tullium. certè ut ubiq; principia fervent, sic ibi sperare licet.

§. IV.

Modus ac Idea scribendi literas Officiosas.

OFficiosas appello, qvæ ad politiem labentis seculi conformatæ grave seriumqve negotium non continent, sed qvandam urbanitatem & solennia humanitatis ac observantiæ, vel comitatis ac civilitatis morum indicia præ se ferunt; ut est, Gratulatio, amica Expostulatio, In-

Invitatio hospitalis, nec non sales festivi, jociq; urbani nec frigidi, & qvædam festivioris ingenii ostentatio, imò & qvædam verborum aucupia in assentationis speciem subinde composita. Modus earum scribendarum cum duobus prædictis modis coincidit: nam vel per puncta aliqvot trahuntur, vel una res exspensis ad eam Adjunctis pertractatur. Jam exempla earundem accipe.

Literæ Officiosæ ad reducem è Galliis.

Reducem Te accipio perlibenter: pridem id nuntii exoptabam; nec aliter qvàm auroram post diuturna noctis silentia, Phœbum post nubila. Te verò an Sol Patrius magis, an Gallicus recreat, cui triennio insvevisti? Sed credo, qvod tu Ulysse non deterior,

qvi mores hominum tot vidit & urbes,

tamen illi natale solum dulcius. Imò nec Gallia tantum in se, qvantum in liliis floret, qvibus insignitur. Vidisse illam sufficit. nam ut

minuunt præsentia famam;

ita sæpe desiderium extingvunt. Sed ego Galliæ laudes non detero, nec Istulam Scaldi aut Sequanæ præfero; te potiùs domi meæ hospitem opperior. advola qvantocyus; etiam hîc Gallias reperies, ubiqve hic Lutetia. nihil tamen apud me par illis Gallicis Tempe somnia, nec hortos arte pretioqve excultos, sed qvales Flora hæc & aura patitur, & Sol obliqvior parturit. Certe

ubi

ubi veneris, non qvidem Gallica urbanitate, serio tamen me hospitalem experiêre. Nec vale Tibi dico, cui qvam primum volo dicere Salve.

Literæ Insultatoriæ cuidam discolo Rhetori.

Audio Te inter nepotes Tullii adoptatum; & vere, ut inaudio, Nepos es, Tulliano more id accipe. Novus Tu mihi plane Rhetor! Dissolutio, qvam in mores etiam admittis, Tibi in usu vel maxime. Nec Licentiæ Figura Tibi ignotior, cui qvidqvid libet, semper licet: sic nempe vivere didicisti Licentia magistra! Adjunctio Tibi alia non gratior, qvam Tui similibus. Allegoriam non nosti, nisi in qvantum inversio, imo perversio morum est. Status hic ne qvære, ubi nulla morum gravitas, sola levitas animum occupavit. Protheo Tu inconstantior, Trocho versatilior es: omnibus Majorum imperiis contrarius, ita hic etiam amas antitheta! Translatio in Campos, Digressio tibi non infreqvens, sed ad popinam. Videris nove inter Rhetores Annibal, ne Tibi hæc, in qvam sæpius digrederis, Campania fatalis fiat. aut ne novum ibi Parentheseos genus ediscas dignum tali Rhetore, qvæ non melius Orationem Tibi, qvam faciem distingvat. Exclamationibus verò ô qvantum indulges, qvibus noctu lymphaticus forum imples. Qvanqvam vix Tu melius qvam inter pocula exclamas, ibi latera firma, ibi canoram vocem inesse Tibi probas: tunc vel maxime tonare

nare cum Pericle, fulminare cum Demosthene & omnia miscere solitus. Mentiar nisi Eloqventia, id est, Ars bene dicendi in Artem bene bibendi Te auctore degeneravit. Profecisse qvoties Te asseris mentiens imò superementiens Hyperbole est. Nec Historicus melior es; nisi fortè unus ex illis qvi

Hausto non humiles Historici mero.

At nec Poëtam te credis nisi vitæ simul & carmini Bacchios inseras pedes solis tantummodo aptes choreis. Lyrica te maxime Poesis delectat & melica, ibi, ibi Te entheus imò furor Poëticus invadit. In Græcis es versatior, cui scilicet græcari & Græcorum more bibere est solenne. Moneo, si profectum, negligis, Tuæ saltem famæ prospectum consultumqve esse velis; vel ut Cato monuit, Famam servare memento.

§. V.

Modus & Idea literarum Nuntiatoriarum.

DE his nota Imò. Exactè locum & Personas, à qvibus gestum aliqvid refers, aliasqve circumstantias narrandas esse. 2. Narrationum etiam Epistolicarum tres esse proprietates: Brevitatem, Veritatem, Claritatem, inter qvas media præcellit. 3. Possunt hîc subinde, si res patiatur, aliqvæ eventuum interpretationes non injucundæ & sales aliqvando festivi permisceri. 4. Expedit ut author horum, qvæ nuntias, referatur, nisi ipse oculatus vel auritus testis esses.

Item

Item incerta à certis distingve fama communi, vel qvorundam relatione. 5. Causæ eventuum & qvædam facti suspiciones non sunt alienæ ab hoc scribendi genere, ut etiam facit Tacitus in sua Historia. Nota deniqve etiam hîc alias partes Epistolæ non esse, nisi certa puncta rerum significandarum; unde etiam à novis ordiri potes, & ita usus fert ac consvetudo. Juverit tamen res festivas festive, graves graviter, tragicas tragico qvodammodo referre. Exemplo doctrinam traditam illustro.

Literæ Narratoriæ novorum.

DE nostro reditu spem resume, qvam posueras: in mora interim est Comitiorum eventus, à qvo res nostræ ac iter pendet. De abdicatione Regis fama hîc variat: deposita jam esse Regni insignia à Rege solenni ritu pompaqve illustri in æde Sancti Joannis. Sed facti suspicionem spes tantum, credo, injecerat. Ergo Varsaviam excurreram: sed ibi lenta omnia, tamen in proposito abdicandi Imperii persistere Principem in comperto est. Brevi Polonia nostra dabit Orbi alterum Carolum V. & nos parietinæ nostræ tenent, cum Princeps ultro solium linqvit, & Augustal. Nam ab Ordinibus supplicatum, ne Regnum linqveret, inaudito post Carolum exemplo; sed ille æternas, ut ajunt, rationes opposuit, Cœli, animiqve amorem hîc causatus. Competitores Regni sperantur complures, imò & animis (qvod sermo evulgat)

gat) designantur. Moschus Procerum Suffragia etiam auro sollicitare refertur: ac si etiam hoc venale foret regnum, qvod olim de Rom sparserat Jugurtha; certè in eum maxima par inclinat. Neoburgico Principi pars adhæret sed plurium vota obsistunt, majorem Mosch potentiam exhausto Regni ærario magis conducibilem rata. Est qvi Brandeburgico solium ominetur; sed nescio an eum Lutherus id conscendere permittet. Florentinum & Lotharingiæ Principem alii dilaudant. Fama hic de Principe utroqve non surda: si res constare, forte non pauci suffragarentur. Hæc nostrat. Ex imperio affertur, Turcam iterum nova moliri; proinde miles in imperio conscribitur: armis ibi omnia strepunt & tumultu. Sed Imperium immerito timet. accisas ille sibi nuperè Perfide vires non distrahet. aliqvot illi propugnacula ademit, cæsis insuper Turcarum millibus qvinqvaginta. Ingemuit ad cladem barbarum Imperator, & ipse iterum in Persas movet, utinam pari Fortuna! Romæ Divorum fastis solemnibus in Vaticano Ceremoniis inscribendus decernitur S. Franciscus Borgia; apparatum dat Hispania suo Principi olim & Contribuli. Addo aliqvid festinius. noster ille studiorum socius, qvi ad Clerum nuper aspiraverat, hodie nuptias celebrat: è familia N consortem adlegit; hæc illi scilicet loco Ecclesiæ Sponsa. Par Consilium iniit ejus Patruelis; vix castris à longe salutatis. revocatus iterum à Duce illud

oppo-

posuit: Uxorem duxi. Sed satis interim no-
rum. Si qvæ mihi effluxerunt, ex me coram
uries.

§. VI.

De Literis Ænigmaticis.

Æpe contingit ut res scripto aut per tabella-
rium significanda sit ea, qvæ secreto egeat, &
riculum sit, ne in hostium manus aut aliorum
titiam facilè deveniat scripto commissa. Pro-
de duplex via periculum hoc præcludet. vel
im Ænigmatica scribendi ratio, vel alia occul-
or usurpabitur.

I.

Ratio scribendi Ænigmaticas literas.

ENigmaticæ literæ eandem ferè obscurita-
tem exigunt, qvam Ænigma seu Allego-
subobscurior. Huc ergo spectant aliqva ab-
rusiora Adagia, & magis recondita Eruditio.
em loco appellativorum propria permiscentur,
ea omnia qvæ cuivis legenti obscuritatem
riunt, & arcanis in Epistola contentis
oddam veluti siparium obtendant, facta ante
nventione cum eo cui scribis. Juvat etiam
c nosse illa, qvæ de Ænigmate traduntur, ni-
irum aliud Ænigma esse in rebus, cum rei æ-
gmaticè describendæ natura & proprietates
vibusdam Allegoriæ involucris obteguntur:
t illud

Deme

Deme caput, finde, & perfunde liqvoribus ora,
Coge loqui truncus plurima dicet apex:

qvod intellige de calamo: Ænigma in verbis & Gryphus vel Logogryphus dicitur, cum dictionis alicujus literæ vel syllabæ eam componentes vel ejus etymon obscurè describitur, ut illud est de corde:

Da mediam, plenamqve Hecaten, rabiemqve caninam,
A te nil ultra postulat ipse DEUS.

Etiam Barbaris hic modus placuit. Hinc Scythorum Rex Idantura usus Hieroglyphicis loco literarum, extrema interminans Dario, qvi Istrum trajecerat: murem ei, ranam, avem, jaculum, & aratrum dono misit. Id unus è tribunis Darii benignè interpretatus, ac si Scythæ Dario deferrent imperium, mure habitationem, aqvam rana, aut aërem, jaculo arma, aratro campos & omnem Regionem polliciti. Alius è Tribunis conjicere se dixit, Scythas ominari futurum, ut nisi Persæ cum Dario velut mures terram, velut ranæ aqvam subirent, vel avolarent in aërem ut aves, nusqvam evitarent Scythorum jacula, sed iis conficerentur, aut superstites ceu servi agerentur ad stivam.

Simile de Boleslao Crivousto Rege Poloniæ Cromerus. Is uni è Proceribus è bello transfugis aliisqve fugæ exemplum perniciosè danti, pellem lepusculi, colum & fusum, loco muneris literarum submisit, invasitqve hominem con-

fus

sio tam vehemens ut suspendio remedium æsierit.

Plura ejusmodi Symbola congerit Sylvester trasancta. Affero & Exemplum scriptæ æ-gmaticè Epistolæ ad doctiorem, qvæ hoc vo-at exprimere. Princeps noster cædibus in s cives grassatur: etiam Te cædi destinat, & te hac mittet satellites, qvi te comprehen-t. Hoc ex ejus conjuge casu inaudii. Jam nes amicos sustulit, qvos putavit consiliorum rum conscios. Tu unus superes, ergo fugâ eripe: thesauros qvibus ille ut & vitæ tuæ in-, partim occulta, partim tecum aufer bono ulitio stipatus, ad proximam exterorum o-n. Nam in Patria nullus tibi locus satis est us. Mane ibi dum te revocem.

Sic ergo hæc Ænigmaticè exprimentur.

Tarqvinium vixisse putas? vivit adhuc & Ga-nostris summa papaverum colla non jam Filium, sed per seipsum dejicit. Nosti n tibi coram dixerim Tarqvinium: extra nam illum cogita. sed jam & Tu unus de Ga-es; mentiar nisi dies hæc ad nocturnum cre-ulum deducta fidem faciat. Fatale Tibi andum somnium, si hic somnias. Est, qvi os qviescenti claudat Morpheus. Nullus Clytus huic Alexandro superest. Tu nisi tus esse velis, Parthus esto, id est, Parthi vel ri more decerta. Etsi autem non Indiam

petes, tamen non ſine Tuo Gange effluè; qvod te cum derivabis aqvæ ductum, ejus caput ſe fons per ſubterraneos meatus fluat, Nam his e iam aqvis noſter hic inhiat Tantalus. Nec com tes, qvi latus claudant, excludendi. Utopiam T bi ſvaſerim; ibi extra ſalebram & ſcopulum eri hîc certum naufragium. Inter Utopios aute tamdiu civem agere præſtat, qvam diu Te int Patritios fors alia per me non revocet.

II.

Ratio mittendi literas occultè.

VEteres hîc nobis jam præivére, qvibus av tabellariæ & per Cœlum euntes nuntii i uſu fuêre. Sic obſidentibus Ptolemaidem Ch ſtianis Saladinus Epiſtola columbæ alligata ho tabatur obſeſſos ad conſtantiam & ut ſuppeti expectarent. ſed avem intercepere Chriſtiani, mox dimisêre cum aliis literis contrario argu mento ſcriptis; qvare obſeſſi deſperatis auxili deditionem fecêre.

Sic Marrhes Ægyptius Rex cicurata corni tanqvam fideli tabellaria diu uſus: mortua tandem tumuli honore dignatus honorificè pelivit.

Alii hirundine uſi, maximè cum literæ de nandæ eſſent ad eum locum, ubi hæc ſibi

luteum ſub trabe fixit opus.

Qvæſiti ſunt & alii volantes per cœlum nun hæ nimirum erunt vibratæ in obſeſſam Civi

te

n sagittæ, qvibus inscriptum, qvid spei superet.

Qvo pacto Cleomenes Lacedæmonum Rex litibus mandavit, ut ad obsessos socios tela ajicerent cum hac epigraphe: Venio, ut Urbem afferam in libertatem. Vel certè iisdem sagittis alligabatur Epistola. Sic Cæsar fecit spem libertatis Ciceroni à Gallis obsesso: nam intempesta nocte jussit militem ad mænia propius sugessum emittere jaculum cum hac Epistola: Cæsar Ciceroni fiduciam optat: exspecta auxilium. & reipsa postea attulit.

Possunt & missiles tormentorum globi secti in duas partes ut Epistolam includant, & claustro mox deinde constricti ad destinatum locum rejici.

Præterea canem fuisse, ait Lipsius, qvi Heri literas, cursum Bruxellas perferebat, referebatqve responsa eodem die. Omitto res occulte significari posse per faces accensas, ex Petrarcha. Sint enim literæ sic dispositæ:

A	e	i	o	s
b	f	l	p	t
c	g	m	q	u
d	h	n	r	x

a fax erecta significabit a, depressa significabit o, vibrata dextrorsum c significet, inclinata sinistrorsum significabit d; similiter binæ faces erectæ significabunt e, depressæ f, inclinatæ ad dexteram g, ad sinistram h significabunt: Similiter tres faces erectæ significabunt i, depres-

ſæ l, ad dexteram actæ m, ad ſiniſtram n. Si
liter qvatuor faces erectæ ſignificant o, dep
ſæ p, ad dextram q, ad ſiniſtram r. Deniqve
qve faces ſimul erectæ ſignificabunt s, dep
ſæ t, ad dextram u, x ad ſiniſtram. Hinc
cem hanc *Venite* expriment 5 faces in d
tram motæ, duæ ſublatæ, tres in levam in
natæ, tres elatæ, 5 depreſſæ, duæ iterum ſu
tæ.

Cæſar ſi ſcribere occulte abſenti volu
eam iniit teſſeram, ut ſedem primæ literæ
phabeti qvarta litera occuparet, & ſic deinc
fieret mutatio. At verò Auguſtus literam ſec
dam pro prima uſurpabat ut Cæſar qvart
Jucundum illud, qvòd ut qvidam occultè
primeret nomen hoc, Lucretia, depinxerit
cum & retia cum gerulo qvi humeris janu
qvæ inſubricè US dicitur, exportaret.

Huc ſpectant alii modi, qvi fidem ſecreti
ſtodiunt.

Primus eſt ex Ovidio:

Tuta qvoq; eſt, fallitq; oculos è lacte rec
Litera, carbonis polline tinge, leges.

2. Modus ex Plinio. Tithymali (qvæ dic
caprina lactuca) herbæ lacte inſcripta pag
cum inaruerit, ſi cinis inſpergatur, literæ a
rebunt: proinde qvidam tali modo abſente
loqvi maluerunt qvàm codicillis.

3. Modus. Si idem facias lacte ficulneæ,
inſcriptis humeris olim mittebantur ſervi ad
ſentes amicos.

4. M

. Modus. Si alumine aqvâ resoluto chartam
ribas: hæc enim postqvam inaruerit, nullæ
e apparent, sed mox fiunt conspicuæ, ubi in-
qvam charta illa immaduerit.

. Modus. Si pomi Cytrii vel ceparum aut al-
cco scripseris: Si enim ibi scriptæ literæ ab
incaluerint, eas legere poteris.

. Modus. Si papyrus adipe vel aceto vel gum-
xaretur: nam literas exhibebit aspersa vel
stæ paleæ vel carbonis polline. Idem eve-
in scyphis vitreis vel crystallinis, si inscri-
ur gummi Arabico in aqva resoluto.

. Modus. Si hirci adipe lapidem inscribas, &
cetum aliqvamdiu immergas, characteres
a occultos adeò exhibebit manifestos, ut
are & qvasi sculpti videantur.

eniqve si sale Ammoniaco aqvæ permixto
ucco uvæ acerbæ scribas, ad ignem nigros
acteres scripta papyrus repræsentabit.

rofunda & Histiei fuit latebra, qva Arista-
æ in Asia degenti qvædam arcana nunciavit
erside. Vernæ diu ab oculis ægro specie me-
di capillos derasit, & cutem iis inscripsit, qvæ
o voluit manifesta; deinde domi eum de-
it, donec capilli succrescerent. ibi Arista-
æ in Asia significavit Verna Heri sui deside-
esse, ut ipse etiam venienti capillum dese-
t. Is morem gessit legitq; in illius Vernæ ca-
absconditos miro artificio characteres.

Hactenus de literis.

PROLUSIO II.

De Eruditione ac Acumine usitato Svadæ Civili.

QVoad primum. Usus Eruditionis potest esse brevior vel longior. Brevior usus Eruditionis potest fieri multis modis qvos alibi dat hic in breve compendium redigo.

Primò Eruditione uti possumus per breve Comparationem: Sic de Belgio Famianus xit: Tot decenniis hæc Troja petitur nec opp mitur. Item de indole cujusdam inter æqva eminente: Cyrum diceres inter pastores.

Secundò Eruditione utimur per Antonom siam. Sic loco illius, sub præceptore discipul erudite dictum: Sub Chirone altero Christ nus Achilles, nescias an plura didicerit, an d cuerit. Huc spectat illud è Martiale: Cu mors venerit, in medio Tibure Sardinia est; Tibur pro loco salubri, Sardinia pro pestile ponitur.

Tertiò Eruditione utimur per qvandam p lationem, v.g. Meliùs nos Divorum Tutelari Sacra tuentur pignora, qvam Trojam Palladiu vel Romam lapsa de Cœlo Ancilia.

Qvartò Eruditione utimur per modum c sæ. Sic de Galba Imperatore: Imperium tri Libertis regendum dedit; ne pauciores Roma qvam Avernum Furiæ affligerent.

Qvintò Eruditio potest trahi in Sensum Se te

tiæ. v. g. Sine Cerere & Baccho frigèt Venus, d dictum est Terentii.

Sextò Utimur Eruditione per Oppositionem .Plures alicubi Ægystos invenias, qvàm Hyitos.

Septimò Utimur Eruditione per Oratoriam ejectionem v. g. Fuerit gloriosum Tiberio conare injurias, Tu eas muneribus rependis.

Octavo Possunt Eruditiones trahi in acumen. le illud est:

Alter Aristoteles nostro jactaris in ævo,
Illius Euripos, Eunomiane, cave.

Nono Possunt plures Eruditiones breviter in um coacervari v. g. Rarus est qvi injurias riat ut Tiberius, ut Titus aspernetur, ut Theosius condonet, ut Augustus etiam remunere-r.

Usus Eruditionis longior.

Et imprimis per Protasim & Apodosim: Deinde, dum aliqva Historia sola seorsim vel istoricè vel Oratorie affertur. Eruditio per rotasim & Apodosim multipliciter fieri potest. *Primò* Historiam per Comparationem vel ejectionem latius efferendo. Deinde materiam propositam ad Historiæ prædictæ puncta commodando. v. g. Alterum te Orbis suspit Alexandrum; ne Macedonia suo deinceps isolentissime intumescat, cùm & Poloniam on impar exornet Heroum Principumqve ecunditas. Macedonem illum qvanta gloiæ sitis, qvanta provehendi nominis ac Victoria-

riarum incesserit cupiditas. Is non novit, qv
nec Alexandri nomen noverit. Parum illi fue
rat Macedoniam à Philippo & Græciam rec
pisse, parum totam Persidem, imò totum Orien
tem domuisse, etiam qvos Democritus somni
bat, infinitos illi Mundos subigere promptu
fuit. Tanta est vel generosæ indolis vel arro
gantiæ vis, si qvando alicujus animum pulsavi
Sed taceat Alexandrum Curtius, taceat Mac
donia; major Tu mihi etiam Alexandro, qv
non tantum tot hostiles cuneos profligaveri
qvod & Alexander fecisse memoratur; sed in
super Teipsum noris vincere, qvod nesciit Ale
xander.

2. Historia obiter tantum attingi potest ap
plicatione addita longiori. v. g. Major Tu mih
& longè admirabilior, qvàm decantata illa se
ptem orbis miracula. Nam sive cæcas morta
lium mentes in bonæ frugis tramitem reducer
sit necesse, pharus es regendis cymbæ cursibu
accensa; sive Patria munimento egeat, firmiu
illi præ muris Babylonicis exhibes; sive magni
tudine facinorum erigenda Patriæ sit gloria, su
Colossum hic Rhodium deficit magnitudo.

3. Potest priùs poni applicatio Historiæ poste
riùs ponendæ. v. g. Pridem Tuæ propaginis a
bor Patriæ succrescit in palmas, flectitur in ar
cus, assurgit in trophæa, nec nisi in Poloniæ de
cus crescit, id qvod olim de sylva Dodonæa cre
ditum, ex qva nonnisi Principum ac Deorum in
signia, Ducum clavæ, Victorum trophæa conde
bantur.

4. Exag

4. Exaggeratur imprimis veritas vel falsitas
storiæ, aut aliqvid ex illa erutum aut ad ean-
n pertinens: tum ipsa proferturHistoria cum
enuatione vel exaggeratione, prout res exi-
; ad extremum sit Apodosis.

5. Potest fieri accessus ad Historiam vel Apo-
um desumptus à documento vel sententia
llis contenta. Ostendo Id in fabula de Cico-
cum gruibus segetem depascentibus inven-
proinde velut rea cum gruibus ab agricolis
tivata. Sic enim fieret accessus ad Fabulam.
ra intercedit cum scelere affinitas; qvæ non
iter in nervum abeat. nempe ipsa etiam in-
centia crimen est, qvando nocentibus stipula-
. Hinc & pœna non rarò exposcitur ab
onte, qvoties illi si non improbitas, saltem
proborum consortia placuêre. Age, qvis-
s improbis adhæsisti, periculi te admone-
t vel avium infortunia, & hic, qvem affero de
conia Apologus, qvi paulo ante insinuatam
itatem velut putamine nucleum tegit. Ale-
t famelicam volucrem ab agricola nuper com-
ssa terræ semina &c. &c.

6. Comparatio longior per partes Historiæ
accommodanda ad propositum, ita unicuiq;
ti sua statim Apodosis subnectatur longior
brevior; item secundæ parti altera, & sic
nceps.

Qvoad usum Sententiarum.

HIc Optimè *fiet primò*, si Sententia non pro-

 fera-

feratur tanqvam Sententia, sed tanqvam al
qvid ad sensum currentis Periodi attinens: S
Curtius dixit: Major fuisset, si vicisset superb
am & iram invicta mala Alexander. In eode
in aciem prodeunte patuit, qvantum in acie p
tuit Galeata majestas.

Fiet secundo: Si Sententia in locum cau
substituatur. Sic de Premislao secundo Auth
Lechiadis ait: Æternitatem temporum meritu
non integram mensium hebdomadem vixit: R
ro enim summa bona & diuturna contingun
Primus illi labor fuerat parem magnæ Fortun
invidiam eludere: ubiq; enim magnæ Fortun
appendix est invidia; nec ulla tam modesta sor
extitit, qvæ malignitatis dentes vitare possit.

Fiet tertiò: Si Sententia ita referatur, ut p
aliam refutetur v.g. Sentiat qvi velit iram cote
esse virtutis; mihi tacente etiam Claudiano Di
proximus ille est, qvem ratio, non ira movet
Posset & sic dici: Aliud jam pace tua, Roman
Orator, sentire cogimur.

Qvartò Elegans est usus Sententiæ, si per sen
sus Synonymos exornetur. Sic illa sententia: A
nimi pusilli est vindictam velle sumere, sic i
qvam pluribus Sententiis Synonymis effertur
injuriam Tibi qvis intulit? feras; neq; plus per
vicacia qvam Virtus possit. Experimentum i
te capiat aliena neqvitia, num illa plus ferire v
leat, qvam tu ferre. Fortem te cave dixeris, si læ
sus à vindicta qværis suppetias: nec satis tibi
nimum

imum Virtus obarmat, at prostratæ Virtutis
t, cui sub qvovis ictu succumbit animus. Atlas
on es, si sub Cœlo hoc qvantumvis gravi leni-
r ingemiscis. Langvet nimirum Virtus, ubi a-
imum qvævis frangit procella: uti nec satis
ompacta navis, si eam in hos illisam scopulos
uctus hauriant, & Virtutis naufragium indu-
ant. Certe convitiis non regerere convitia, pro-
a non diluere probris, id demum Heroicæ Vir-
atis est. Nec prodigio vacat, si nubes hæ fulmi-
a non pariant aut emittant.

Ultimò: Potest Sententiæ acclamari per Epi-
honema v.g. Discant jam barbaræ Orientis le-
iones Virtute rem geri decerniqve, non nume-
Et: Ortho Sylvius sibi etiam crudelis mor-
em consivit; adeò malis si desit carnifex, sibi
on desunt.

Qvoad Acumen.

HUjus primum fontem esse alibi dixi contra-
riorum ac dissimilium svavem pugnam.
Qvalis est in illo exemplo:

Nondum puer, jam miles, priùs gladium vi-
it, qvam solem; nisi, qvod præposteram æta-
em vixerit; Nam ut Mavors natus, ut Bacchus
ixit, fortior infans qvam adultus.

2. Fons acuminis sunt causæ inexpectatæ &
præter spem, ac ingeniosæ v.g. Nero Patriam in-
endit ut extingveret.

3. Fons est Traductio, Annominatio, No-
catio Nominis, Conjugata, & Æqvivocatio, ut

patet in his exemplis. Ætatem vitiis antevertérant tunc homines, nondum adulti, jam adulteri. *Item:* Harâ tu dignior, qvam ara. *Item* Tantùm malum attulit prægustata Adæ malus. *Item:* Difficilius mentes qvàm montes subinde moventur.

4. Fons acuminis circumstantiæ, Nominis, Honoris, Temporis, loci, stemmatis, aliaq; Adjuncta. Hujusmodi acumina passim hîc occurrent. Sic cuidam Senatori acclamatum:

Grande Senatoris tibi nomen adhæsit; ô erg
A Senio nomen tale Senator habe.

Ab insigni appicto Divæ Claræ illud acumen deducitur apud Bidermanum.

Præsentem gestas ipso præ pectore solem,
Hinc bene te Claram dicere qvisq; potest.

Etiam Eruditio facile acumen offeret pluresqve alii fontes qvos alibi reseravi.

PROLUSIO III.

In qua breviter attinguntur varii modi scribendæ Orationis Svadæ Civili idonei.

PRimus *modus* est. Si Allegoria Propositio exornetur qvam per totum Orationis contextum continues. Qvod fit potissimum, cum dicendi materiam stemma offert, vel loci aut temporis circumstantiæ.

Modus 2dus. Per continuam Allusionem vel ad stem-

emma illius cui peroras, vel ad insigne qvod icui appingitur vel attribuitur. Porro ad emma fit ingeniosa Allusio multipliciter: vel im alluditur ad proprietates rei in stemmate pictæ; vel ad opposita proprietatibus stematis; vel ad Campum & colorem stemmatis, ta Rubeum vel Candidum; vel per Allegorias æ possunt trahi ad prædictum stemma; qvæ nia infra in Exemplis patebunt.

3. *Modus*. Si ad propositum adducatur, simile l exemplum vel Symbolum aut Hieroglyphim per protasim, adjuncta deinde Apodosi qvam s exigit.

4. *Modus*. Per Oratorium Enthymema vel llogismum, ita ut Antecedens vel major ac nor tum rationibus tum exemplis Sententiise, qvoad respatitur, illustretur.

5. *Per* Expolitionem Oratoriam, cujus sunt partes: Propositio, Ratio Propositionis, Ratio tionis, Confirmatio ejusdem ab Exemplo vel ili; & Complexio seu Conclusio.

6. *Modus*. Si Oratio scribatur per modum riæ omissa laude seu prima parte Chriæ.

7. *Modus*. Est singularis si attendatur ad circstantias & Adjuncta temporum, loci, Causam, Personarum, Insignium, Eventuum, Prodiorum, Virtutum, & triplicium bonorum. id Animi, Corporis & Fortunæ.

Modos hujusmodi Exemplis illustratos infra feram.

PROLUSIO IV.

Supellex Eruditionis Svadæ Civilis subservientis.

MAgnum hic mihi panditur æqvor, si per singula ire velim; Sed ad compendium recurro, qvod alioqvin immensi laboris & temporis res esset. Svada Civilis à me bipartito consideratur. Primo, prout complectitur officiosas Orationes. 2. Prout series ad politiem nostræ ætatis accommodatas. Ad primas spectant Adjuncta Personarum, potissimum triplicia Stemmatis, Dignitatis & Virtutum. Ergo ad hæc tria pertinentem Eruditionem delibo.

§. I.

Aliqva Stemmate erudite & cum Allusione varia decurruntur.

DIxi, Aliqva: Nam omnia sic decurrere vix pluribus annis qveam, nedum aliqvot diebus.

Aqvila.

Hæc primo in mentem & paginam involat. Regum id & regnorum insigne: Romæ olim Aqvila argentea, Persidi Aqvila aurea in signis militaribus effulsit; & Aqvilifero icto, Romanam Aqvilam rapuisse in prælio, Julio Cæsari intra gloriam stetit.

Neqve nunc Imperialis Aqvila non in pretio:

biceps

iceps illa, qvod Orientem & Occidentem vondam Imperio coercuerit. vide: de hac alivis apte: Picta biceps Aqvila hinc Occasum, ine aspicit Ortum: Alter, ait, nostri est, Cæsais alter erit.

Etiam in principum familiis ac insignibus hæc es re splendet. Radivilios & Gonzagas rele; & Aqvilæ celsitudinem comperisti. Illud Radivilorum Aqvila dictum à qvodam: Perrinxisset olim oculos tanta serenitas, nisi in qvilam incidisset. Assveta Solis spectaculo es, vel soli æmulum lumen aspicit impune, nec ndicem in pupilla sentit radium: nam ad sereus astrum cæcutire noctuarum, id est, non qvilarum.

In Panegyri Gonzagæ illud est Oratorium: ova è nido Gonzagarum, provolat sub cœlos qvila, qvæ felici augurio locum dedit, dum in lem evocat ingenia, qvæ umbraticis domi resibus insvevere. nec mihi reluctari libet inr Aqvilas enutrito, qvas aut bellator Lechus otulit, aut domesticus educit nidus. Prævolat antuana Aqvila, qvæ multarum secum trans admirationem ætatum, terræ ambitum sugressa sole jam fruitur æviterno.

Nec insigne tantum Regni, verum & omen perii fuit Aqvila Alexandro, & qvidem duplinempe Asiæ & Europæ, qvod omen natum. m nato Alexandro binæ Aqvilæ culmen naitiæ Domus insedere, ita ut etiam hic suum il- Claudianus occinere potuisset:

Lu-

Lustravitq; Tuos Aqvilis victricibus ortus.

Qvid qvod nummis etiam impressa toties Aqvilæ effigies? certè alas addit velocitati & pernicitatis in obseqvio admonet talis DEA moneta. Tamen apud Pyrrhum (qvem aqvilam dixere pulchro assentationis argumento ejus milites) in nummo Aqvila sub pedibus fulmen gerens duobus ramis in coronam flexis. Caveat sibi hostis ab Aqvilarum gente, si Gigas est, fulmina & novam rursum Phlægram pertimescat.

An & in sceptra involant Aqvilæ! Nam Tarqvinio Prisco Romanorum Regi Sceptrum eburneum in summo insederat Aqvila auro coronata. Tam antiqva est Aqvilæ nobilitas, qvæ ad hunc Priscum etiam illam refert. Qvidni & in Symbolicam assumeretur tesseram Aqvila? Taceo Gabrielem Cæsarinum, qvia illum Fama & Scholæ non tacent; qvi ad solem exploranti pullos Aqvilæ illud protritum jam addidit. Mei non degenerant. De qva pullorum exploratione vix qvisqvam pulchrius scripsit qvam hæc Claudianus:

Parvos non Aqvilis fas est educere fœtus
Ante fidem Solis judiciumq; poli.
Nam pater implumes convertit ad æthera nidos,
Et recto flammas imperat ore pati.
Consulit ardentes radios, & luce magistra
Naturam, vires, ingeniumq; probat.
Degener, & refugo torsit qvi lumine visum,
Ungvibus hunc sævis ira paterna ferit.

Ex-

Exploratores oculis qvi pertulit ignes,
Sustinuitq; acie nobiliore diem,
Nutritur, volucrumqve potens & fulmiais hæres
Gesturus summo tela trisulca Jovi.

Non ita tritum est illud: Aqvila ad nidum fert lapidem, additur lemma: Maturabitur partus. Nam Plinius tradit felix reddi puerperium per Ethitem lapidem qvi in nido Aqvilæ inveniur.

Alius Aqvilam Soli intentam depinxit hoc ddito: Sola capax solis. Nempe Regales Aqvilæ lucem & solem amant, qvas extra umbram & noctem oblivionis augustior Fortuna reposuit.

Nuper Regalem Lunam Aqvilæ Polonæ pectori impressam sic Sarmatia admirata: Illustre rodigium Tibi Polonia illuxit: Cœlum in uæ pectus Aqvilæ defluit, & Luna Regia Aqvilæ destinatur in monile. Si Jovi ales hæc tulit ulmina, ferat & lumina &c.

Accipiter.

Nec Accipitrinorum Insigne non insigne: in lures familias ales hæc involavit, nec postremas. Inde qvempiam è Polonis proceribus, cujus ingne est accipiter, sic Vates extulit:

Pro Latio Latiisq; bonis vigil excubet anser,
Qvi Capitolini proditor hostis erat;
Pulchrius Accipiter Soleam complexus eqvestrem
Pro Lechiæ caris excubat usq; focis.

Hic

Hic Tibi sublimes etiam despondet honores
Scilicet ales humi serpere tanta neqvit.

Odit hæc ales tenebras, hinc Publicos in Sole cives Patriæ gignit & insignit. Eqvidem Solis Symbolum est Clementi Alexandrino & animal Solare: tum qvia igneæ naturæ est, & occulta qvadam Sympathia fertur ad solaria: tum qvia soli seu Apollini dedicatur; tum qvia ad solem subterraneum, id est, aurum naturali qvadam inclinatione fertur (nam Accipitris ossa aurum magnetis instar attrahunt, (teste Plinio) tum qvia ex ossibus Accipitris ignem elici ait Ælianus; tum qvia Accipitris imagine Sol Ægyptiis exprimebatur ob eximiam videndi facultatem & velocitatem motus. Adeo nulla major illi qvam cum sole cognatio, ut nec de eorum luce ambigere liceat, qvibus hoc Gentilitium obtigit insigne. Tot pœne soles Patria gerit, qvot Accipitrinos numerat.

Nec antiqvitati idem non in pretio. Accipiter inter DEOS ab Ægyptiis relatus. Hinc ut in Thessalia Ciconiam seu Ibin, sic in Ægypto Accipitrem occidisse capitale. Nolunt hi DEUM etiam hunc non esse immortalem. Et adhuc Divinum qvidpiam inesse huic stirpi negaveris? Non jam hæc superstitio veterum est, ubi humana major indoles & Divinitati propior moderatio terrena qvædam hic esse Numina attestatur. Illud merito qvis miretur, qvod, ut Poëta cecinit:

Accipitri panis solet esse venenum;

San-

Sangvis potius illi alimentum est: Militares animas hic indigitari qvis non videat? qvas hostilis cruor liberaliter haustus ad eam gloriæ martialis staturam perduxit. Cave ergo deinceps, ne illud occinas:

Odimus Accipitrem, qvia semper vivit in armis. Et illud celsam Accipitrinorum indolem indicat, qvod se volucris hæc supra nubes efferat, ubi nec fulmini, nec fulguri locus; unde iam altè subvolanti non nemo Lemma subscribsit: Reliqvis supereminet unus. Vel certè posset subscribi, qvod Aqvilæ Carolus Geldriæ Dux adscripsit: Altiora peto; huic vero Familiæ id examussim convenit, qvæ semper alta honorum fastigia obtinuit, & adhuc altiora merito expetat. Etiam gratitudinis Hieroglyphicum Accipiter est. Nam hyeme passerem calidioris naturæ pectori admovet, ut se à frigore tueatur, postea illæsum memor beneficii dimittit. Qvod etiam eidem Familiæ semper gratæ memoriqve vel beneficiorum vel de se meritorum accommodari facilè potest.

Ascia.

Hæc etiam honoraris, sed cruentis Romanorum securibus antestat. hinc in summo litium Sacrarum arbitro in Areopago Sarmatiæ hoc insigne sic metro celebratum est:

Nil moror Ausonios fasces, Latiasve secures,
Ascia Sarmatiam pulchrius ista tegit.

Hæc

Hac malit dextram Themis exarmare securi
Qva micat armata sacra propago domus.
Ominor; eventus mox sanciet omina; qvavis
Ferrea sit, Lechis aurea secla feret.

Taceat hic Roma, qvæ à fascibus secures exactis Regibus edicto amovit ad minuendum imperii terrorem. Nusqvam Lechicæ secures non summis fascibus annexæ: nec terror reverentiam, nec acies corrupit lenitatem.

Regibus etiam & Diis placuit hoc insigne; qvo qvid insignius ad laudem dici qveat? Eqvidem Labradeus Jupiter in Caria pro sceptro & fulmine securim gessit. Lydiæ vero Regibus sceptri vicem eadem subiit. Tantum eminet inter terrena Procerum insignia avitum Asciæ insigne!

Et aciem ingenii eadem subinde facile exacuit hinc de Ostolinio hujus stemmatis hærede sic qvidam acute: Veritati amicior qvam reo supplici, armatam sua securi justitiam intentabat, non ignarus posse inermi consilio armatam vim everti. Idem architectante ascia in solatium calamitatis alienæ opportunum in urbe sua molitus est Prytaneum, suæ & alienæ Fortunæ faber.

Campus.

Campus intra campum vacuus, vulgo dicitur Janina. Hinc campo non semel nec falsò inscri-

psit

psit Polonia illud Ludovici Cardinalis: Melior Fortuna notabit. Testatur id etiam hodie Sobiesciorum Domus, aliæqve hujus gentilis Symboli hæredes. Patuit in hoc Campo, qvam longè lateqve possit excurrere Polona indoles, aperto etiam campo ausa omnem provocare Fortunam. Campum Marti Sacrum Romæ ne reqviras; hic etiam Marti sacer est, nec in eo rarræ creverunt laureæ. Habe Tibi, Roma, campum sceleratum, in qvo juxta portam Collinam Vestales incestûs reas defodisti: nil tam infame nomen cum nostro habet, ubi omnigenæ Virtutis florent insignia.

Idem Stemma salutandi materiam qvondam ministravit, ubi sic dicebamus: Latissimum nobis dicendi imò & gestiendi campum aperit Paritium Tuum insigne. Non sterilis hic campus est, ex qvo & nobis uberrima lætitiæ seges, & Tibi gloriæ messis obtigit non infæcunda. Nulla hic fatalis Tuo nomini Cupressus, sed solæ ernant laureæ hostili sangvine irrigatæ. Edulimus & nos in hanc feracissimam palmarum renam non acies sed ingenia, sola vividæ mentis acie de Tuis certaturi præconiis, qvorum amplitudinem vix capere qvisqvam alius campus possit. Hic enim verò pulchra ingeniis Olympia offeruntur, ubi pro meta est Tua gloria &c.

Canis dimidius.
vulgò Korczak.

Non mutum id insigne. Hosti Patriæ adhuc glo-

gloriose oblatrat ad terrorem: Arcet ferinam rabiem à Patria. Obmutuerit Romæ vigil alio qvin id animal, in Crucem proinde actum, cum Galli Sennones irrumperent in Capitolium. Sed hic pro Patriæ focis pervigil pridem excubat. *Rursum hic* Franciscus Malaspina suam recuderet tesseram, qvi canem Lysimachi rogo incumbentem illa Epigraphe donaverat; Intrepida fides. Si uspiam, certe in hujus insigni hereditaria stirpe par fides eluxit. *Qvod si in cœlos* Canem Mathesis intulit, nec in terris fulget obscurius, nisi qvod Cœlestis Syrius exurat agros, invehat siccitatem, langvorem pariat, malignum plane, etsi illustre sidus; Hoc verò, qvòd micat in terrenis Procerum insignibus innocenti radiat sereno. *Adhuc in recenti* fastorum temporumq; vivit memoria Burchardus Montmorentius Heros ille; qvi in acie infracto stetit animo aliis fugam capessentibus. Hic à conflictu intravit aulam Philippi Galliarum Regis torqvatus monili aureo, qvod cervina capita ita componebant, ut ante pectus ex illis canis aureus dependeret. Movit aulicorum ingenia nonum ornamenti genus Venatorum trophæa & Sylvarum adumbrans spolia. Regi ergo percunctanti respondit, notari torqve illo Proceres, qvi cervorum instar timidi, & ad fugam celeres, cum ipse manserit instar molossi ad custodiam Regis. Placuit virtus, & ut facti recordatio iret in annos consequentes, instituit Rex Ordinem militarem, cujus insigne fuit torqves cum

cane

ne & capitibus cervinis. Plures extra Galliæ ares, non impares habet Molossos Patria, qvoam fideles experta excubias, hæc illis arma ceu delitaris insignia consecravit. Nunqvam hic rincipi cum dolore occlamare licuit:

Actæon ego sum.

vod verò Canis in Æsculapii Templo fuerit servatus; etiam id stirpem hanc consecrat, cuis ceris dimidius canis inhæsit.

Cygnus seu olor.

Non obstrepat anser Romanus, dulcius nobis nit olor, qvi, ut de illo Poëta:

Simul ac leti vicinia sensit
Ad vada Mæandri fatale retexuit Io.

inc illi Tullius Divinitatem qvandam tribuit, od prænoscens, qvantum in morte sit boni, m cantu & voluptate moritur Cantator Cynus funeris ipse sui. Id qvidem certius de Oloa stirpe, qvæ Poloniæ svavius modulatur & cinit ad triumphos.

Cygnum sacravit Apollini antiqvitas, credo cantus Gratiam ab Apolline minime alienam. ec in Cygneorum familia desunt adhuc, qvi eliori Apollini sua sacrárunt ingenia eousqve culta, ut & Romanus anser Olores Lechicos stupuerit.

An & ad aras olor evolat? Evolat certè. Hinc tistiti Cracoviensi nonnemo ad Gentilitium us Olorem alludens: Candidum Tibi dedere ffragium merita & candidus Cygni color, o-

mina-

minatus dies Poloniæ candidos sub tantæ felicitatis candidato. Eidem sic Poëtice acclamatum:

Laudatore tuum nomen non indiget; illud
Namqve suave Tuus cantat avitus olor.

It. *Fama canat reliqvos, sed avita suavius ales*
Grande Tuum nomen vel super astra feret.

Et: *Evolat in celsum qvamvis olor albus honorem,*
Evolat in Cygno celsius altus honor.

Et: *Ut tuus albentes terris Olor exhibet alas,*
Sic Tibi depingat cana senecta comam.

Et: *Si velit haud humili te qvis laudare Camena*
E cygno pennam postulet ille Tuo.

Idem Olor etiam Orationem colorat, ut qvidam recentior: Olor Tuus Fortunato verius meritorum qvàm alarum remigio ad debitam Tibi provehitur celsitudinem, dum ad id evadit fastigium, & concentu Famæ immortalis concordem, in animis omnium provocatis in certamen affectibus excitat harmoniam. Nemo ambigit Te bonis avibus culmen hoc attigisse. Dives calamis olor vel inter prima Tua incunabula felix angurio Te loqvi cœpit ut ales Apollinis futurum inter illustria Cygneæ Domus nomina.

Canente Cygno scopuli & valles respondent (teste Oppiano) Canit autem svaviter, ut innui; proinde anseri illud non Olori Franciscus Caraffa inscripsit: Nocet esse locutum.

Etiam

Etiam Mars Romanus ab olore desumpsit ornamenta. Nam militia Romana prætensas galeis Cygnorum pennas gessit. Sed neq; Lechico Martí par deest ornamentum; *Concludam* hæc de Cygno dum attulero, qvod Sfortia Dux Sorræ Olori in aqvis cum tribus vespertilionibus in aëre adjecit lemma: Candor illæsus: id est, etiam inter amicas nocti volucres. qvod facile in laudem Cygneorum trahi potest.

Corvinorum Stemma.

Insignis Corvinorum familia à Romanis ducit originem Caput Familiæ Valerius Messala Corvinus, qui Gallum Sennonem adjutus ab alite ancra superavit. Sic ales hæc & Romanis se Aquilis adjungit. Juvit eadem sæpius Poloniam, quæ semel Romam, dum tot Lechicæ propugnatores Gloriæ submisit.

Etiam Imperii omen eadem volucris Octavio Augusto, cui cum panem porrigit, simul & Imperiale omen. nam Cæsar mox est conclamatus. In Poloniæ regno si non Principes parturit, at summe Fortunæ pares animas.

Ex hoc insigni omen eruit Poëta:

In sublime suas Tuus alas explicat ales,
Ille Tuum nomen vel super astra feret.

Nec illud incongruum, qvod idem Vates hinc deducit augurium: hospiti prædicti stemmatis heredi:

Jure bonis avibus Te huc advolitasse putarim,
Munierat volucris cui soleat a viam.

Vel juga summorum tuto superabis honorum,
Cui spondet tutam Crux soleata viam.
Dum solea hac pulchros figis per secula passu,
Nil Tua, qvo melius subvolet, ales habet.

Tractum & in hieroglyphica idem Nomen, nam Pierio celebris viri Symbolum corvus, alii Temperantiæ, cum in æstate sexaginta dies potu abstineat æger: nonnihil aliis prudentiæ; nam ut aqua ascendat, qua sitim extinguat, lapides vasi injicit, qui eam extollant; adeo multiplici Virtutis Symbolum Corvini sibi delegere.

Nec illud non insigne, qvod affero, è Romanorum fastis; Nempe qvod Romani Corvo dederint exequias tibicine præcedente duorum Æthiopum humeris deferentibus. Sic & avibus suus non defuit emeritis honor. Illud etiam de corvo Eliæ perquam jucundum:

Tradidit illæsam jejunis morsibus escam,
Nunc bonus Eliæ, perfidus ante Noe:
Abluit in terris quicquid deliquit in undis

Crux vel sesqui crux.

Profecit sub Constantino orbis didicitq; Crucem colore, dum eam in Coronas transtulit & avita plurimum Symbola. Poloniæ Familiis impressum id bene signum, in qvo vicit Constantinus. hoc in Potociorum armis resplendet, hoc in Sczepanoviorum sesquicruce, etiam in Divo Cracoviensi Antistite Stanislao consecrata effulget, pluribusqve aliis. His potissimum armis adscribendum esset, qvod aliis nonnemo inscripsit:

Decus

Decus & tutamen in armis. In Panegyrico Feliciani Potocki hæc de eodem insigni ponuntur: Infelicis jam arboris nomen omenq; Crux amisit, ex qvo & Felicianos cœpit parere, & appensa illi est felicitas seculorum. Ne tamen à Porociano insigni unam felicitatem speres, tergeminam Crucem vide, nempe nimium felices haud decet felicitatis in commune parsimonia.

Omen ex eodem insigni sic alius deducit. Nécit Fortunæ ludibria, quisquis sub hoc militat Victoris Dei trophæo, & in Victrici Crucis signo non solius est vincere Constantini: effrondescit hæc in laureas, in palmas Victrices pullulat. Omen deducit & Poeta:

Ne Tua mortales vereatur vita cupressos,
Cui lignum vitæ Crux dat avita domi.

Si libet & de Symbolis hic aliquid delibare, ad Præsules orbis Te ablego. Occurret cui pulchrũ Victoria nomen consecrat, Nicolaus VI, qui Cruci cum ramo palmæ decussato Coronâ spinea redimitæ inscripsit: Victrix casta fides. Occurret & Callistus III; qvi Cruci tiaratæ adscripsit: Omnes reges servient ei. Quidni hoc insigne in animis triumphet, qvod orbem subigit?

Caput Uri.

ETiam caput eminet ut in corpore, sic in Patria. Caput humanum terra Dobrzynensis gerit coronatum: Palatinatus Calissiensis Caput Bisontis. Caput Uri Lesczynii, caput Ursini Ligæsæ. Bene ominari poterit Orator Polo-

niæ etiam hinc de Capitolio bonæ mentis. Victimarum olim coronata capita; & hoc caput non sine infulis.

Olim cum Capitolium illud Romanæ superbiæ domicilium surgeret, Toli caput in fundamentis inter rudera bono qvodam omine inventum. Etiam hoc, qvod pleriqve in insigni gerunt. Capite inter collapsæ jam prope Patriæ rudera sublato eriget caput Polonia. Bene illa inops consilii hanc consiliorum arcem honorat: nam hoc ad omnem exaggeratum pulchritudinem corpus est, ubi caput eminet. Huic capiti secure se credet Respub. à quo & orbis dependet; nempe insertus ori circulus aut orbis est, aut orbis insigne.

Hoc idem Poeta celebrat:

Quam sit consilii Domus hæc fœcunda, docemur,
Cum sit & in patrio stemmate nacta Caput.
Hinc quid stirpe sua trabeatos mirer honores?
Ambit honor tantum condecorare caput.
Jam nova consurgent Lechicæ Capitolia genti,
Quæ Caput in ceris possidet una Tuis.

Eqves & Eqvus.

PRæter Lithuaniæ Ducatum etiam alios Heroas Eques adornat vel Eqvus. Equestre id & Ducale Symbolum, atqve ad decurrenda Gloria Olympia peridoneum.

Multa belli decora tantus alioquin Alexander non alio reposuit munere cæsis in Adrastæo campo commilitonibus, quam Eqvestri statua.

Fru-

Frustra enim pedibus terræ insisterent, qvi Virtutis impetu terras evasere.

Apage cum Sejano eqvo, qui perniciem heredibus invexit fatalis omnibus. Apage & cum Sybaritarum equis ad tibiæ modulos assuetis & tandem à Crotoniatis alios saltus edoctis. Apage cum Incitato Caligulæ eqvo, cui hordeum in auro is apposuit, in poculis vinum, famulitium insuper illi & consulatum designavit caput omnis consilii exsors. Nihil tale in Equite vel eqvo nostrate somnies, ubi ad virtutem calcar generosa subdit indoles, non ignavia vel deses otium luxu emollit. Ad metam gloriæ is currit, ad qvod etiam alludit Poeta:

Sisse gradum Bellator Eques, vel in urbe moranti
Ipsa Tibi pulchrum gloria sternit iter.

Celebrat adhuc Navarra Equitum liliatorum ordinem, à Garcia VI. Rege Navarræ institutum. Celebrat & Gallia Eqvites è Carduo à Borbonio Duce institutos, quorum insigne fuit torqves ex liliis cardui foliis distinctus, ex quibus Cruci appensæ Lemma additum: Spes. Nec noster Eqves non feliciter cursum laudis peragit, etsi non molle liliorum iter decurrat. Eidem Equiti Gentilitio sic acclamat Poeta:

Ex aliis alios, Eques inclyte, curris agones,
Non satis est tellus cursibus una Tuis.
Curre vel immensæ quadrupes per Olympia Famæ;
Nam tibi pro meta Fama perennis erit.

Fascia alias Nalecz.

QVod Cœlo Zodiacus, idem Patriæ videtur esse hæc Fascia: utrumq; cingit & ornat: Zodiacus stellis, Fascia terrenis Sideribus superbit. Testor nuntiam vetustatis Historiam, & vivam adhuc spirantemq; Heroum Virtutem, qui se hac Fascia Patriæ commodis obstrinxerunt. Quid mihi cum nodo Gordio Alexandri? Majoris Fortunæ omen hujus Fasciæ nodo adstrictum, maxime cum nodum Gordium gladios, hunc tot seculorum flexu nulla ferri acies, nulla temporum injuria dissolverit.

Amo Trajani virtutem, qvi obligandis militum vulneribus Purpuram in lacinias concidit; quasi vel purpuram meruisset militaris fortitudo, vel purpuræ ruborem intenderet effusus pugilum cruor. At Fascia hæc non militis tantum, sed quibusvis Patriæ vulneribus ligandis fovendisq; sufficit Eandem Fasciam sic pro more Vatum Poeta velut novus augur evolvit:

Fascia, qua quondam redimiri victima suevit.
Infula vittato vertice tegmen erat.
Nec te Patritias quæ dat Tibi Fascia Ceras,
Præsuleis dignum fascibus esse negat.
Non longo spatio fasces & fascia distant
Hinc justa augurii vatibus ansa datur.

Ex eodem insigni & illud desumpsit idem Poeta

Non tibi mortalis spatium decurritur ævi,
Æternitatis taniam ceræ gerunt.
It; Fascia quam nodo prænobile stemma coarctat

Zodia-

Zodiaci Lechico præstat in axe vicem.
O qvot in hoc Patrii toties fulsere Planetæ
Nuper Præsuleis qveis radiavit apex!

Hastæ.

PUlchrum & hic Fortunæ Hastiludium, nisi qvod plus meritis prænobilis hæc Hastatorum legio debeat suo potius quam alieno censu vives, vel fortuiti casus aut levis Deæ beneficio. De hastis Zamosciorum Orator Polonus sic t: Pallas ipsa non alias aut gerere sagata vellet ut togata regali defigeret monimento: non as novo Asiæ Victori Lysippus ille pro fulmine dextera collocaret. Ivere per varias manus evolarum, dicerem, qvia notæ fortitudinis, ed cum insuper ob cognatam huic sanguini Sa-ientiam errare in hoste nescierint, haud occur-t par nomen. Fabiis certe & Metellis sola tem-orum injuria fuere posteriores, etenim rebus estis longissimè præivere.

Alius hinc impetum talem desumpsit. Hastæ ihi stimulum addunt, ut in Tuas excurram el Panegyres vel obsequia; Sed si etiam hæ ab-sent, adhuc me fortius mei officii ratio stimu-aret.

Hastularum fascis Christophoro Madrutio lacuit, cui Lemma adjecerat: Unitas. Credo lusit ad Scylluri factum, qui moriturus filiis oc schemate unitatem svasit, qvod juncti a-imis ut in fasciculo hastæ ab hoste non facile vincendi essent, cum tamen singuli singula non

difficulter frangerent. Hic vero hastarum terni satis suo Schemate indicat, quantum hic unio animorum cordi sit.

Hasta pura olim apud Romanos celebris si dicta, qvod ferramento careret. Celebris à Hasta salutis, quæ in summa inopia ad levandam famem posita, ubi publicè frumentum veniit. Hasta item cruenta, quæ à Duce in edito loco præfigebatur, cum urbs vi subacta hostiliter diripienda militi concedebatur. Nec illud omitte qvòd apud Thebanos quidam hæreditario jure lanceæ speciem corpori à Natura inustam habuerint, quâ qui carerent, illegitimi habebantur.

An vero & Achillis hastam prætteream? Ha Telephus ab Achille vulneratus, in plagæ remedium oraculo edoctus eandem, quâ fuit saucius hastam esse adhibendam. Ergo gratia cum Achille inita rubiginem hastæ detersit, hanc vulner applicitam medelæ fuisse expertus.

Habdanck W.

MAgnos Heroas indicat ipso etiam situ hoc insigne, de qvo etiam Sarbievius:

Si dubitas, hoc ipse Deo da Stemma legendum;
De cœlo magnūm Maximus ipse leget.

Neq; sterile laudis est idem insigne si originem inspicias. nempe Imperatori Thesauros ostentanti, quibus Polonos se expugnaturum gloriabatur, legatus Regis Poloniæ annulum è digito detractum, in thesaurum conjecit, dicens: Addamus

mus aurum auro; Imperatore respondente trio sermone, Habdanck, seu Habeo gratias o aucto thesauro. Sic nimirum Polona indoles agnificum putat, de suo felices, feliciores red-re, & ubiq; domestico Gangis & Gazæ effluxu sulam efficere Fortunatam.

e eodem Stemmate est illud metrum:

Qvanto Lubliacus te fulgeat hospite Cervus
Et recta & ceris litera versa monet.
Tantus es, ut nec Stemma Tuum Deus ipse legendo
E cœlis magnum Maximus ipse neget.

Fluvius vel Fluvii.

RIdem hos fontes hauriunt ingenia nec exhauriunt. De Fluvio Lubomirsciano Orator vidam sic: Hic fluctuanti Patriæ fida & tranqvillstatio, barbaris myoparonibus nunqvam evibile naufragium. Qvoties ille rubuit cruore, stium deletis copiis! qvoties ingenio aid canrem pacis revocato crystallo purius fluxit! Est nostro regno non Pactolus Ganges acrifer, d prænobile illud Flumen, ex qvo in Rempub. neficia tam divite alveo refunduntur, ut Poloæ Gazam vehere videatur. Aliter exundare net beneficum hoc Flumen, qvàm in perniciem sti, Patriæ in salutem, qvam illi propinat, nom hostibus Thrasymenum, Poloniæ secundum hibens Nilum. Vexerit Fortunam Cæsaris nnemo; pulchrius Polonam Szreniavva Fornam, qvi amnis ut candorem nunqvam exuit, ita

ita semper ejus stirpis felicitas ad purum fluit. Nec opus est catena fluctuantem comprimere torrentem, ut Xerxes vinculis domare studuit Hellespontum; nam nulli hic motus, nisi ad beneficentiam: nulla hoc in mari Syren innoxia. Antigoni lacum hic ne crede; ex qvo nec aqua gratis bibisse licuit, dignissimo plane, qui exarescceret, ut potecui nullus inerat ad gratuitam beneficentiam motus &c. &c.

Superbe olim Ægyptus nihil se imbribus, nihil Cœlo debere dicebat, omnia Nilo; qvod sua perfusa amne, non alio aquarum genere pingvescceret, quam quas ipsa devexerit. Plura huic Flumini debet Polonia, maxime cum totius pigeo Nilus se cunctanter alveo ac languide extulerit.

Jam miracula fontium deliba tantisper & obstupesce. In Africæ lacu omnia extant, nihil mergitur. Absamea aqua fidem servantibus dulcis & aspectu placida, ingdis infesta, qvorum pedes manusq; invadit epota, & vomicis inqvinat, ibique suam coguntur deplorare calamitatem. Sensit & nostrum amnem hostis perfidus suæ Gloriæ fatalem, in qvo hæc toties fluctuavit. *In Epyri fonte* faces accenduntur. Item fons est apud Indos, unde hauritur aurum fictilibus (nec eo quisquam potitur, nisi frangat fictile) deinde ferrum. Utroq; amnis hic Lubomirscianus Poloniam ditat metallo, quam & armat ferro, & auro locupletat beneficus omnino.

Tumide olim, utinam ex animi Sententia Vespasianus Ægyptiis apud illos hospes dicebat:

Hau-

Haurite ex me tanquam ex Nilo. Tumor hanc illo vocem fortasse expresserat; eventus resq; huic familiæ servabatur, ex qva velut ex Nilo haurit pridem Patria tot decora, nec scaturigo rivus deficit.

Admirabilius illud fortasse est, qvod refert Elianus; In finibus Meropum esse duo flumina; alterum tristitiæ, qvod epotum lacrymas tota vita ministrat; alterum Voluptatis, qvod præteritorum oblivione inducta senectutem depellit. Hoc potius nostro amni similius, nisi qvod & primo qvoad hostem Patriæ.

Fons Solis in Ammonis nemore meridie friget, calet Vesperi, nocte media fervet,

Fons sacer, & multi numen habere putant.

Plura fortasse prodigia in amne Lechico &c. Egregium illud, qvod balsami hortulum fonti in Ægypto irriganti adscriptum Lemma: Crescit, quodcunque rigat.

Ex gentilitiis amnibus Mareschalci laudem & omnia sic nonnemo derivavit:

Per triplicem diffusa tenes insignia fontem,
Maxime Sarmatici Duxq; decusq; fori.
Ominor haud uno fundent argentea rivo
Flumina Lechiaco nomen in orbe Tuum.
Eridanus cæli spatiis diffunditur; illa
Hi potius fontes commeruere Tui.
His pulcher sine face latex fulgentis obryzi
Defluat, & tumidus melle meroq; liqvor.
Sed claudite jam rivos, sat Prata bibere.

Leo ignem vomens.

MArtiale id Symbolum & qvod Patriam meliùs qvam Draco Hesperidum hortos tuetur: ornat Pulchrius qvàm Leonis exuviæ Herculem. Expalluit corruitq; hostis, simul ac in Polonorum Aqvilas Duce hujusmodi Leone incidit. Nempe Polonia Leones gignit, nunqvam Cervos.

Gravior hic non unus Pericles, qvi qvondam in utero Matri, in bello Athenis Leo est creditus.

Animal id luci est amicum, cujus magna vis in oculis sita est. Certè solus Leo inter animalia apertis oculis nascitur, sic lucis avidus est, ad qvam tam maturè rudem adhuc pupillam erudit: Hinc ungvibus uterum leænæ Matris dilaniat, eò qvod ad lucem erumpere festinet. Arguit ea res in hac Familia perspicacem ab incunabulis indolem, & qvæ lucem amet, tenebras qvas infert nominis oblivio multum oderit ac nesciat. Nam qvod Leonum rictus templorum valvis Basilicarumqve vestibulis affixi vigilantiæ admonebant: qvòd in mortuo leone adhuc vivat terror, idq; non in tota tantum mole corporis, sed in oculo etiam solo, qvi sub axilla gestatur cæteris animantibus non leve sit terriculamentum; fortium id virorum nomen & Gloriam exaggerat, qvæ hostibus ac improbis æqvè sunt terrori. De hoc Leonis etiam mortui terrore eleganter Statius:

man-

manſere animi, virtusq́ cadenti
A media jam morte redit, nec protinus omnes
Terga dedere minæ, ſicut ſibi conſcius alti
Vulneris adverſum moriens it miles in hoſtem,
Solitoq́ exutus honore
Firmat hians oculos animamq́ hoſtemqve reqvirit.

Miſeret me adhuc Megarenſium, qvi dum capentur à Caleno, effractis caveis Leones in hoſtes immiſerunt, rati ſeſe obicem hoſtilitati objecturos, cum (ut fermè malitia maximam ſui partem bibit) miſeri ab iisdem Leonibus miſerabilivel hoſtibus ſpectaculo in prædam ceſſere. Sic caput auctorum inſidiæ relabuntur. Aliud noſtro Leone ſperes, non ut in ſuos ſæviat; novit ille hoſtem, novit & civem Patriæ.

Radiat adhuc olim effectus in tumulo Regali Hermiæ Leo marmoreus, cui oculi ex Smaragdis inditi in gurgitem radiantes, etiam piſces terrore afflaſſe feruntur. Typus id inſitæ auctoritatis, qvam hæc Familia obtinet, & è longinquo ſui reverentiam intendit.

Qvidni is evaſiſſet Achilles qui fuit, qvem Chiron paſtum Leonum medullis? Crudum id magnæ Virtutis obſonium, non humiles in eo ritus enutrivit.

Nec leonis oſſa ſine terrore: Ignem colliſa emictunt, ceu adhuc iræ igniculos, retineant. Illuſtre id ſchema eſt, & radium huic familiæ ac-

cendit ſemper in honorum luce verſanti, nec in
poſteris lucere deſinenti.

Nec Symbola Leo effugit. Nam Herculi Ma-
laſpinæ Leo Simiam devorans ad morbi remed-
um placuit cum Lemmate: Mihi medela. Odi
nempe Simiam Perſonatam ſolida Virtus. Pla-
cuit & Henrico Julio Duci Brunsvicenſi, qu
Leoni Caprum intercipienti cum Corona im
minente addidit: Tandem bona cauſa trium
phat.

Deniq; & in aris Leones effulſere. Nam in
templo Hieroſolymitano altare, ubi juge Sacri
ficium, Leo DEI dicebatur. Timeant ſibi hoſte
fanatici, dum pro aris Leo excubat.

Luna.

SI Eclypſim in Cœlo patitur, in terris citra de
fectionis periculum lucet perenniter. Etiam
nunc in Solio, ut in Cœlo reſplendet, tamen et
iam extra Solium illuſtris, nec tam noctilus præ
eſt quam diebus, nova & prodigioſa Metamor
phoſi, ubi Luna in Solem plane immutatur ut d
illa nonnemo recte cecinerit:

Exuit ingenium Lunæ Tua Luna viceſq;:
Nam præter Nomen cætera Solis habe

Et in acumen, ut in terras Luna influit. En ho
ſpitale metrum:

Non ſolus noſtram remeaſti nuper ad Ur-
bem,
Intuleras viduo Cælica ſigna lari.
Sic qvacunq; Tuum circumfers Nomen, eo-
dem

Ve

Vel Cœlum reperis vel facis esse loco.

Illud vero est de Reguli Luna:

O quanto radiant Regalia Sceptra sereno.
Qveis addit placidum Cynthia tanta jubar?

Et illa ad hoc insigne elucidandum apte qvidam: Ingratum huic est sideri procul à Principe astrorum abesse, & continenti Serenitatis usu natium intendere fulgorem, sed ad gratiam: Odium quippe Mundo sidus, quod solum accendi ur ad terrorem. Traxit hoc avitæ lucis fulgore multarum secum admirationem ætatum perpetuam, in Solem Luna statione testatura orbi, Principum virorum cognata Cœlo Sidera nusquam memorari libentius, quam unde benefica lux in omnem patriæ vultum sparsa &c.

Arcades se ante Lunam genitos esse gloriati. Arrogantius id quam verius: Sub hujus Lunæ tempora melius est vixisse, qvæ nunc in throno sedeat.

Ridendus veterum error qui tinnitu & cymbalorum sono conati sunt

Laboranti succurrere Lunæ.

Nostra de suo secura etiam alienæ occurrit calamitati.

Rege non indignum qvod affero. Henricus secundus, is Valesius est, qui Lunæ plenæ adjecit Basilicum Lemma: Cum plena, fit æmula solis. Talis & hæc nostra, nisi quod etiam crescentem non quævis facile lux adæqvat. Novilunium etiam

am illi [si unqvam vetustas Gloriæ novitatem noverit) intra plenitudinem Luminis est.

Qvod si aliqva fatorum violentia nubem tantisper offundit, adhuc illa cum Alexandro Medices Eclipsata intra umbram terræ dicit: Eluctabor.

Adjiciam & vota Lunæ Regali gloriosa. Idem ille de qvo supra, Henricus crescenti Lunæ inscripsit non meliori voto, qvam eventu: Donec totum impleat orbem. Qvis verò in nostratem Lunam id felicitatis derivatum non videat? Implet & illa etiam ultra orbem excursura, si novum illi Gloria offerat Excentricum.

Qvod si etiam crescenti Lunæ Philippus III addit: Dum vixi, crevi; Aptum id elogium & nostrati Lunæ est, qvam crevisse indicio sit Fortunæ, qvod attigit, Plenilunium.

Sed tu, cresce si potes, Luna Othomanica; tamen Lechici solis occursum time: minui Luna solet qvoties Orienti vicina, nec unqvam sol est adversa, qvin Eclipsim patiatur. Frustra Selimus Imperator Tibi adscripsit: Redibo plenior; Nostræ id potiùs ominamur Lunæ, qvæ tunc suum orbem complebit, cum Turcicam Lunam hauriet. Time Tibi Lunaticum in Asia genus.

Navis.

ETiam hæc pridem Polonæ velificatur Gloriæ, nec tam unius Cæsaris qvàm tot stirpium ac Orbis Fortunam vehit. Qvocunqve appellit,

ellit, Insulas aut invenit, aut efficit Fortunatas. rgo illâ tantum est prior, non Cœlo dignior inc nonnemo illi accinit:

Jasoniam cœli spatiis depelle carinam,
Dignior his Lechicæ stirpis avita ratis.

vod ille navi ad portum tendenti adscripsit: ut ingredi, aut perire; Generosæ id mentis mbolum ac indicium est. Sed nostra certior fi- in tranquillo stationis potius quam exitii; tamen illi unquam quietem Patriæ indulsit a- or. Justius hæc Familia quam olim Lucullus victo Mithridate navem laureatam in Victoriæ gnum ante se Romam toties præmisisset. A- num hoc ab hujus navis felicitate quod alteri rgentibus à vento velis proprium, cui subscri- la cautio: Si tumeas, timeas. Nescit hæc in mma etiam Fortuna intumescere.

Quod vero Ænigmaticè quispiam navem sic scribat:

Longa feror velox formosæ filia Sylvæ,
Curro viæ multum, vestigia nulla relin-
quo;

ultimum de navi Patritiâ haud quaquam di- ro, quæ sui recordationem altè secuturis im- essit ætatibus. Nec Jasonis navem æmulatur i qvoad Heroum nomina & potiora auro ryxi decora: nam Argo illa tarditatis carpi- à Poetis. Hinc ille tardioribus nautis insul- s:

Non nautas puto vos, sed Argonautas
Vercentone asinaq; pigriores.

Illud

Illud nostræ Argo magis congruit quod nav Salaminiæ, quæ, ut ait Critolaus, ad res magn momenti servabatur. Cadit in summos in ha stirpe Heroes.

qui magnos servantur ad usus.

Apprecatur eidem Navi bene Poeta:

Quam Tibi consignat navem genus, illa Po lonis
Continuo cursu pulchra trophæa veh

Rosæ Flores.

AUreum Saturno seculum non invidemus nec floridum desipit aut roseum. Floren omnia, dum hoc vernat insigne, ac ubiqve il famæ odor spargitur, quem à Rosa expectasse Ingrata de Rosis, ut ait ille, Oratio vix contin git, quæ venustatis & Gratiarum sunt compen dium: & blandum etiam in animos exercen Imperium. Juvat ergo interim earum fragran tia sustentari, candore pertrahi, arcanâ impel potestate.

Nec tacent hunc florem secula, etsi Harpocra ti Sacra Rosa silentii Symbolum antiquis fuerit & nunc supra mensas suspenditur, ut sub ea di cta tacenda sciant, Hinc proverbium: Hæc su rosa.

Originem hujus Stemmatis sic Elogiastes de scribit: Rosam hanc si à stirpe inspexeris. Ro mana est. Romæ illi prima nasci gloria, sed non sola: Patriam Italiæ, Bohemiæ Coloniam, Po loniæ Regnum debet; Sed exactis Roma Regi bus

s nomen Regium nec in flore ferri potuit. i-
ur cum Rosino Italiæ finibus cessit, ne Cali-
lam coronare cogeretur: peregrinantem Bo-
nus recepit ut hospitem, Rosembergius ut
nem, Peravius ut Gentilitiam, Lechus ut in-
enam adoptavit, honorariam reddidit Boles-
s Chabri, gratulatus Regno Rosas & delecta-
natas parirer & prodesse.

Color Rosæ candidus sic ab eodem acute de-
bitur: Rosa hæc etsi sanguine hostili perplu-
candorem non amittit; Sane cur hactenus
besceret, non invenit; nec illi Patria, nec il-
Patriæ probro fuit. Adhæc longa ætas hos
induxit canos, ut simul induceret reveren-
Nempe ætates vivit integras Rosa hæc.
æstates, nec Vaticanas inter lauros nata
ri novit. Quanquam quis flores ab antiqui-
e commendet, qui venustatem præhabent ve-
lati? Huc servit & illud Distichon, ubi inqui-
ur, cur hæc Rosa N. N.

Pura nive purior albet,
Concolor est Domini moribus iste color.

Roseorum familiam spectat & Heinricus
P. & Otho Magnus, & Ursinorum Familia;
anta nomina: tam latè hæc Rosea planta es-
ruit!

Diceres adhuc erudite de eadem Rosa, qvod
c Companæ Rosæ sit similis, quæ præcox; Nec
lesiæ, qvia ille serius pervenit; Nec Græculæ,
ia hæc nascenti semper similis nisi manu coa-
non dehiscit; potius est Prænestinæ Rosæ si-
ilis, quæ novissime desinit.

Pla-

Placent Rosæ, sed eædem etiam placant. Indos provoco, quibus Principis gratiam R aureæ dono datæ conciliabant. Etiam Rosæ l qvod Calthæ flori ad solem converso quidam jecerat: Non inferiora secutus.

Rosæ tamen hæ liberæ omnino sunt non butariæ; etsi Dynastis ac Principibus Orie tributum annuum fuerit persolutum ex flori in quibus Rosa primas tenuit, qua paviment & conclave Regium oppleri consveverat. U cum tantum Patriæ tributum debet Rosinor Familia, nempe vectigal gloriæ.

Nec in triumphis non enituit Rosa. Nam C nelius Scipio triumphaturus de Annibale oct legionis milites fasciculum Rosarum manu g re, & in posterum depictas in clypeis Rosas fe jussit. Adeo Rosæ non sertis duntaxat idon sed & Galeis.

Idem fecit Scipio Æmilianus eversa Carthi ne, nisi qvod insuper ejus triumphalis cur Rosis fuerit undiqve coronatus; sic aliis aur placuit, roseus Scipioni curus; Tantum vel a Rosæ antestant, & grandiores exornant triu phos:

E spinis rosæ colliguntur; Poeta è rosis et acumen:

Dum Rosa cognatum sibi late sparsit odore
Omen perpetui Lechia veris habet.
Exorientur, ait, florentia secula; quando
Vernat & Arctoo Nobilis axe Rosa.

De eodem stemmate est illud:

Ca

Cum Roseum verno referas in stemmate Florem
Sic vel in hyberno Ver facis esse gelu.

Solea.

RMa hæc magnæ Virtutis sunt vestigia benè memoriæ posterorum impressa. Solea calcandis barbarorum cervicibus fatalis, stres exornat Familias; & Solem illis suo in nine attendit, aut suo circumductu, non in orbem reducto, attendit Lunam. Ad- Orator Lechicus: si locum in Cœlo, ubi Lu- Eclipsim pati solet, soleæ similitudine expri- nt Matheseos periti: verius in victoriæ sym- is ponetur nostra solea, in quam impingere Luna Othomanica potuit, quin deliquium eretur. Subest huic soleæ fortuna. nam pul- ius est meritis tantum, nihil fortunæ, quæ ca est, debuisse. Si Pegasi solea fontem elicuit, qve hæc non uberes Poëtis & Oratoribus fon- & divitem dicendi venam aperuit. Hinc Poë- llud derivat:

Qva solea Patrio radias in stemmate nomen.
Impressit nostris mentibus illa Tuum.
Quin etiam celsos ineas, ut certus honores.
Illa Tibi tutum, credo, parabit iter.

el: *Ad celsos via tuta Tibi pandetur Honores.*
Cui robur soleæ nobile sternit iter.

ldunt eidem soleæ nitores & symbola. Cyn- iam illi oppositam decoro Lemmate nonnemo

mo lacessit: Luce sua tecum certare parata.
dem depingit Fortitudinem Personatam, qu
struthionis ori soleam ingerit adjecto Lemm
te: Non comminues. Idem depingit solean
lima perpolitam cum Lemmate: Purior attrit
Idem soleæ inter incudem & malleum apte
symbolum Constantiæ in adversis adjecit: A
versis non frangitur. Pulchrius illud, qvo
dem soleæ in flammis candenti addidit: In ig
videbitur aurum. Denique idem in Vulcani
ficina depingit Brontem, qui eandem soleam
ratus loco Lemmatis dicit: Melior vulcania
dit: De meliore camino.

Stellæ.

NOvum hæ in terris describunt Zodiacu
Novum Lechiæ Firmamentum. Nec
ctem hæ stellæ afferunt, sed diem: Atlas eti
non recusat tam illustre sibi pondus superad
qvi nec novum in Cygno cœlesti & Cassiopea
dus ægre habet.

Extra Galliam sunt hic etiam stellati Equit
quorum in Gallia insigne fuit stella in Galero a
reis radiis Circumfusa cum inscriptione: Mo
strant Regibus astra viam, qvæ nimirum ut om
bus patent, sic lucent omnibus. Stellæ secu
dum Mathematicos aliæ sunt primæ, aliæ secu
dæ Magnitudinis usq; ad sextam: sed in hac gen
te nil non primæ magnitudinis, etsi juxta Tulli
um; Prima sectantem honestum est in secundi
aut tertiis consistere.

Nul

Nullæ hic Hyades Plejadesqve, nubilum sidus, si ubi imbre aureo depluendum est in calamitosos. Sideri cœlesti, qvod crater appellatur, vidam inscripsit: Inter Eclipses orior, stirps ero hæc illustris nullas Eclipses novit; nisi tversa hoc nomine appelles; Sed hæc etsi lucem deribus intercipiant, non tamen huic genti, aam nullus gravioris Fortunæ ictus ut virtute, luce exuit.

Quendam piscem Lucernam dicimus à lingua uæ illi splendet ignita; huic Lemma additur: omen lingua dedit. Nempe illustre nomen & ngua parit; sed facta & manus facit illustrius. lura illustrant stellatos in Polonia Equites, quias radios indidit vis & virtus multiplex, servom ardor Martius.

Nec stellas impune aliquis lacessat. Nam hilippus Macedo, qui noctu stellas sagittis inssebat, ab Astere Milite (astyr autem ex Græ stellam significat) oculo est orbatus. Sic ara se vindicant impetita. Pluribus hic non imoror, nam per se illustris de stellis materia & cem ingeniis affundit, & acumen facile minat.

Sagitta.

HÆc pridem ad Metam Gloriæ collimat, & Metam hujusmodi feliciter attingit. Quodsi stis illi in meta constitit, haud dubie non fuit tra ictum: non Parthus solum à sagittis meendus.

Qvod

Qvod aulicus suo Regi carus Sagittæ inscri pserat: Consequitur, qvodcunque petit; id nostra verius dicas, seu petat, seu impetat.

Adhuc etiam hodie miramur pernicitatem pedum in Abari scytha, & fidem pœne Historiæ abrogamus, qui emissam ex arcu Sagittæ pr celeritate prosecutus eodem tempore in me constitit, qvo sagitta. Prodigia hæc non ex fidem, si hanc stirpem & agilem in omnia me tem, nec desidem & veluti stagnantem in tuea indolem, sed ad omnia exporrectam, & suo in signi qvoad celeres ad Virtutem impetus conce tituram.

Non insulse jaculo per tres aves trajecto G dofridus Bullonius inscripsit: Dederitné via casusvé DEUSVE. Sed hic nihil casui & fo tuitis debetur eventibus, sed industriæ, sed pr dentiæ momentis secum ante omnia expende tis.

Majus est, qvod illo metro exprimitur de s gitta, qvæ uno jactu & piscem in aquis & hirun dinem in aëre, & leporem in Campo trajecit.

Trans omnem visus lepus est. contendit arcus
Ocius & sceleri missa sagitta manu.
Forte salit piscis, Progne prætervolat: hi rent
Tres uno in jacuo piscis, hirundo, lepus.

Amphiarai telum ab Aquila in sublime raptum & delapsum cessit in laurum. Hinc diceres:

Quod veteres ornat tibi ceras nobile telum,

Is

In virides laurus frondeat ac oleas.

De eodem insigni est illud Poeticum:

Dant Tibi victrices decus immortale sagittæ.
Qveis notat erectum Crux geminata stylũ.
Non humilis te meta decet, prænobile telum,
Qvod super astra Tuo niteris ire situ.
Defuerit sed meta Tuæ si forte sagittæ
Pulchra volaturæ meta Cor urbis erit.

Turres.

TUrres has vides? munimenta Patriæ sunt propugnaculis Semiramidis potiora. Nec ad Pharum Ægyptiam Polonia aspirat, dum hanc domesticam habet, qvæ certiori tramite ad portum Boni Consilii provehit, qvam illa in mari.

Nescio an non in harum Turrium Encomio reponi debeat qvod Philostratus de Turri Sapientum Indiæ ad Hyphasidem amnem sita, qvam nec mille Achilles, nec ter mille Ajaces expugnassent, imò & cælestibus præsidiis munita erat, & fulminum terroribus circumvallata.

Obeliscos non curamus veterum, nec Memnheos miracula Pyramides, nec Colossum Rhodium: ridenda hæc caduca sua mole & cinere, in vem desiêre. At vero Turres has extra ruinæ & fortunæ pericula posuit certa immortalitatis tot Heroum gloria.

Corollarium ad dicta de Stemmatibus I.

IN concursu plurium Procerum subinde con-

tingit, ut plura eorum ſtemmata una Oratione ſint attingenda, cujus rei exemplum hic addo:

Sic ad illam Propoſitionem: Veſtra Magni hoſpites Gloria perennabit, accommodantur eorum inſignia: Neſciet unqvam Veſtra interire Gloria, cui Labarum hoc triumphale expanditur, oppugnatura Procerum nomen oblivio vel in hoc ſigno vincetur. Sed nec Luna Ducalis ullas vobis offundi tenebras patietur in hoc Luna cœlite ſuperior; qvod immutabilis ipſa conſtanti Serenitate Patriæ affulgeat. Qvanqvam & Accipitriorum alis altius evectum terrenæ metas Gloriæ effugiet veſtrum Nomen, & Leo flammeus Zodiaco dignior præ cæleſti, melius pro Veſtra Gloria excubabit qvam Draco ille vel taurus æripedes pro vellere aureo vel Heſperidum hortis vigilarint. Scutum inſuper vobis contra oblivionis ictum dabit avitum ancile Romanorum ancilibus vel Scuto Perſei præſtantius: Aliorum Soleæ iter vobis ad immortalitatem munient, & veſtigia poſteris impreſſa nunqvam aboleri ſinent: Sagittæ recta ad immortalitatem Nominis collimabunt. Faſciæ nobiliorem Cœleſti vobis accendent Zodiacum: Cruces avitæ conſecrant. Roſæ & lilia veſtri famam Nominis efflorescent. Tumulus nunqvam emori, Haſtæ potiores palladis vel Alexandri haſtis, à perennis gloriæ metis vos nunqvam exerrare volent: Deniq; nec Arcus ſine præſidio, nec Gradus pennis inſtructi extra certum ad Famam immortalem iter, vos eſſe patientur.

Coro-

Corollarium II.
De claris Natalibus.

DE his cùm Orator civilis non rarò agat, ad hæc advertat.

II. Laudem hinc augeri posse, ut patet in lugubri cujusdam comploratione, in qva sic dicitur: Gentilitiam si lubet, Parentalis dolor, extincti Herois Gloriam perscrutare; Crescet hinc luctus materies ubi à præcelsa stirpe tam nobilem plantam noveris præcisam: Neqvit enim non luctuosum esse eos mori, qvibus tam splendide nasci contigit: æqvè tristior occasus afficit, ac ortus serenior recreabat. Crescet & funebris pompæ nitor à tanta majorum luce, qvæ latere ab occasu incipit, non lucere.

Ad similem Panegyrim illa spectant: Non faciliùs laudem cujusqvam ad maxima, perduxeris, qvam si à majoribus incipias. Vix pulchrius coloratur Oratio qvàm ab imaginibus Majorum; Vix cuiqvam svavius inhæret Eloqventia, qvam avorum Ceris. Tamen fundatior sangvinis status summis se tuetur non primis Item: rapitur ad suorum Gloriam insignis indoles.

II. Timendum, qvod timebat Romanis Plinius, ne in eorum domibus qvidqvam pulchrum cerneretur, præter imagines Majorum & picta fictaq; virorum simulacra. Certe animus non genus nobilitat, adeoq; licet cuiq; supra Fortunam assurgere. Imò pulchrius est Magni Nominis auctorem esse, qvam hæredem; maximè cum per-

ſæpè augeant poſterorum faſtum Majorum faſti. Rarus qvi Majorum Gloriâ illuſtriorem faciat ſuam; ſed cum illuſtres habeat avos, ipſe obſcurus eſt Nepos. Sed turbidum rivum non commendat perſpicui fontis latex limpidus: imò infamat improbos Majorum Gloria; & degeneri ipſa nobilitas ignominia eſt. Optimum qvemq; nobiliſſimum puto, ait ille planè ad Satyrici ſenſum juxta qvem

Nobilitas ſola eſt ac unica virtus.

§. II.

Supellex Eruditionis & Alluſio ad bona triplicia, qvæ Oratori Civili laudanda occurrunt.

TRiplicia, inqvam, id eſt, Animi, Corporis, & Fortunæ. Etſi hîc potiſſimum Bona animi perſtringuntur, nempe Virtus & Scientia. Illa proprium hominis bonum eſt Tacito, eadem ceu qvid immortale contingit mortali juxta Latii Sapientem, atq; in omnium animos ſuum lumen immittit. Hæc illa eſt poſſeſſio & qvoddam Cornucopiæ; nam (ut Decima Muſa Plautus) omnia adſunt bona, qvem penes eſt Virtus: Hoc ſcutum Ajacis clypeo longe fortius; nam adverſus Virtutem etiam tacente Seneca hoc poſſunt injuriæ & calamitates qvod adverſus ſolem nebulæ.

Nec laudatore virtus eget ipſa ſibi Orator, ipſa

ipsa omnia. Hinc Oratorum Consul: Conscientia, inqvit, Virtuti satis amplum est theatrum. Hinc & Stiliconis Encomiastes:

Ipsa qvidem virtus pretium sibi, solaq; latè
Fortunæ secura nitet, nec fascibus ullis
Erigitur, plausuvé petit clarescere vulgi
Nil opis externæ patiens, nil indiga laudis
Divitiis animosa suis.

Tamen illud Innocentii III. non excidat qvi ad oleæ & palmæ ramum in monte depictum apposite addidit: Ardua Virtutem. Nec illud Constantiæ Principis Sulmonensis, qvæ duas metas Romanorum, unam Victoriæ, alteram Virtutis in medio sitæ depingi jussit adjecto Lemmate: Nec citra nec ultra: Nempe qvocunq; & qvantumcunqve à Virtute deflectas, extra Virtutis decus es.

Laudandi à prædictis triplicibus bonis fontes indico. *Primo* sunt Aloysii Juglarez Elogia Politica, inter qvæ sunt Elogia Ludovico XIII. Galliarum Regi ejusqve Virtutibus inscripta. Item Panegyricus Plinii, qvo vix qvisqvam felicius bona prædicta in Principe dilaudat. Item Panegyrici à Neotericis Oratoribus conscripti. Tolle, lege.

Eruditiones huc pertinentes affatim tibi dabunt Monita & exempla Politica Justi Lipsii: Item Aphorismi Politici Chokieri. Ne tamen nihil ipse dicam, aliqva obiter attingam.

Bona animi.

I.

INter hæc primo loco Virtutes repono qvas inter iterum Principe loco ponetur Religio seu cultus Numinis & Divorum; qvæ qvidem Virtus Regum & Regnorum basis: nam certissimum mansuræ felicitatis omen est, ire in cultum Numinis etiam toto divitiarum apparatu. Hinc Veritatis illa non Justiniani vox fuit: Id qvod in religionem Divinam committitur, in omnium ferri injuriam, adeoqve fluctuare Reip. navim, mota hac Anchora, qvod Famianus bene præmonuit. Qvidni & in solio Virtus hæc emineret, qvæ solia Regum beat? Adi Galliam, Ludovicus Tibi se offeret, qvi bis arma cæpit in Ægypto pro aris, & in Africa vitam Religioni devovit tuendæ. Adi & Hispaniam, hæc tibi Alphonsum dabit contra Mauros arma pro religione capessentem. Nec Imperiales Aqvilæ hic segniores: Carolum Magnum recole, & Germaniæ hic primas concessisti. Nempe is in Italia ter religionis hostes ferro aggressus eodem lauros messuit meruitqve. Ne taceam Rudolphum Austriacum Sceptris regnisqve Cœlitus destinatum nomen ob impensum Sacerdoti Sacram hostiam ultimum ægro solatium deferent, obseqvium. Pir hic Rudolpho Michael Rex Poloniæ, de qvo illud Oratoriè: Novum in Te Rudolphum orbis viderat, qvo primum Principe Occidentis Imperium Austriacam ado-

adorare cœpit, nec adhuc adorare desinit pietatem. Habet Te ille prope jam æmulum in Fortuna qvem habere visus est in virtute. Præiverat is Tibi in profundo Eucharisticæ Divinitatis cultu, eqvum Sessori DEO plena officii religione offerens, qvi ante asellum insederat: Sed præiverat tantum, solumqve inter Te ac Rudolphum temporis discrimen intercesserat, non virtutis. Primus hâc ille inclaruit, at non solus habiturus etiam Te ideam, nisi ætatem hanc, qva novos Orbi Rudolphos excitas, paucioribus seculis præcessisset. Incideras in potiorem qvia non Cœli, sed Dei bajulum Atlantem: Suppuduit celsius vehi terræ qvam Cœli Principem, pedestre officium eqvi obseqvio placuit immutare, satis decorum arbitranti, si Altissimum adhuc eqvitandi usu redderes altiorem.

Pulchrum est si cui illud Ludovici XIII. qvadret, qvi DEO devinctissimus ubiqve vixit tanqvam ad aras Sacerdos, cavens ne qvid ageret inter homines DEO teste non dignum: Non ideo minus obseqvens DEO, qvod omnibus imperaret, cujus Gloriam crebris alebat jejuniis &c. &c.

Pulchrum, si Symbolica flammæ inscriptio Tibi conveniat: Nunqvam deorsum; non ut rubus, qvi in terram, unde exiit, capite infigitur; ne exclamet iterum Persius:

O pronæ in terras animæ & Cælestium inanes!

Basilicum illud Edmundo Sexto Rege Britanniæ

tanniæ dignum profecto Symbolum, orbis catenatus ex Cœlesti manu dependens, cui additur Lemma: Nil sine Deo. Illud vero purpurato Cœlite dignissimum Carolo Borromæo, qvi cervo fontem adversus venena angvium qværenti opportune addit: Una salus. Haurire is nempe solitus de fontibus Salvatoris.

Illud verò qvàm pulchrè veritati concinit, nempe Cythara sine fidibus cum Lemmate: Vis vitam tollere? tolle fidem. Geminum illud proximè posito, nimirum chelys cum rupta una fide & Lemmate: Qvo reliqvæ, si me deficit una fides?

II.

ALium jam nobis fontem eumqve uberem aperit Munificentia. Liberalius ergo ingenio indulgendum, ubi ad liberalis dextræ ingenium deventum est; præparcum non decet esse calamum, ubi & manum parcam esse pudet. Mecœnatem nactus cum sis, cur non subito Maronis ingenium induas? Munificentia cujusdam sic extollitur: Utinam è munificentiæ Tuæ alveo æqvè dicendi venam haurire ac beneficiis liceret! totam pæne Titi gloriam exhausisti, ita beneficentiæ Genio assvetus, ut nec horam perdideris uti Titus diem. Oceanus est, qvem affundis, non modicus latex Gratiarum, adeoq; pluribus qvam Ægypti flumen ostiis à Te exeunt congiaria illud habente cum Trajano commune, qvod ea impertias è Tuo.

Inge-

Ingenium an liberalitatem mirer Ducis Terræ novæ qvi Oceanum pinxit cujus vastum gurgitem Sol haurit qvidem, tamen illi addit: Non exhauritur. Mirum qvam hoc Symbolo exacte munificentiæ ingenium exprimatur! Meminit Scipionis Africa, cujus armis periit: meminit & Roma, qvam post Carthaginem, auro oppugnavit, in forum qvotidie descendere solitus, nec inde prius se domum recipiens, qvam aliqvem beneficio affecisset.

Altius profecta est liberalitas Constantini, qvi hinc etiam magnus, qvod malle se Regnum, qvam liberalitatem amittere dictitabat.

Scribit adhuc immortale Elogium & Boleslao Crivousto manus aurea, qvam Zelislao Duci contra Moravos strenuè dimicanti pro manu in prælio amisso reposuit contulitq; Nam Alexandri effatum notius est, qvam ut referatur, qvi ubi thesauros reconderet, rogatus, amicos ostenderat.

Facit huc iterum mare cujusdam ripis exundans cum Lemmate. Me copia ripis extulit. Facit & Sol cum Lemmate: Omnibus exorior; Qvod Plinius in suo Principe exaggerat: Omnia perfudisti ut Sol & dies, qvi non parte aliqva, sed statim totus, nec uni & alteri, sed omnibus in commune profertur.

Eximium plane si de te qvoq; dicatur: Qvi Colonias gratiarum secum ducere videbatur, Insulam qvamcunq; Fortunatam efficere potuisset, ærumnas aliorum scire avidus, ut eas leniret:

negligere opes, nisi qvas erogaret, plura appe-
tens qvo dare plura posset: Nihil in sua æstimam
Fortuna qvam qvod prodesse deberet miseris, fe-
licibus posset: deniqve qvidqvid Fortuna po-
tuisset eripere, lucrum fecerat Virtutis; id unum
se habere arbitratus, qvod in alios effudisset.
Hinc qvi miserorum oculos siccavit vivus, hume-
ctat mortuus. Theodorico Regum gemma hæc
consigno qvi dicebat: Exeunt à nobis dignita-
tes, qvasi à sole radii. Ut taceam invidendum
illud Ludovici XIII. Elogium, de qvo hoc unum
qveri potuit Gallia, qvod Solatia non dederit diu-
turna, qvi dedit maxima.

III.

POst prima in Principe Sidera, ad regnorum
Solem (Justitiam sic vocat Lipsius) aciem
converte. Hæc illa virtus est, qva remota qvid a-
liud regna sunt nisi magna latrocinia, ut monuit
Hipponensis Antistes? Cogimur proinde assen-
tiri Tullio jus & æqvitatem esse vincula civita-
tum, & Imperium reddere diuturnum asserenti.
Qvid hîc veterum Annales in tantæ Virtutis ex-
empla excutiam? Hic Tibi statim Seleucus oc-
curret, in filio adultero legem à se latam: hîc
Charondas in se ipso legem sanciens. Hic pugio
Trajani contra se illum dantis, si non recte im-
perasset; pro se, si rectè. Hîc Commenus præ-
sides illud commonens: Aut injuriam aut vitam
relinqvite. Hic iterum Trajanus, de qvo illi-
us Orator: Magnificum est qvod Te ab omni
con-

contagione vitiorum reprimis ac revocas; magnificentius qvod Tuos: Qvanto enim magis arduum est alios præstare qvam se, tanto laudabilius qvod cum ipse sis optimus, omnes circa Te Tui similes effecisti Pulchrum Principi, si in Ludovici XIII. laudem immigret, qvi non ideo neqvitiam oblitus plectere, qvod totus esset in ornanda virtute; Cavit maxime ne aliena dissimulando flagitia, faceret sua. Unica illi norma regnandi fuit, ad honesta pellicere magnis præmiis, deterrere à flagitio magnis pœnis: bene collocavit beneficia, nec male supplicia; eo Principe tam bono non licuit esse miserum qvam malo felicem.

Omne ferret punctum, qvi Petri Aloysii Caraffæ stateram exprimeret cum Inscriptione: Omnibus eadem. Vel libram cui additum: Consistam in æqvo. vel Antonii Maruffi speculum cum Lemmate: Cunctis æqve fidum. Neq; Pii III. annexum Oleæ ramo flagellum rejicies cum Lemmate: Pœna & præmium. nam pleriq; (quod de campana & asino apte dictum) sine verbere cessant.

IV.

SOli Regnorum Lunam adjungo: Clementiam intellige; & hæc tenenda. nam crebra punitio vilescit & amittit assiduitate authoritatem; imo & irritat scelera, videbitq; ea committi, qvæ sæpe vindicantur ut pridem monuit Seneca, nempe & arbores qvædam recisæ repullu-

lant. Qvid qvòd acer timor vindictam excita
qvod non minus Principi turpia sint multa sup
plicia, qvam medico funera? qvod sævitia plu
timoris qvam potentiæ addat? Ergo

Regnare qvi vult langvida regnet manu,
Nam peragit tranqvilla potestas.
Qvod violenta neqvit mandataqʒ; fortius urg
Imperiosa qvies; ut benè Claudianus.

Audi Plinium: Princeps maxime timeat, ne
meatur. Audi & Tacitum: Rex apud populare
inqvit, amorem, metum apud hostes qværat;
primam domi inter manubias ducat sævitia
Audi Alexandrum nomine non re Severum;
di hortulanum, qvi à radice olera exscindit.

Macte Pericles, vel hinc Olympii nomen m
ruisti, qvod nemo tua opera puliam vestem
duerit.

Eximium id si in te qvadret illud Biantis:
meant subditi non illum, sed pro illo

Regem insuper apum exprimat Princeps
inter apum Satellitium solus sine aculeo est, e
qve superat Majestate tantum, nempe illi (qv
ait Seneca) Natura telum detraxit ac iram ej
inermem reliqvit. atqve hoc Symbolo utebat
Franciscus Medices Dux Hetruriæ.

Hinc jam scies credo qvid velint Ægyptii, du
Hippopotamo (qvi crudelitatis est hieroglyphi
cum) in infima parte Sceptri effecto Ciconiam
superaddunt in summitate ejus Sceptri, qvæ uti
qve lenitatis pietatisqve Symbolum fuit.

Deniq; viderit, ut in eum etiam laus illa pos
si

sit cadere: Expressit Principem, melius fortasse amantissimum Patrem, etiam iræ suæ, non tantum rerum Dominus, qvi cum placatus non posset esse sceleribus, adhuc mitis esse studuit sceleratis: Ad veniam pronior, qvàm pœnam, & paucorum supplicio, utilis Universis: Qvin & pertinaciam jam armis edomitam adhuc beneficiis expugnabat.

V.

HInc transio ad Temperantiam cuivis luxui moderantem. Hic se offerunt Patinerii Principes & gulæ mancipia, Vitellius qvi natus ad hoc videbatur, ut biberet, ederetvé, non viveret. Item Heliogabalus & Nero, qvi nunqvam bis eandem vestem induit: item Ottho, qvi in castris etiam prælio imminente ad speculum fucare faciem, capillos componere solebat, qvasi nuptias initurus non certamen. Qvid hic memorem Luculli cænas, uniones Cleopatræ, Claudii luxum, qvi singulis convivantibus ovum sorbile ex auro, ut Vitellius panes aureos invitatis apposuit. Recte exagitat cænas Romanorum immoderatas Seneca? putasnè hos vivere, qvi ad faces & cereos epulantes, funus jam prope suum deducunt? Temperantior Severus Imperator qvi viris gemmas non esse usui dixit. Augustior adhuc inde Augustus, qvod in cultu vestium modestior, imò nitidiorem amictum Superbiæ vexillum & luxuriæ nidum vocavit. Meritò iterum Sarbievius occinat:

Surgemus? an nos distinet aurea
Mensæ supellex qvos manet (heu dolor!)
Hæc mensa convivas? is auro
Nempe bibat cui dulce ferrum est.

Qvotus est, cujus palato ita Virtus arriserit, ut præ illa omnis illi voluptas desipiat? qvotus, qvi Regium illud Elogium in se transferat Ludovici, qvi omne genus armorum noverat præterqvam Cupidinis arcus; execratus probrosam libidinum authoritatem, qvæ Reges etiam facerent servos sibi. Temperantis & illa laus est: Plus ille ceræ qvam siceræ absumsit; delectabile id tantum radus, qvod honestum. Orbatas sideribus noctes suis illustravit vigiliis, Solis placavit jejuniis famem, ex divite ac delicato epulo nihil præter sui Victoriam solitus delibare, contentus Voluptate, qvæ recte factis inhiaret, imò solas à vitæ difficultate qværens delicias. Non ille corpus insano luxu operuit, non vestes gemmarum flammis accendit, non Phrygio figurarum textu ludentisqve artis commento emollivit sericum; cum alii serenitate purpuræ everberarent oculos, intra serici auro fluentis vincula gressus frangerent, fulgerent purpura, niterent ungventis.

Assume si placet in Symbolum, globum excussum in lanam incidentem, & Lemma adhibe: In molli frangitur. Vel certè aviculam in cavea cum pabulo, adscripto Lemmate: Ad modum necessitatis. Vide item, ut eqvestris elegantiæ jactantiam carpat Sarbievius lib. Imo.

VI.

VI.

HInc ad Modeſtiam devolvatur Oratio. Multus hic Plinius dum ſui Principis moderationem dilaudat. Eosdem nos Tu, inqvit, eundem te putas, par omnibus & hoc tantum cæteris major, qvod melior. Vidimus Tuos humeſcentes, oculos, demiſſumqve gaudio vultum, tantumqve in ore ſangvinis, qvantum in animo pudoris. &c.

Umbras hic aliorum laudibus effundet Ludovicus XIII. qvi ſolem indutus adhuc latere ſperaverat. In tanta opportunitate de ſe loqvendi unicum ſuis virtutibus ſilentium exegit ac imperavit.

De Trajano iterum ad Plinium recurre Patris Patriæ titulum detrectante. Nempe qvidqvid leve ac inane in animo eſt, ſecunda aura ſe ſuſtollit ut ait Seneca, at

Vera laus ſciri fugit: ipſe Sarbievius: *pulcher*
Se ſua Titan prohibet videri
Luce, qvi totus potuit latere,
Major habetur.

Non uni oggerendum eſſet qvod Archidamus Philippo Victoria inſoleſcenti: Metire umbram Tuam, nihilo reperies auctiorem.

Illuſtris umbra fuit, ex qva inclaruit Alexius; Hinc bene de illo Poëta:

Ignoti major laus eſt & gloria Alexi.
Nunqvam tam celebris, ni latuiſſet erati

Bom-

Bombycem qvisqvis es, qvisqvis ſapis, imitare, qvi operitur dum operatur: Imitare & ſolem, qvi ſpectatur dum deficit: imitare & teſtudinem modeſti animi Symbolum, cui apte nonnemo adſcripſit: Sub parvo, ſed meo: Imitare & Lunam decreſcentem cui adjicitur: Lateo, non minuor. Ad extremum imitare grues injecto ori lapillo prætervolantes qvibus inſcribitur: Tuta ſilentia.

VII.

FOrtitudo ſuccedat tam animi, qvæ in ferendis cujusvis Fortunæ & fati ictibus ſita eſt qvam corporis.

Qvoad primam: Proſtratæ Virtutis es, ſi ſub qvovis ictu Tibi ſuccumbit animus. adverſis virtus erigitur, adverſis alitur, in eqvuleo proficit, nervo roboratur, canit in fidiculis, triumphat in cataſta. Hæc virtutem conſolidant, & infractum animi robur produnt.

Huc ea pertinent qvæ Ode 3. lib. 4. Sarb. de Regno ſapientis:

Beatus à qvo non humilem gravis
Fortuna vocem, non tumidam levis
Expreſſit unqvam &c. &c.

Princeps ille Gallicus omni auſus hora provocare Fortunam, conatus ejus omnes ita contempſit, acſi ſe illis obnoxium neſciret; ſepiſ loricatus omnia præivit in diſcrimina.

Juvat afferre Belgicorum Patrum Symbola qvibus nil illuſtrius in hoc argumento.

1. Pin-

1. Pinxerunt laurum cæsam ad Coronas, ad triumphos cum Lem. Cæsa triumphat.

2. Typotheta imaginem in prælo imprimit; Lem: Fingitq; premendo.

3. Monetarius nummum format cum Lemmate: Dant pretium plagæ.

4. Chalybs ad silicem ignescit cum Lem: Percussus concipit ignes.

5. Vites sub terra conditæ. Dum condor, fæcundor.

6. Pannus minutis sectionibus ornatior cum Lem: Multo vulnere pulchrior.

7. Organum pulsatum harmonicè plaudit cum Lemmate: Multo fit plausus ab ictu.

8. Avis chartacea vento adverso in sublime fertur cum Lemmate: Præstant adversa secundis.

9. Bilanx una lance depressa cum Lemmate: Vis eadem attollit, qvæ deprimit.

10. Lebes occlusus igne supposito cum Lemmate: Clausus magis æstuat.

11. Horologium cujus pondera descendentia alia elevant cum Lemmate: Descensus juvat ascensum.

12. Arca Noë, Lem: Surgit surgentibus undis.

13. Vasa navi periclitante in mare projecta, cum Lem: Jactemur, modò prosimus.

14. Adamanti in annulo additum Lem: Durat & lucet: qvod est Matthiæ Regis Ungariæ.

15. Igni ventis aspirantibus agitato. Lem: Con-

Contraria juvant; qvod est Ludovici Ursini Du-
cis.

16. Soli sub nubibus emicanti Lem: Obstan-
tia nubila solvet. Deniqve ne longus sim, Sca-
volam foco arderi manum injicientem acci-
cum Lemmate: His graviora. Hucusq; fortitu-
dinis Symbola, qvæ ad animum adversis infra-
ctum pertinent.

Qvoad fortitudinem corporis & bellicam,
hac acutè laudari poterit qvicunqve hac virtu-
cæteris supereminet: Rudimenta militiæ posu-
Victorias, nunqvam Tito; anteqvam bella disce-
ret, jam docebat. Sæpe ingenio experientia
supplens, cum nullas adhuc haberet à fama su-
petias. In summa auri copia mirum unde fe-
amorem traxerit, imò prospero ferre usu seculu-
fecit aureum. Totam vitam exegit in arm-
nullusqve ei mensis non Martius, qvietem qva-
daret Patriæ ademit sibi, armis suis uni semp-
militans paci. Mutatis sæpe conflictuum init-
nunqvam fine, etiam orbatas sideribus nocti-
pluribus victoriis illustravit. Ubicunqve h-
stem invenisset æqve fortiter sustinens ac lace-
sens, nec deterius monte qvam campo usus, d-
cuit Ducem Virtute non locorum Fortuna be-
lum decernere. Deniqve Fortitudinem ejus
Modestia tegere mundo non posuit; ejus stigma-
ta gessit in vultu, qvo vulnere magis ejus fac-
qvam æqvanimitas læsa &c.

Elephantum Vir fortis imitetur, qvi morsu-
pulicum nec sentit nec curat, dicatq; illud ex Lu-
cano:

Di-

Dignum te Cæsaris ira
Nullus honor faciet.

olenne jam votum est cum Philippo II. Hispa-
no Rege, ut tot Zopyros seu viros fortes appre-
emur qvod in malo granato aperto grana con-
piciuntur. Solenne & illud Marchionis Va-
tii: Deficiam aut efficiam: qvod ille anseri
ramen carpenti adscribit. Nec illud tacendum
espasiani Gonzagæ Lechico adjectum. Decus
tutamen in armis. Laudes Victoris hostium
abit Arcus Pacis, Trophæum Regale, pluresq;
iis recentiores.

IIX.

Apientiæ laudibus abstineam; non ita me-
ruit, qvæ mentes nobis imbuit excolitq;. Apa-
e Licini; Virus est qvod effundis, dum virus
eipublicæ literas esse dicis: Sic enunciandum
rat, ut liberius desiperes. Melius literas amant
ventq; qvi digna literis gerunt.

Basilice Rex Neapolitanus Robertus: Cario-
es, inqvit, mihi Regno literæ. Non hic desi-
uit, qvi laurum auro præposuit, & caput gerere
naluit qvam Coronam.

Par votum ut & idem Sceptrum Alphonso,
nisi qvod exaggeratius diceret, Malle se omnium
Regnorum jacturam facere, qvam minimam do-
ctrinæ. Hinc & liber apertus ejus fuit insigne;
& contra Regem Hispaniæ, qvi non convenire
Principibus literas censebat, dixit: Vocem hanc
bovis esse, non hominis.

Taceo

Taceo Alexandri Homerothecium: Taceo Julii Commentarios, Ajacem Augusti, Theodosii Ellychnium: Dionysii laureatam navem Platoni præmissam: tamen non tacebo Æneam Sylvium (alias Pium II.) cujus effatum est: Sententias in obscuro homine esse argentum, inferiori aurum, in Principe gemmas pretiosas.

Qvid dives indoctus? Aureum mancipium. Asinus coronatus, vel ille, asellus Æsopi statua aurea à se lata superbiens.

Facundi Senatoris est laus illa apud Claudianum:

Jam tunc canicies animi, jam dulce loqvens
Pondus & attonitas sermo qui duceret aures
Mox undare foro victrix opulentia lingvæ
Tutariq; reos oracula Regni
Eloqvio præbere tuo nec dignius unqvam
Majestas meminit sese Romana locutam.

Artium liberalium & Scientiarum in particulari laudes pertractare supersedeo: nam hic non unius voluminis esset labor.

PARS

PARS PRIMA
Svadæ Civilis.

SUpra innui Civilem Svadam duplicem: aliam, qvæ ad Officiosas Orationes refertur, aliam qvæ ad serias: nam in utrisqve Civile ingenium & Urbana polities elucet. Primo ergo agendum erit de orationibus Officiosis, ac in illis Orator Civilis formandus.

Caput I.
De Officiosis Gratulationibus Festorum in Orbe Christiano celebriorum.

MOs jam urbanior obtinuit, ut etiam hujusmodi festivæ ac solennes instituantur Gratulationes: ego illas ad certum ordinem redigam, sit igitur

Sectio I.
De Gratulationibus Natalis CHRISTI.

NAtalis Verbi urget, ut ab his ordiar, & ipsæ Oratorem lacrymæ infantis Verbi provocant ad Natalitium præsepe. Hic ergo subsistam. Sacro Pusione & Fasciis non alio qvam ad Magna-

gnatum & Mecœnatum animos arctius Tibi d
vinciendos progressurus.

§. I.

Materia & modus scribendæ hujusmodi Gratulationis.

QVoad primum: Materia harum Gratulâ
num hæc est: Communi orbis lætitiæ
plausibus additur specialis plaudendi ratio du
à Persona cui peroras & à Tua. Item læta
omnia & plena boni ominis atq; apprecationu
Præterea laus obiter inspergenda Mecæna
Sed in hujusmodi materiam, qvoad fieri po
trahendæ sunt festi circumstantiæ, ex qvibus
pe non levis sumetur impetus & acumen.

Qvoad modum primus & optimus est per
lusionem ad festi Adjuncta & Circumstantias
rivato ex illis impetu & acumine. Impri
dabunt acumen & impetum Fasciæ infanti
1. Etiam Fasciæ Verbi mentem mihi devinci
cum lingvam relaxant. Tam infantem
qvam Clientum arctant animos, nec facile
bus è vinculis sese expedit imbecillitas &c. &c.

Alius impetus: Vel in Fasciis infantis
nodus Gordio non absimilis occurrit, cum
va lingvas & calamos urget difficultas, Tibi
natalem Verbi, an Te Patriæ Tuæqve stirpis
spitem gratuler &c. &c.

3. Impetus: Fasces qvos Tibi Virtus detu
eti

tiam ipse venerari cogunt Fasciæ. Tam in Verbum illæ vincula qvam in mentes conjiciunt &c. &c.

4. Impetus: Infantiles Fasciæ novum in terris describunt Zodiacum, qvi Cœli Fascia qvædam est. Evolvo novus augur omina ex hac fascia, & descripta in Zodiaco sidera de Tuis consulo successibus novus, sed sine superstitione astrologus. Horoscopus hic vitæ est &c. &c.

Dabunt impetum acumenqve & Lacrymæ vagientis DEI, v. g. Lacrymæ vagientis Verbi mihi venam dicendi aperiunt, & in calamum ulterius influunt benefico sane influxu. Nec tamen Tu inde nihil durabile speres, etsi lacryma nihil citiùs arescit; Major vis inest illis ac pondera vocis; nam etiam lacrymæ pondera vocis habent. &c.

Vel sic: Gemmeum polliceri seculum cogunt Verbi lacrymæ: Guttæ illæ merissimæ gemmæ sunt, qvæ ex oculis cadunt: nec viva illa crystallus alium exsudat rorem, qvam qvi in gemmas facile coalescat.

Etiam ipsa Verbi Infantia hunc daret impetum dicendi: Vix qvidqvam maturo elaboratum ingenio à me speres: pudet hodie maturum esse, cum DEUS ipse puer est. Qvamqvam in Tuis laudibus nemo non infans, qvarum magnitudo omnem dicendi absorbet ac præripit apparatum. Etiam natalitia caverna ejusq; loci Circumstantiæ huc attinent, ubi vel ipse fellus Verbum agnoscit. Ad fænum alludendo

dice-

diceres: Si pridem mihi affectu pectus incalui hodie ad fænum Bethlemiticæ cavernæ is cal invalescit. Ex præsepi sic inciperes: Præsep Verbi brutis pabulum, Oratoribus jam præbe facundiam, nempe in hoc præsepi Verbum es qvidni hinc dicendi crescat apparatu?

Secundus modus. Per Allegoriam vel tempo ri vel stemmati Mecænatis vel alicui eventui co gruam.

Tertius modus. Ab Eruditione desumpto i petu qvæ mox afferetur.

Potest item (qvod commune est omnibus C rationibus) tractari hujusmodi Oratio nunc p Syllogismum, nunc per Enthymema, nunc expolitionem Oratoriam, nunc sumpto initi communi loco & Sententia.

§. II.

Eruditio ad prædictas Gratulationes spectans.

LIbet imprimis te hic Sententiis instrue Primam offeret Plutarchus. Plures, inq ille, Orientem solem venerantur, qvàm occide tem. Senecam in illa Sententia agnosco: S licita magni pretia Natales habent. Et in ill Est aliqvid, qvod ex Magno viro etiam tacen proficias. Nec Naso hic incongruè:

Dii qvoq; ut à cunctis hilari pietate colantur,
Tristitiam poni per sua festa jubent.

Accinit Tibullus Vati Tomitano:

Luce Sacrâ reqviescat ager, reqviescat ara
tor,

Et grave suspenso vomere cesset opus.

Requiescat arator, non item Orator, calamiqve vectigales. Idem in laudem celebrioris diei canit:

Venit post multos una serena dies;

Qvod non dissimile Nasonis metro qvi ait:

Nube solet pulsa candidus ire dies.

Huc & illud refer: Difficile est dissimulare gaudia. prout etiam secundum Poetam:

Difficile est tristi fingere mente jocos.

Nec effatum Petronii præteribo: Die feriarum, inquit, etiam lugentes rident. Neqve Diogenis, cujus Sententia, qvilibet dies viro bono festus est.

A Sententiis ad aliam Eruditionem transgredior.

REgni omen in manu gerimus si hodie Phœnicensium placent arbitria: pulchro hi seum colluserunt ambitu, qvis eorum primus solem videret Orientem, eò qvod in Regem is esset adoptandus. At Sol hic in Bethleemi Zodiaco Taurum inter & Virginem exortus, æqvè omnibus se spectandum exhibet &c. &c.

Jam hodie fabula non est, qvod fabulose arrogaverant sibi Æthiopes. Solem apud se commoratum finxêre, cui mensam apposuerint hospitalem. Eventus nobis servabatur, illis fabulæ solatia: Sol jam in terris non hospes, sed incola, sed civis; nisi qvod illum inhumanius excipiat tellus, qvam in fabulis Æthiopes.

Genethlia Palladis & Saturnia qvam illustri nempe nata Pallade ferunt imbrem aureum c los pluisse: nato item Saturno ætatem aurea fluxisse. Qvam pulchra Poëtarum somnia! (na se in Parnasso somniare ajunt teste Persio) sed s mnia tantùm. Orta in terris verior Sapie non auro, sed toto Cœlo pluit, & extra somn ætatem parit auream.

Excedit merita gestorumq; Gloriam ille tus Tito & Gordiano Imperatoribus titulus, Amor & deliciæ generis humani dicebant Qvod nato DEO Infanti qvis nesciat longe ptius convenire? Unde qvod de Athenien proditur, eos festum Amoris celebrasse, po in diem hunc festum id cadit convenitq;.

Adhuc veterum monumenta refodio, & P cipum fastos revolvo; in qvibus dies, qvo xes natus, à Persis Titan est appellatus. In iis leges qvod Parthi diem, qvo Arsaces Seleuc vicit, ceu initium Libertatis fœlicem obser rint. Hic profecto dies humanæ initium Lib tatis dici meruit!

Huc spectant prodigia qvæ sub Christi N lem contigere, qvæ etiam peracute Aloy Jugl. in Elogiis prosequitur. Primum: inter spicas apparuit coronatus. 2. Fons olei R mæ eripuit. 3. Engeddi vineæ floruerunt. 4. Tr Soles in Cœlo visi. 5. Saxa lacrymis simile guttas effuderunt. 6. Templum Pacis Rom corruit.

Sym

Symbolis Eruditionem concludam.

ALtissimæ Paci, qva Orbis perfrui visus sub Christi Natalem, congruit Alcyon avis cum Lemmate: Cœlo concepta sereno. Nam hæc ales tunc nascitur cum summa est in mari malacia. At Augustus orbem pacaverat, cum orbem ingressus est Princeps Pacis ita DEO pax cordi, pax in votis & amoribus est.

Ad vota & apprecationes hic Solennes apte inserviet Joannis Baptistæ Comitis ab Arcu Iris seu Cœlestis Arcus in Cœlo à Sole descriptus, qvi eo major, qvo Sol altior, cui adjecta Inscriptio: A magno maxima. Hic qvidem qvi oritur Sol, pusillus est; nempe huc etiam iste decrevit Gigas! Sed tamen magnitudinem suam non exuit; etiam in Puero Gigas est. Hic ergo tibi optima, hic dabit maxima iste ter optimus ter maximus.

§. III.

Gratulationes Natalis Christi.

I.

VAgiente inter fasciae & lacrymis perorante Verbo (nam disertus est etiam dum vagit Amor) obstrictæ mentis munus vicesqꝫ magis peragit taciturnitas M. D. Pudet elingvem esse hanc affectuum Officinam, ubi vel ipsa DEI nascentis infantia sic diserta, taciturnitatis leges abrogat, dum altissima noctis silentia va-

gitu intercipit. Disertum est Amoris ingeni um, nec semel duntaxat lingvis pluit. Ego vel in elingvem statuam transiissem, saxum hodie subito lingva foret. Sol in Palæstina Cœlo exoritur, qvidni saxeus hic Memnon iterum sonet, discatqve afflatus radio lapis sonum edere magistro Sole? Sint hæc extra fabulas prodigia, ne pauciora hodie in lingvis statuis qvam in verbo coruscent miracula: Absit cætera loqvendi illicia, vel id unicum, Harpocratem ab ore proscribit, qvod continuam felicitatis seriem, qvæ nondum metam attigit, Divinum perduxeris Natalem, inter summ Patriæ Cives efflorescens, cum inter illos inscribitur DEUS Civis. Communis hæc nec qvos tantum contingit, alios præterit felicit sed mihi non communis gaudii venam aperi dum Tuæ pulchro fædere innectitur Sospit Geminatus animum pertentat Voluptatis sen DEO in terris hospite & Te incolumi; cujus momentis mea circumagitur Fortuna, sic inte ditur gestientis animi serenitas. Intendes tadem qvotannis diutius, imò continuato suc suum contextu toties Phœnicem hunc reni feliciter coges, qvoties annua revolutio Dei ducet Natalem, cujus interim Cunabulis pro uturno Tuæ incolumitatis auctario perenne vo tum supplex appendo. Dixi.

Gratulatio II.

ETiam infantiles Verbi lacrymæ meta nob

desti

destillant gaudia MD. imò nulla nunc ſvavius delibantur ſolatia, niſi hoc nectare temperentur; adeoqve amarum eſt qvidqvid Fons hic non diluit, qvem largiùs affundit vagiens Deus, à lacrymis noſtra exorſus gaudia. Fletus hic lætitiæ claſſicum eſt, non mœroris, nec alio mollius prodi poteſt indicio mite humaniſſimi Verbi ingenium qvam ploratu. Sic ocelli gemini veluti terreſtres Cœli depluunt; neqve alia uberior tenerrimo amori qvàm lacrymarum pluvia, ut in rorida nube meliùs coloret Iridem, & pulchriùs Orbi exhibeat Arcum pacis. Aureus imber credi poterant hæ lacrymæ in nova fœcundæ gaudia, niſi qvod auro pretium hæ viræ oculorum gemmæ adimunt. Ego eqvidem novum mihi ab iis ad te dicendi flumen affundi ſentio, qvod nunqvam uberius exundat, qvàm lum geminis miſcetur rivulis lactis & lacrymarum in plauſus & in Tuæ felicitatis omina fluen hoc intumeſcit. Nec ulla temporum iniqva ratio illud exhauriet, cui perennes beneficentiæ Tuæ alvei novos latices infundunt, nunqvam in Tuis laudibus exſiccandos. Sed neq; parciori eluvie in lingvam influent immortalia, qvibus Patriam Famamqve Tibi poſthumam obſtringis, merita; perennes hæc Eloqventiæ Fontes aperient, & novum reſerabunt etiam ſecuturis ætatibus aqvæ ductum? Sed ut in lacrymas deſinat, ac in illis felix naufragium faciat ut à lacrymis fluxit Oratio, illud mihi inter vota potiſſimum ut Divinus hic Fons lacrymas ſic exhau-

exhauriat, ut nullæ Tibi à fortuitis eventibus superſint. Abſorbeat vitale hoc flumen omnia qvæ Tibi pupillam & gaudia fletu temerare poſſint; potiusq; perpetuos Tibi in præcordia derivent lætitiæ aqvæ ductus.

Gratulatio III.

SIbi lacrymas, Orbi gaudia indicit Verbum illud inter Mortales hodie inſcriptum; Tu ſolus citra parſimoniam propinas gaudia, nec illa temerari pateris confinio lacrymarum, MD. Qui enim Te mihi velut animi mei ſolem ſemper exhibes, novam hodie ſerenitatem è divinis conceptam Natalibus vultu animoqve circumferens hinc etiam me, qvi à Te Tuaq; Fortuna colorem duco, non unica circumſtat gaudendi ratio. Ad plauſus non ſteriles verborum Clientis animum perurges, qvoties Te ſors beatior circumfluit, qvamvis nec ipſas infantis DEI lacrymas non ſine ingentis lætitiæ ſenſu præſtat excipere, qvibus irrigata qvævis felicitas creſcet uberiùs, pulchrius efflorescet. Neqve enim aliud humani corporis nubes, qvam Sol ille Divinior ſuſcit, in lacrymas velut in pluviam boni publici fæcundam ſoluta, non, inqvam, aliud qvam auream æſtatem & novam ſolatiorum meſſem portendit. Aureus hic nimbus eſt nec guttatim in commune defluit, ſed terras felici diluvio inundat. Nec Tu extra hanc eluviem MD. cui ut pridem cœlum totis influit cataractis, ſic & in annos etiam conſeqventes plenos Tibi

feli-

felicitatis alveos spondet ac devehit, ut etiam Tibi

Eois potiora glebis
Rura; fortunæ sine face pulcher
Rivus inauret.

Nec plura eloqvar, Abbreviati non immemor Verbi, illud ex animi Sententia precatus, ut sub hoc Infantiæ Divinæ rore aurea Tibi recurrant ac renascantur secula, imò cum hac infantilium lacrymarum pluvia Tibi

Grandinet gemmis, riguoq; Cælum depluat auro.

Gratulatio IV.

PUdet qvidem esse hodie facundum, cum & DEUS ipse infans sit; nec elaborata in dicendo maturitas sapit, cum & DEUS ipse puer; sed tamen nec lingvam addecet Verborum sterilitas, cum & uterus Verbum parit. Libet in Verba lingvam relaxare, etsi Verbum illud fasciis adstringatur, cum & tanto, qvo me pœne opprimis, beneficiorum pondere vocem exprimas gratiarum, & humanitatis jure non vacet transgredi, DEO in carne humanitatem profitente. Novus hic Viator terrenum iter arripiens, etiam ad Te mihi viam indicat: Sol hic me Tibi umbram sistit, nova gaudii luce perfusum, qvod Te sospite, qvod incolumi frui liceat. Utinam hic sæpius recurrat dies qvi novæ serenitati auctor, alium in nocte media solem, & Te mihi domi alterum profert. Non vane augurer (nam & Tullium augu-

auguria non dedecent) cum inter hæc tam fæcundæ noctis prodigia adeò lucis prodigum oriatur Numen, qvod purius Tibi deinceps serenum, nec nullus non illustris orietur dies. Cedent ad tantæ lucis exortum qvævis animi nubes frontisq; nebulæ, & per sudum Fortunæ, reliqvum ævi [qvod longissimum voveo] non interrupta prosperorum serie decurres. Ad omina insuper votum addo, nec aliud qvam ut lux hæc vitalis Tibi diuturnæ lucis usuram provehat nec ad metam ævi Te citò velit consistere aut Tuum nomen emori, extingvi gloriam unqvam sinat.

Gratulationis V. impetus.

NOn ea vis hyemis est, ut, cum labentia cercet à cursu flumina, Eloqventiæ laticem retardari possit MD. Serpit ille & in animis Gratulantium effervescit, nec hyems verbis obstat qvæ vagienti verbo vocem minimè intercludit. Sileat is, qvi lætitiam suopte ingenio loqvacem diffitetur; me inter Cœlitum cantus & melos Pastoritium tacere haud expedit, non qvod Infantiam Verbi non amem, sed ne solo apud Te semper perorem affectu. Solus hodie Delphis obmutuit Apollo, eo qvod conspectum ortæ veritatis pati non possent mendacia verius qvam oracula. Abest hic obmutescendi periculum, dum ipso etiam vagitu vocale gignitur Verbum, ne sterile dicendi omen hinc deducas &c.

VI. Gra-

VI. Gratulationis impetus.

OBmutescente adhuc per Infantiæ leges Verbo (etsi elingvis Infantiæ vocem vicesqve suppleant nascentis lacrymæ) nulla melior est qvam inops Verborum facundia, solo affectuum ditior apparatu. Nec alio me instructum hodie magis autumo, cui Scholam Affectuum aperuit tanta DEI Hominis dignatio. Et certè rudis alibi, hac in Palæstra me Versatiorem sentio, ubi affectibus perorandum. Neqve his animi votis deerit aut aspirare abnuet DEUS Infans, ut omnium natus commodis sic & Tuis &c. &c.

VII. Gratulationis Impetus.

AMoris vires nullis non pares viribus pridem didici, nunc experior. Dulce verò experimentum, qvod in amoris meta non primus capio. Vix ille blandum pectori admovit tormentum, in jucundam deditionem inclinat, ut jam veriùs,

Non sic excubiæ nec circumstantia tela,
Qvàm devincat Amor.

Ne longe petas exempla; en ille Tuis me pedibus advolvit, ille Tibi lingvam devovet vectigalem & antiqva in Cræsi Filio redorsus miracula, è Tacito Tullium reddit. Nimirum vehementius jam lingvas & animos ferit beatior vis amoris inter nova humanissimi Verbi crepundia &c &c.

Genethliacon Christo nato.

Qvæ nova se rerum facies, qvæ scena revolvit
Jessei super axe soli? Deus ergo profana
In pecudum stabulatur hara, post aurea lucis
Atria, Bethlemiæ detrusus in antra caverna:
Qvæ vis stelligero puerum dejecit Olympo?
Et tenues subiisse lares caulamq; coegit?
An conjuratis iterum Titanes in armis
Emicuêre novi cœlo nova bella ferentes?
Rursumne Enceladus Sicula depressus ab Ætna
Phlegræum meditatur opus? qvem pone minaci
Porphyrion ruit inde statu, nimiusq; Tonanti
Mimas, inde novem Tytius per jugera vasto
Corpore distractus, Sthenelus, Geryonq; tricorpor
Audent Threjiciæ supponere Pelion Ossæ.
An suas tela Jovem jam defecere. Gigantum
Elusura nefas, sævo qvam cœlitus ausu
Lucis in extorres natum traxere Penates?
An fætu facunda novo Berecynthia Mater
Inq; novos fæcunda Deos in carne Tonantem
Protulit, & natum nigrantibus abdidit antris
Ergo non licuit solio potiore reclinem
Composuisse Deum, Phrygiosq; instrasse tapetas,
Aut circum Oebalios Tyrio de vellere cinctus?
Heu ubi sidereis radiantia signa pyropis?
Aut ubi sunt multo rutilantes sidere postes,
Ac noctis vigiles millenis ignibus orbes?
Aligerum negat ire cohors, nec nobile sceptri
Candet ebur, viridiq; nitet Diadema Smaragdo.
Non solii regale decus, qvod pulcher inauret.

Chry

Chrysolythus varioq; rotent ex ordine gemmæ.
Quin ulnas etiam puerilis fascia stringit,
Fulmina quæ torquent Rhodopæaq; culmina quas-
Ergo qui geminos dignantur sole Triones, (sant.
Nocturnoq; Hecates auro, multaq; coruscum.
Lampade noctis iter, lacrymis merguntur ocelli?
Purpureum cui Flora decus, cui molle rosarum
Vellus in agnati pudibundo muricis ostro,
Et ferrugineos violæ pallentis amictus,
Intactasve nives argentea lilia debent.
Cuiq; suas zephyritis ager, cui debet amœnas
Majus opes, pictosq; horti fragrantis honores.
Sidereas vigil æthra faces rursumq; volucris
Assyriis rediviva rogis, cui debet acanthis
Plumarum non vile decus; non ipse togarum
Molle jubar Tyriosque puer prætendit amictus.
Huc volucrum pennata cohors huc agmine dense
Aligeri properate greges, quos educat ingens
Ida, vel Assyris bustum vitale favillis
Reddit, & Eoo radiantes murice pingit.
Seu quos strymoniis late nutrit aura viretis,
Vel tellus Phœnissa parit; pars una Tonantem
Ambiat, & tenerum nativo vestiat ostro,
Inq; togam vellus plumarum molle ministret.
Pars suavi recreet tenerum modulamine Numē.
Hinc dulces Philomela modos, hinc promat acanthis
Docta leves tenuare sonos, hinc murmur Alauda
Obstrepat, & tenui promat de gutture voces.
Sed quid non solitis resplenduit ignibus æther?
Quod sidus per inane micat? quæ flamma serenas

Prætergressa faces, aurato crine, Magorum
Prodroma lustrat iter? sic fata est lumine tellus
Sole novo fœcunda semel, cui Phosphorus alter
Atq; novus terris ultro demittitur æther?
Fallor? an Eoæ regalis ternio terræ,
Qvem Phæbo tumidus Ganges fulvisq; coruscans
Indus aqvis roseoq; rubens Aurora cubili,
Et qvem thurifero colit ara sabæa tributo,
Ad puerascentis properat penetralia verbi?
Hunc longus præit ante globus, multoq; perusta
Sole, Palæstino comitantur calle cateruæ.
Eo uti, cornipedum peregrinos ungula campos
Pulsat. ut Eois implent hinnitibus auras,
Famq; novum præsepe, novum fœnile reqvirunt
Pondere qvos tumidi comitantur pone cameli
Nec notum sectantur iter, notosq; Triones.
Qvid memorem, qvanto subierunt limina plausu.
Bethleniosq; specus, Solymæaq; rura? sed illud
Vix iter emensi tandem mox prona jacenti.
Subdunt regna Deo lunato poplite cunis
Affusi, famuloq; genis breve Numen adorant.
Et tenues onerant gaza prædivite cunas.
Hic patrii dat thuris opes messemq; Sabæam,
Promit hic Eoi pretiosum fulgur obryzi.
Ast hic odorato lacrymantem cortyce myrrham.
Qvæ tunc Regales tentarunt gaudia fibras?
Qvæ fuerat sors vestra Magi? cùm noctis opacæ
In gremio fusis, cæciq; erroris in umbra
Exortus noviter Titan meliore sereno
Illuxit, mentesq; novo fulgore beavit?

Hæ

Hæc ego dum tenui vates decurro camenâ.
Insinuat mihi se Pastorum carmen agreste,
Atq; melos Tibi Christe datum. sed dum tacet in-
fans,
Dum siluit verbum, vos inde silete camœnæ.

Corollarium ad Sect. I.

Contigua Natali Christi Epiphania me admonet, ut hanc etiam non sine Gratulationis Idea transeam. Huic non incongruos dabit impetus stella & Magorum adoratio ac munera; præterea Eruditionis superius allatæ, uti & illud Symbolum de stellatis Eqvitibus in Gallia, qvorum insigne stella cum aureis radiis & Lemmate: Monstrant Regibus astra viam. Juvat ad acumen Oratorium prælegere Elogium Juglaris de hoc mysterio. Sed jam sit

Gratulatio in Epiph. dicenda.

Fax in cœlis accenditur, proditqve Orienti latentem DEUM MD. Adhuc etiamnum lucet, nec post tot secula extingvi se patitur qvin suum adhuc munus continuet prælucendo. Hinc dum evocat ab Aurora Magos, etiam me Tibi venerationis debitæ reum sistit. Urbanissimum id sidus est, qvod urbanam politiem instillat, & ad civilitatem morum erudit, dum ad supplicem adorandi ritum. Svasit Orienti ire in cultum Numinis divite Regnorum apparatu; & me Tibi obtulit vectigalem. Nam non è Sabæa tantum messe vectigal penditur, verum & ab obnoxiis Mecænatum cultui Clientum animis.

Sed abfuerit tam illuſtre profundiſſimi cultus magiſterium Eruditore cœlo, adhuc mihi alia pectus accendit flamma, qvæ ſtimuli vicem radio ſubeunte ad ſua me perurget plena ſubmiſſionis officia. Imo ad hæc ſideris ductu non eget culta, ad qvam me ſeculum format, urbanitas. Sufficit illi monitor animus, & ſui muneris conſcius & Tuorum. Hic me (qvando nec Regum eſt alia Oratio, quam adoratio) hic me, inquam Tibi affundit ſupplicem, & ad plenam deditionis inclinat ruinam, ex qva ſemper beatior ſurgo.

Gratulatio II.

ETiam nunc ſtella Cœleſtis Regum anteambulo ſeſe ductricem exhibet M D. Fatum id hujus ſideris eſt alienis oriri commodis, & vel Magos deducere, vel ad Magnos. Nondum ingenium exuit hæc ſtella, niſi qvod Reges antea deduxerit, nunc minimos Tui Cultores Clientesq; merito lingva Cœleſtis appellata, qvod Solem Orientem & Magis adorare perſvaſerit & Te nobis. Gemina diem hanc animosq; hilarat Apparitio, altera Regibus facta, nobis altera. Senſit Orientem hunc ætatis noſtræ auroræ, & in novæ lucis exortu Tuoq; conſpectu erubuit exqviſito dicendi deſtituta apparatu. Sed tamen ſi vel Tuis par auribus meritisq; adeſſet facundia, non aliud à nobis referres, qvam à Regibus DEUS Infans. Non Orationis hic dies eſt, ſed adorationis, qvam unicam tacentibus etiam lingvis, lunato poplite diu continuabimus.

Gra-

Gratulatio III.

QVod Sidus Orientis Regibus ad illapsum terris Solem, idem mihi ad Te facis prævia munus obit M. D. Ne à Tuo exerrem limine, hoc prodromum Cœli lumen efficit, qvod & Sacro illi Principum ternioni Cunas Infantis Verbi adoraturo præluxit, & mihi. Latere neutiqvam poteras, qvem novo exortum prodigio, serenius prodit ac illustrat Phænomenon, eximium sane cui ad summa tentum nomina (qvale Tuum etiam est) aut ad terræ Numina illustri obseqvio deducere sit solenne. Nec mutum id Regale Sidus, qvod igneam Cœlorum lingvam Hipponensis Antistes nuncupavit. Abunde Tibi etiam me tacente perorabit, nec feralis qvidqvam omnis secum trahet. etsi enim alibi augur Cometes malorum prodromus & illustris cladium sit anteambulo; hic tamen mera Tuæ felicitatis præsagia portendit. Innocua nempe luce radiat, dum ipsum luminis bonorumq; fontem pulchro indicat argumento, & ad munera liberale pectus incitat, manum Regiam aperit. Sed ego frustra aureum Tibi aperirem Gangem, qvi apud Te liberali exundat alveo, cui præsto semper est aurea vena domi. Illud tamen (ne nunc etiam munerum largitionem parcius hic Cœlestis Orator persvadeat) muneris loco à me accipe, qvidqvid à memori gratoq; pectore Tibi relatum velis, qvidqvid à Tuis obærato beneficiis merito speres.

Re-

Responsio ad hujusmodi Grat.

NUlla unqvam gratulantium officia refugiunt vel aures, vel animi, præsertim qvæ a fido pectore profluxere. Qvod enim annulo gemma, hoc amico pectori nova significatio Amoris. Perinde est, si Fortunæ applaudas conscius alienæ, acsi ejusdem beneficus author foores. Neqvit nostris gestire successibus, nisi vel cui nostra cordi sit felicitas, vel qvem nostra calamitas cruentat. Hinc & ego ut inania verborum auriumqve aucupia & blandas assentantium voces horreo, ita seria gratulantium. Tua potissimum vota æstimo. Teneros in me non alibi luculentius affectus adumbrasti, qvàm ad puerascentis DEI cunabula. Summum est qvod gratularis; qvod precaris, non infimum; qvare & gratulatio me Tibi ceu mutuæ benevolentiæ reum obstringit, & votis paria vota in animo respondent. Qvod apprecaris, ipse cumulatius obtine, & si Tibi, si superis ita libet, felicior vive & vige æternum meus &c. &c.

Se-

Sectio II.

Gratulationes novi anni.

NOn minùs hæ Solennes, imò apud politos freqventissimæ.

§. I.

Modus ac Materia hujusmodi Gratulationis.

HIc erumpere licet tum in lætas de Anno Superiore feliciter decurso Acclamationes; tum in omen & apprecationem continuandæ felicitatis anno ineunte, & pluribus; tum inspergi obiter laudes Mecænatis possunt. Modus in hac Gratulatione observari solitus, tum Natalis Christi & Kalendarum Januarii circumstantias attingit, tum aliqvam de Annis Eruditionem, tum collationem temporum vel dierum.

1. Potest ergo per modum cujusdam Vaticinii augurium desumi ex festi Adjunctis, non dissimile illi: Polliceri sibi poterit Mundus diem serenum, dum manè sic rubet sangvine noster Oriens. qvod omen metro sic comprehenditur:

Purpureum si manè rubet, si flammat amorem.

Qvantus maturo Sole calebit amor?

2. Præterea potest duci Oratio à reclusis vel clausis Jani foribus in pacis vel belli indicium.

v. g.

v. g. Iterum Jani fores recludit Januarius, & mihi certamen Amoris indicit: Tu mihi in meta es, nec alium hæc tela petunt. Qvamvis in dies gravius Tuæ benevolentiæ telis obnoxius succumbo.

3. Posset item aliqvod velut Genethliacon nascenti Anno ut extincto aliqvid velut sepulchrale institui; v. g. Nec dies vel Anni Pompa funebri carent, nox hæc Anno Superiori parentavi, nox sepeliit extinctum. nempe dum Anni oriuntur, alii occidunt: Cogimur & transactæ sepulchralem næniam & nascenti Genethliacon instaurare, idqve in Tui gratiam.

4. Potest insuper fieri Allusio ad ritum veterum Kalendis Januarii usitatum. Etiam veteres diem hanc ritu multiplici consecrarunt: nam initio Anni Vestales novum ignem excitabant, ut hinc novæ lucis præsagia caperentur. Item laureis ornatæ ædes, novi Magistratus initi: hinc illæ Acclamationes:

Prospera lux oritur, lingvis animisq; favete,
Nunc dicenda bono sunt bona verba die.

Item: Purpura te felix, te colat omnis honor.

§. II.

Eruditio huc pertinens.

1. PRæmittere libet Symbolicam. Pridem inscribit nec adhuc melior subinde Fortuna inscribere desistit puram tabulam Ludovici Cardinalis Barberini, cui Lemma inscriptum: Melior Fortuna notabit. Apodosis esse

cop-

congrua: Annum ingredimur ignari, qvid ejus ferat evolutio: ominari tamen licet, qvod eum Tibi prosperis cœlum distingvet successibus, ac veluti puram Barberini tabulam, Melior Fortuna notabit.

2. Puræ tabulæ nummum Adriani injicio, in qvo navis remigio vecta depingitur simulq; inscribitur: Felicitati. Apte diceres: Annus qvem ingrederis mare qvoddam est, cui Tu navem Tuam committis felicior Argonauta &c.

3. Opulentius qviddam Adriani nummo Lydii offerunt. nec mirum; nam apud illos Pactolus est; qvi Aqvilas aureas initio anni transmisere, qvibus inscriptum: Primævus flos ætatis, primæva virtus, & felicitas, currat & recurrat.

Addo Solennes hic apprecationes.

Ex Tomitano Poëta est illa:

Auspicio felix totus hic Annus eat.

Ex Authore Palatii illa:

Habe Fortunas omnes cum Cræso, numera candidos cum Polycrate felici dies, fluant ultro dormienti Victoriæ cum Timotheo, fiat aurum qvidqvid contigeris cum Mida, rosa qvidqvid calcaveris cum Persio, laurus qvidqvid palpaveris.

Ex Sarbievio illa est apprecatio:

Tardum sereni partibus ætheris
Te sidus addas, neu properes citus
Mensis reclinari, & supernis
Cœtibus accubuisse Divûm.

Jam

Jam ex aliis Eruditionibus aliqvid delibo.

SI annos Mecænati apprecabere, vide, ne annos Arcadum apprecere, apud qvos Annus tantum trimestris fuerat. Potius annum Metonis, qvi nostrates Annos novendecim continet: vel annum Saturni, qvi nostros continet qvadrigentos: vel annum Mundanum Platonis, qvi continet nostrorum 15. millia, qvo temporis spatio octava circumvolvitur sphæra. Dic ergo Mecænati: Odi Arcades, qvibus brevitas in annis placuit. Plato mihi Platonisqve annus in votis; hunc vive & vixisse sufficit. Parum refert an perennem Tibi fortunam ritu Venetorum desponses, qvi qvotannis in mare annulum injiciunt, qvo illud sibi veluti desponsant & amicum faciunt. Fluidum aqvæ elementum est, nec Vincula Xerxis timet, nec amicitiæ novit fædere. Qvodsi illud Poëtæ audieris:

dextrâq; suos jam computat annos;

Intellige centenarium esse senem. Nam numeri usqve ad centum exclusive sinistra computabantur. Qvidni Mecænati talem computandi experientiam appreceris? Ut annum; sic menses currentis anni Diis veteres consecrarunt: Januarius sacer Junoni; Neptuno Februarius; Minervæ Martius Aprilis; Veneri Majus; Apollini Junius; Mercurio Julius; Jovi Augustus; Cereri, Vulcano September; Bacho October, November Marti; Dianæ December;

ber: Sic divisum inter se annum cum Jove Dii habent. Adde illud de Ludovico XI. Galliæ Rege, qvi extremo anno & morbo conflictatus qvotidie medico qvingentos aureos dabat, ut vitam illi prorogaret, sed

non potuit pretio tam breve tempus emi.

Deniq; miror hic dictum Plinii: Nihil, inqvit ille, salubre est, nisi qvod toto Anno salubre. Approbo tamen dictum Famiani: In rebus humanis secula & anni intereunt, causæ & eventa earum recurrunt. Sæpè aurea secula (etsi Hesiodus qvintum addat seculum Heroicum, qvo Hercules Theseus, aliiqve Heroes vixere) nempe aureum sub Saturno, omnium rerum abundantia & Justitiæ laude celebre: argenteum sub Jove, de qvo Ovidius:

Subiitq; argentea proles
Auro deterior, fulvo pretiosior ære;

Qvo tempore aliqva fuit rerum abundantia sed non circa laboris sudorisq; impensas. Æneum tertium, qvartum ferreum & vitiis infame ac præliis. Aurei seculi descriptionem qvod Mecænati appreceris, habes libro primo Lyrio: Sarb. ubi ait:

Per te reficto ferro adamantinum
Offulsit auro seculum & undiq;
Gazis coronatumq; gemmis
Purpureo revirescit ævo &c.

§. III.

§. III.

Gratulationes novi Anni.

Prima.

PUrpurascens Infantis Verbi sangvine auror primum Anni diem mundo invehit Solis lumini concolorem. Nimirum hæc Aurora diem Solemqve parit lucis consangvinea, umbrasqe arcet à dierum curriculo, qvod Anni nascenti Olympia indixere. Sic ex rubente Oceano n Sol tantùm, verùm & Anni Fortuna emerg non sine candido mensium auspicio: nam Cœli rubor sæpe serenitatis est præsagium. N sic tamen reliqvis, qvin & Tibi M. D. mane h nubium expers, non nubilum Fortunæ porte dit Meridiem serò non ad unius Anni vitæqe vesperam producendæ. Cruentus qvidem die hic in DEUM extitit; Sed ex hoc vulnere n plus sangvinis qvam boni omnis emanavit. Vu nus id labentium Annorum obducit cicatricem adeoq; Orbis ac Tuæ felicitati consulitur, du sic hodie inciditur Vitæ vena; ut jam mæro rem temperent cruentæ in DEO infante cer moniæ, dum mille orbi commoda, Tibi non bonorum omina conciliant. Fruere jam tant lucis dieiq; exortu, & dum tam splendide Annus exoritur, Tu nunqvam Tuæ Fortunæ occasum experire. Dixi.

Gratulatio II.

ETiam ætatem temporumq; novitas pretium

æ pe

ſæpè adimit priori ſeculo, & humanos in ſe certatim amores transfert. Annorum certè, ſicut florum tota penes novitatem eſt gratia; & vivere optamus, non vixiſſe, adeoqve & hic præſentia in uſu, futura in deſiderio; qvæ præteriere, ſæpè ſunt faſtidio. Hinc & Tibi tot luſtra lapſu fortunatiori effluxiſſe parum intereſt, niſi continuata proſperorum ſerie felicitas iret in annos conſeqventes. Cucurbitarum illa eſt gloria, imò tumor, citiſſime inflari, ut celerrime detumeſcant ait ille. Sed en:

Votis aſpirant Fata ſecundis,

dum poſt occaſum jam plurium, non ſteriles boni ominis oriuntur Kalendæ, & nova Fortunæ Scena ſeſe Tibi aperit nullo (ut ominari licet libetqve) tragico actu permiſcenda. Salutares vulnerati Verbi Cerimoniæ non ſolitam, certe ſolidam Tibi hodie ſpondent fauſtitatem, & Abbreviatum alioqvin Verbum metas longioris ævi prorogat communis Gloriæ vitæqve terminos transgreſſuro.

Gratulatio III.

ANtiqvitati qvidem defero, ut priori; nam & mihi:

Magna eſt capitis reverentia cani;

tamen ſuperſtitioſa illius commenta deſipiunt, ubi veriora recens ſeculum injicit auſpicia. Et verò male Janum Bifrontem, Numen ſane monſtroſum ineuntis Anni veſtibulo præfixit. Qvo enim Frontones hi ac geminatæ frontis lumina?

Is

Is duntaxat evolutum ſpeculetur Annum, qui felicius deſperat ſeculum; vel cui Fortuna cum Anno ſimul occubuit. Sed Fortunam Heroes in manibus gerunt; nulla hujus, etſi temporum qvædam mutatio, intercurrit, qvæ tamen illis uberiori Famæ ac Nominis cenſu affluunt, ac elabuntur: nulla illis dies non candida, qvantumvis Kalendæ Januariæ, à qvibus aliæ ſuam trahunt originem, rubeant Verbi cruore. Tua felicitatis omen eſt, qvidqvid Heroum inſcribi nomini. Etiam Tu mihi Heros, illis, qvos Heroica pridem effudit ætas, non impar. Heroes ſi facinorum approbat magnitudo, non poti in Herois titulum jus Theſeo vel Alcidæ; ſi munificentia, qva magis flagitioſum nonnemo ce ſuit qvam armis vinci, Tu hic invictus, qvi benentem annorum ſeriem non horis, ſed bene ciis, qvæ Tibi diem ſola diſtingvunt, tranſig Qvidni ergo Heroicæ felicitatis anguria T Annus hic deferat, qvem reperit Heroem? iam è Verbi ſangvine candidi erumpent dies.

Gratulatio IV.

Dicta Supremo Exercituum Duci.

VEl hodie tandem dicendi rudem ponemus Infantiam, dum ipſa Verbi Infantia nos Verbis inſtruit, Illuſtr. Domine. Lacrymis paulo ante & vagitu; hodie (ut etiam ſua vox inest ſangvini) ſangvine perorat. Hoc illud cruore Januarii Kalendas dum conſecrat, non minus no-

nostram colorat Orationem. qvanqvam nec color perorantibus deesset, ad Tui conspectum erubescere coactis; nec Orationi sua deessent lumina, Tuo illam vultu, qvo Patriam vel in turbido serenas illustrante. Imo nec illa parcius lucem affunderent, qvæ in Tua stirpe affulgent orbi primæ magnitudinis sidera. Ergo à Natalitia DEI hominis caverna ad Tuæ amplitudinis adyta & atrium tot Heroum, stylum ac veneationem deflectimus. Non alius qvippe icinior gradus est, qvam ascendere ac Altissimo d Celsissimos, & ab illo Gigante ad Regni Proeres. Hodie potissimum magna Heroum nomina venerari didicimus, qvando & Augustum ulnerati hodie Verbi Nomen incipimus adora-. Qvos vero in plausus Eloqventia Tibi meus assurgat, qvam qvos Princeps hic Anni menamqve dies indicit? Novum enimvero Eloventiæ Campum aperit renascentis Anni Exrdium, & veterem tacendi consvetudinem imutat in omina &c.

Sectio III.

Gratulationes Paschatis.

Etiam plausus, qvi Paschali amœnitati congrunt, hic accipe. Sed primò sit

§. I.

Materia & modus hujusmodi Gratulationis.

1. MAteria sumitur potissimum à Circumstantia hujus temporis cum Allusione ad Christiani orbis tripudia & plausus triumphante Christo; Sumpto subinde impetu ex occurrente tunc Sacræ Historiæ contextu, qvæ Scholastico more innui & acutius qvam spiritualius tradi debet. Huc spectat propensæ Voluntatis eum, cui gratularis, contestatio: item diuturni ac vernantis Fortunæ ac lætitiæ augmenta precari hîc Solenne, & alia qvæ animorum propensa & loqvax tunc lætitia suggerit.

Illæ potissimum circumstantiæ Tibi acuum offerent. Lux Cœlestium Geniorum plurimo lucis, aromata fragrantiæ aliqvid conferent, S pulchrum vitale vividum qvid stylo & Oratio tribuet: A terræ motu tripudia invalescent: pide remoto & pectoris arcana parebunt: Ite laurea Victoris DEI, omen immortalitatis & p cis præsagia parturit.

2. Modus scribendæ hujusmodi Oratio etsi ex Superioribus Paragraphis colligi possit tamen adhuc speciali jure postulat lætiora omni nec qvidqvam in stylo Tragicum sonans. Ad Salemum tunc & Trophonii antrum luctum rele ga, & omnem (qvod Poëta monet) deme supercilio nubem: tempori tunc pare: triumphale qvid spiret Oratio, & Pæanem canat.

Huc

Huc pertinet etiam Allegoria vel verno tempori accommoda, vel de Sole nostro ex Oceano dolorum emergente, vel Phœnice ex vitali busto revivescente. Huc item spectat usus Eruditionis ad Protasim.

De hoc die dierum maximo sunt illa acute dicta: Non tenebrescit hæc vespera, sed lucescit. Diem nutrit, non perimit hæc Mater noctis: qvæ uni Soli vespera fuit, aurora fit alteri: illuminatur etiam nox initio non in fine tantum. Adjit Juglarez: Mundo dies illuxit maxima, in qva dux Sol noster auroram secutus non est, sed præivit. De repetundis accusari metuerat, si vas horas diei ademerat moriens, non redderet m resurgens. Dat illi lapsus ipse palmam, ina Victoriam &c. &c.

§. II.

Eruditio hujus loci.

Liqva Eruditio ad Natalem Christi accommodata huc non incommode transferri potest. Insuper addo. Etiam Christi sepulchrum ale est, & vitam parit reparatq;. Argumento animorum serenitas, & erumpens ab animo vultum lætitiæ; ut proinde non mirer Sepulcrum Orphei, qvod Pausania teste luscinias procit excellentes cantu, qvasi ex Vatis tumulo vocis svavitas hauriretur.

ane hujus loci est, qvod Statius occinit:

Securæ procul hinc abite mortes,
Hæc vitæ genialis est origo,

Cedat luctus atrox, genisq; manent
Prædulces lacrymæ, doloroq; fessus
Quidquid fleverat antè, nunc adoret:

Ad triumphalem Christi lauream si alludes, triumphi Romanorum majores minoresvé Tibi non excidant: Ad majorem triumphum spectant, Currus aureus albis qvadrigis vectus, tituli victarum Urbium, spolia ante Victorem prælata, Porta triumphalis, Pompa laureata, siticines, captivi Duces, acclamationes militares, Capitolii ingressus cæsæ majores victimæ. Nam minor triumphus minore Pompa, minoribus hostiis & sine curru peractus. Triumphi qvidem Divini gloriam, nec augent nec ædqvant hominum trophæa; tamen ut ex umbra Sol, sic ex illis huius triumphi magnitudo deprehendi potest.

Nihil ad eundem triumphum Julii Cæsaris Pompa, Parthis devictis Capitolium ascendens inter lumina, qvadraginta Elephantis lychnis dextra & sinistra gestantibus, & inter Pomparum fercula prælatis illis tribus verbis:

Veni, vidi, vici.

§. III.

Gratulationes Paschatis.

I.

CUm & DEI Sepulchrum patet hodie, pateat & hoc Tibi obstrictum pectus. Non impar utriusqve felicitas; illud luce perfunditur, hoc gaudiis exundat: si Cœlitum illud stipatur excubiis, istud Amoris Satellitio. Imò Sepulchrum

chrum Verbi sit vacuum & inane, pectus affectuum adhuc domicilium est, qvos ad lapidem emollit & elicit sepulchralem. Usq; adeo, dum in hunc silicem impegere Sole hodie orto, animi qvoqve svaviter incalescunt. Qvodsi ad hunc Solis exortum omnia plausibus animantur, nec mihi Te incolumi sterilis plaudendi incumbit necessitas. Ita plausu omnia permiscentur, Victore Erebi Christo, & Te meorum expugnatore affectuum, trahit ille detracta Orco tot animorum spolia; Sed neqve Tu hodie primum meum ducis animum in triumpho. Tot me vicisti beneficiis, ut ingratus & in aureis hisce vinculis captivus cogar vivere. Felix omnino captivitas, à qva nec hodie me velim exemptum. Qvoddam libertatis est insigne sic esse devinctum. Gaude hoc etiam erecto in Clientum animis Tibi trophæo, novo imò vetus mei pectoris triumphator. Advolvo Tuis pedibus me in spolium, nec cum lapide revoluto me facile qvis revolvet. Pulchrum mihi sic cadere, etiam DEO resurgente. Mea sic assurgit felicitas, dum Tuis genibus victima supplex accido, etiam de me victimam Cœlo daturus, ut à vitæ Principe Tibi & in plures annorum decades vita, & nata hodie de vitali Sepulchro gaudia felicibus augmentis in momenta pæne singula propagentur. Dixi.

Gratulatio II.

REdit in præcordia, erumpit in vultum excussa nuper tragico morientis DEI spectaculo

culo animorum serenitas MD. Excutitur terræ motu inclusus animo dolor, & amoto lapide, certatim è tumulo prorumpunt gaudia. Obriguerat, fateor, nuper dolore gravatum pectus, sed hodie tandem vel ad lapidem sepulchralem suaviter emollescit. Nec meum mollius pulsat, dum lingvam officii admonet communis lætitiæ argumentum; etsi prodigioso terræ motu opus non sit, ne lingvæ aut calami ferientur, festivis plausibus consecrandi. Neq; tenuis obstat facundia: nam assurgit etiam humi jacens repensq; Eloqventia surgente post obitum DEO, qvi e mortuis Oratorum lingvis vitam inspirat, et redivivus vitæ arbiter assertorqve. Sed neq; minores plausus instruit mentem Tua, qvam perennare velim, producta hucusqve incolumitas; hæc meo pectori ver afflat perpetuum, & Paschalis amænitati concolores accendit Soles. Semper mihi festivum canitur acroama, & qvoddam veluti Paschale melos insonat, qvoties Tibi omnia ex voto fluere, qvoties Te sospitem inter prospera, inter adversa infracto nec concidente animo intueri licet. Vive perenniter felix, & spes diutissime, & toties adhuc redivivi Numinis triumphis hic applaude, qvot hodie in communes plausus Universitatis animi conspirarunt.

Grat. ducta ab Exemplo.

ETiam posthumi Magnorum cineres vim magnis Heroum mentibus insertam post fata lu-

ta luculento produnt testimonio MD. Provoco ad Orphei Vatis monumentum & vivam quandam in demortui cineribus relictam svavitatem. Eqvidem qvæ juxta Vatis vitale bustum posuere nidum Luściniæ, si Pausaniæ credimus, svavius molliusq; modulatæ, qvasi ab extincti exuviis genium haurirent jucunditatis. Uberiorem recludit gaudiorum copiam, extincti nuper, hodie redivivi Numinis hortense Mausoleum, qvod Divinis vacuum exuviis, repente gaudii evasit Promptuarium. Nec Te communis lætitiæ patitur exsortem, imò & vitæ amænioris offert præsagia. Nullæ hilarius afflarunt animos Principum cunæ, qvam orbem sepulchrale prodigium. Lapis ille svaviter pulsat animos, ac è pectoribus mæroris imperium propulsat. Qvod ad Te meq; attinet, utinam Tuis exultantem gaudiis, Tuis plaudentem successibus diu me liceat interesse.

Gratulatio IV.

Per Protas. & Apodos.

Eò demum veterum evasit ambitio, ut cum aurea sibi arrogarit secula, etiam aureos nata Pallade somniaret imbres, auream sementem felicis non infœcundam seculi producturos. Parum scilicet se posteris persvasisse putarat, qvod Jovis cerebro vim pariendi Palladem tribuisset; nisi prodigiosus è prægnanti cerebro fœtus, Cœlum simul aureæ fœcundum pluviæ reddidisset! Poëtarum commentum arripuere Sapientes, qvi Platonis natales, aurea nobilitatos grandine, &

pretiosa illustres memorant procella. nempe qvo se veterum extenderant vota eousq; fabulæ sunt progressi, ac evenisse crediderant qvod evenire peroptabant. Eventus resqve ipsa Tibi ac Reipublicæ Christianæ servabatur, MD. in qvam post umbræ sepulchralis noctem Oriente iterum nostro Sole, extra fabulam Cœlum aurea gaudiorum detonat tempestate. Fluent Tibi deinceps nobiliora vel auro secula, & beatiorem Te reddent, qvam pretiosus ille in fabulis imber veteres effecisset; Nam cum resurgente DEO in novam felicitatem secula par est assurgere, aut fato aliqvo insepultam iterum exoriri. Fuerit tam benignus Pallade communem subeunte hæc æther; nec à Te radios retrahet, aut umbras Tuæ gloriæ, tantæ luci tenebras offundi patietur.

Hæc gratulatio facile potest detorqveri ad Gratulationem Natalis Christi.

Gratulatio V.

HOdie tandem orbi redditur illa felicitas, qvam terra suis nuper complexa Visceribus vix fuerat redditura, nisi concuteretur. Reddit tam grande depositum, & cum obicem posuisset tantæ Orbis Fortunæ lapis, jam amotus. Hinc velut remoto aggere erumpunt gaudia, & festivis vocibus omnia complentur. Sic dies hic Orbem excitat in Pæanem, & ad triumphantis DEI lauream gaudiis pectus, lingvam devovet plaudendi officio &c.

Gra-

Gratulatio dicenda die Pentecost.

NEc Amor elingvis hodie, cum Cœlum etiam lingvis pluit MD inter hanc lingvarum affluentiam qvis non repente disertior evadat? si absqve Verbo Cœlis proxime recepto regnavit taciturnitas, hodie suo regno excidet, qvando missilibus à Verbo lingvis in eam placide cœlum fulminat. Nec centenas Solenni Poëtarum voto lingvas exoptarim, una mihi è Cœlesti lingvarum pluvia suffecerit. Nec enim varias meo in Te amori lingvas optaverim, qvem & bilingvem odi, & eundem semper hoc in pectore ardere. Imo qvia cor Amoris sacrarium est, nec in lingvam illium effunderem, nisi tacere cupientem ad dicendum incenderet, ignearum Divina vis lingvarum. Vel ignea hæc Amoris tempestas & sonora Cœli procella indicat, qvod silentium Amor odit, qvin extra cor fulguret, & turbine saluberrimo suas latè flammas ventilet. Splendet ille in oculis, sonat in aure svaviter, & in lingva svavius degustatur. Arsit meliore hac flamma Orbis torridus, & me pariter adussit subditis menti facibus & ad Tua obseqvia, & ad præconia. Neqve flamma hæc & ardentissimum Tuis indulgendi laudibus studium defervescet, qvamdiu Te mihi Mecænatem hic DEI digitus demonstrabit.

Sectio IV.

De Officiosa Gratulatione Nominis seu Natalis.

Viget hodie tum alibi, tum hic Officiosa Nominum Natalisq; gratulatio. Qvare ne hic etiam ætati nostræ desim, sic

§. I.

Materia ac modus hujusmodi Gratulationum.

MAteria illarum aliqvando eruitur ex etymo ipsius Nominis. Nam etiam ipsum nomen tum Oratoriis sensibus, tum acumini occasionem præbet, ut patet in Allusione ad Nomen Maximiliani, de qvo sic nonnemo: Capacissimi nominis mensuram factis exæqvans, etiam in minimis se maximum exhibuit. Sed tantæ magnitudini cum angustiæ telluris obstarent, cui sola Cœli immensitas par esset, hac sola potuit comprehendi. Aliqvando alluditur ad Divi Tutelaris ejusq; Clientis adjuncta, obiter repetitis plausibus de recursu Natalis, de Clientela Tutelaris, ac de aliis Fortunæ bonis, non sine apprecatione aliorum & omine.

2. Modus tum Circumstantiis immoratur, Rerum, Temporum, Loci, ac Personæ; tum locum communem pertractat de virorum illustrium Natali; nam etiam Horoscopum venerari expedit, si Heroem effudit eximium: tum ex Divi indi-

indigetis adjunctis acuti aliqvid eruit, ut illud est dictum Adalberto N: Adalberti hastæ mihi stimulum addunt, ut ad Te accedam &c. Item Joanni N. Ipsæqve Tibi in Nomen immigrarunt Gratiæ, me ad Te pelliciunt &c. Deniq; rem Enthymemate vel Syllogismo vel Expolitione Oratoria complecti poterit stylo ad hilaritatem & plausus apposito.

§. II.

Eruditio ad Nomina pertinens.

Ambitiosa qvorundam Nomina.

QVis ferat Alexandri arrogantiam, qvi se non Philippi, sed Jovis filium credi diciqve voluit? Hinc è bello Persico redux imperaverat, ut sibi honores Divini haberentur. Sed sensit se mortalem, dum se mori cerneret hic Jupiter, aut si Jovis filius, certe Feretrii. Ampla nomina vocat Afer ille eruditus (Tertullianus) jugera nominum. Sed aliqva

Nomina sunt ipso pœne timenda sono;

ut illud Vercingentorix, Omixiudinas &c. &c. Non audiunt hi canentem olorem Tomitanum:

Usibus edocto si qvidqvam credis amico,
Crede mihi, & longè nomina magna fuge.

Caveat qvisqve ne ut Juvenalis de qvodam. Sic ille sit:

prælato nomine tantum insignis.

Congero plura ambitiosorum nomina: Attila dici voluit Flagellum DEI, Tamerlanes Iram Dei, Antoninus Imperator Philosophũ, Lucullus

Xerxem Togatam, Edmundus Rex Angliæ Ferreum latus, Appianus felicem, Flavius bellatorem, Galerius Pulchrum, Henricus Aucupem, Adrianus Doctum, Commodus Herculem, Hanno Deum, Maximilianus liberalem, Antiphon Orationum coqvum.

Tumide illud de se & ambitiosa titulorum Pompa Rex Brisnagensis. Sponsus Bonæ sortis, magnarum Provinciarum DEUS, omnium Dominus, Magister loqvi nescientium, Trium Imperatorum Imperator, Eqves, cui nemo par, Elephantorum venator, Dominus Orientis. Nam ille titulus, qvem sibi Soldanus attribuit, est plane ridiculus, dum se appellat Dominum Paradisi & Præfectum Inferni.

Etiamné parvus post funera cinis superbit Cyrus, in cujus sepulchro hoc legitur:

Cyrus ego Rex olim Regum conditus his sum.

Pulchrior illa ex ore alieno laus Agamemnonis qvem Cicero & Horatius Regem Regum vocat, sicut Domitianum Martialis appellat Principem Principum.

Modestioris animi & Pyrrhus, qvi militibus se Aqvilam vocitantibus: Per vos, inqvit, Aqvila sum, Vestris enim armis ceu pennis sublevor.

Anagrammata ex nomine.

LAboriosus hic magis qvam ingeniosus dici potest partus; Tamen de hoc obiter aliqva afferremus.

Anagramma fit primo: Cùm vocis alicujus

Retro-

Retrogrado ordine ſumuntur elementa.v.g. Roma,amor,aura,arva,omen,nemo. Hæc regreſſio fieri poteſt retentis iisdem verbis immutatis. Sic verſus ille Sotadicus:

Patrum dicta probo nec ſacris belligerabo;

ab Hæretico ſic retro legitur:

Belligerabo Sacris nec probo Dicta Patrum.

Talis etiam eſt ille verſus de Amphione:

Petras una trahit vox metris imperioſa;

qui retro ſic legitur:

Imperioſa metris vox trahit una Petras.

Anagramma fit ſecundo, literarum ordine quocunque modo immutato. Sic ex nomine Lucianus fit Calvinus. Ex nomine Maria Magdalena fit Anagramma: Grandia mala mea. Ex nomine Euchariſtia: Cithara JESU. Ex nomine Urſula, Laurus. Ex nomine Ignatius Lojola: O ignis illatus à Deo. Ex nomine Paulus Apoſtolus: Tu populos ſalvas. Ex nomine Albertus: Ter albus. Ex nomine Bartholomeus: Ab Sol Beatorum.

Pulcherrimum illud Anagramma ex his vocibus: Pater Henricus Garnettus Pingêre cruentus ariſta. Nam hujus Martyris vultus è ſangvine in ſtramen decidente prodigioſe in eodem ſtramine efformatus eſt.

Non omitto illud Anagramma Epigrammate comprehenſum ex tota Antiphona Eccleſiaſtica, Alma Redemptoris &c. Eſt autem tale:

Ne metuas qvamvis curſu pernice procellæ
Nutat, & irrugit ſpumoſa navis in unda,

Teq; Tuamq; ratem placato sidere ducam:
Clarum lucis iter curres, cita prora volabit:
Errores Pelagi retegam, miserebor egeni,
Euge meos portus intra, sum ripa salutis.

Sententiæ hujus loci.

PRæeat Cassiodorus: Absonum est, inqvit ille, portare nomen à moribus alienum, & aliud dici, qvam possit in moribus inveniri.

Jam & Salvianum audi: Nomen, inqvit, sine actu & Officio suo nihil est.

Salubre hoc; illud Senecæ salubrius: Discite, inqvit, omnia præter virtutem mutare nomina.

Monet opportune & Divinus Plato: Nomina cum re consentiant. Etsi Demosthenes probibeat, ex nominis significatione de moribus judicare,

Sed tamen & nominis habenda ratio. Nam, ut ait nonnemo:

Formosa vetus premit omina nomen.

Et: Principis nomen, omen est felicitatis. Nec Tacitus repugnat: Regium, inqvit, nomen plurimum valet. Id qvod etiam Curtius ad belli eventa retulit, cum dixit, nomen maximum esse in bello momentum. Lampridio proinde nomina insignia onerosa sunt, qvæ juxta Necteri cum Pulchrius est mereri qvam habere. Ató qvoties pulchræ indoles & nomina mentiuntur, ait ille!

Rarus, qvi dicat cum Tibullo:

Victura meis mandantur nomina chartis.

Alia

Alia de nominibus Eruditio.

PErennare alii sua volunt nomina. Hinc nummis nomen suum insculpsit Darius, ædificiis Trajanus (qvi etiam inde dictus est herba parietina) Turribus Babylonii, arboribus alii & cedro.

Pluribus hodie dicas, qvod Alexander militi eodem Alexandri nomine insignito dixerat in obsidione Tyri: Aut nomen Alexandri immuta, aut geras Te, ut Alexandrum decet. Insigne illud Nazarii dictum ad suum Principem: Qvantum nomine polliceris, tantum de Te expectat Patria. Basilicum illud Theodorici Regis effatum ad Felicem: Sumpsisti nomen ex meritis, vide ut semper læteris veritate vocabuli.

Etripode illud & peroppportune Alexander Marco Sichonio in obsidione saucio dixit: Qvam caro emitur nomen immortale! Qvisqvis pulchri nominis mensuram implevit, is in laudem Cæsarum immigravit, potissimum Probi Cæsaris qvem Flavius Vopiscus virum sui nominis esse dixit, id est vere probum. Alia de causa Spartianus Pertinacem & Severum Impp. vere sui nominis esse dixit. Horatius vero ait de Avidieno:

Cui canis ex vero ductum cognomen adhæsit,

Roma ægrè tulit Commodum, qvo vix ullus deterior; & Heliogabalum Antonini nomen usurpantes. Sed Alexandro nomen Antoninorum assu-

menti acclamavit Senatus: Nomen Antoninorum Tu reddis in integrum.

Abyssini suum Regem appellarunt Bellugii, id est, incomparabilis præstantiæ gemmam. Eratosthenes, qvod summis proximus in omni scientiæ genere secundas teneret, Beta dictus est.

Cum M. Manlius Reip. dominatum invadere conaretur, de saxo Tarpejo præcipitatus, eaqve notatus ignominia, ut in odium sceleris nemo de Patritia Manliorum gente Marci prænomen usurparet.

At Harmodii & Aristogitonis nominum honoris datum ab Atheniensibus, ne ullus unqvam eorum nomine vocaretur. Datum eorum meritis de Republica à Tyrannide Pisistrati liberata, propter qvæ insuper illis statuæ in foro positæ.

Laudabilis illa Augusti & Tiberii modestia, qvibus exosa fuit Domini appellatio. Trajanum Plinius etiam inde prædicat, qvod nomen Patris Patriæ recusarit; idem ejusdem uxorem & sororem deprædicat ob recusatum nomen Augustarum. Nempe ut addit idem: Nihil laudabilius, qvam si verum honorem non in splendore titulorum, sed in judiciis hominum reponas, magnisqve nominibus Te parem facias etiam dum recusas. Certe illæ, qvæcunqve illis ratio tantam svasit modestiam, hoc magis dignæ sunt, qvia Augustæ non vocantur.

Præclarum etiam Antisthenis effatum profun-

fundè imprimes iis, qvi nominis immortalitatem appetunt, unica ad id via laudabilis vita.

Concludo sacra Eruditione: Hugoni Victorino tria fuere optatissima. Primum ut ejus cibus ultimus esset sacra Eucharistia. 2. Ut ejus ultima cogitatio esset de Christo passo. 3. Ut ultimum illi in ore Verbum esset nomen JESU.

Acumina ex nomine desumpta.

POëtæ ex hoc fonte hauriunt liberalius, qvam ex Caballino: Hinc laudes, hinc mordaces delibant sales, hinc acumina profero Exempla: Imùm est de auro:

Cur aurum instabili nomen desumpsit ab aura?
Fluxa nimisq; fluens est utriusq; fides.

Secundum de malis Pomis:

Convenire suis dicebam nomina rebus,
Dum porrexisses tam mala mala mihi.

Tertium de Diva Ursula:

Ursa minor, majorqve vale; mea Carbasa posthac
Ursula cum Sociis Virgine luce reget.

Qvartum de S. Barbaræ nomine:

Barbarica mihi nomen erat gentile puellæ,
Mater id esse mihi, jussit id esse pater.
Sed dum vita meos ostendit publica mores,
Mentitum nomen se videt esse reum.

In Pueri Zarini nomen pulcherrime Martialis, qvod Tu commodè in Sacrosanctum JESU nomen transtuleris;

No-

Nomen cum vibiis rosisq; natum,
Hyblam qvod sapit Atticosq; flores,
Qvod nidos olet alitis superbæ,
Nomen nectare dulcius beato,
Qvo mallet Cybeles Puer vocari.
Et qvi pocula temperat Tonanti,
Nomen nobile, dulce, delicatum.

Nec Oratoribus vena hîc præcluditur; nam etiam illi multa ex nomine acute. Patet in Epitaphio Margaretæ cujusdam Principis: Attende viator, qvo Margaretas ostreo Mors includat! avara ut est, emere qvam non potuit, terris eripuit. Frugalem male qvis fingat Martem; plebejo non est contenta cibo; Cleopatræ ferculis assvevit, dum Margaretas ut sorbeat, in pulverem atterit. Væ mundo ab ingluvie tanti monstri! Pretiosæ dapes acuunt novam famem. Vitream tamen cave dixeris Margaretam, qvæ in tumulum lapsa frangi non potuit: integritatis laus in illa parnitori? tamen amissam ne lugeas, in DEI manibus est.

Patet idem in Allusione ad nomen Casimiri Magni: Vi fatorum ad præmia factorum vocatus, exilem tumbam Magnus implevit. Huc ille decrevit Gigas! Magnitudo Piasti in magno hoc desit. Aliàs qvot Myriades numeramus eorum, qvi à maximis in minimos decrevere. Solenne enim ut summis culminibus, sic maximæ Fortunæ in punctum desinere.

Concludo Eruditione: Metellus ne nomen Cæciliæ Metellæ interiret; turrim marmoream ex-

exstruxit, in qva Echo octies versum illum integrum à qvocunqve pronunciatum referebat:

Semper honos nomenq; Tuum laudesq; manebunt.

§. III.

Gratulationes Nominis.

Prima.

Illustrissimo ac Reverendissimo D. D. Archiepiscopo Leopol. Joanni Tarnovvski, in Natali S. Joannis Baptistæ.

PRodit in lucem Gratia, qvæ in Tuum etiam influxit nomen, illustrissime Antistes. Lætitiam Montana non capiunt, qvin hanc etiam in Urbem redundet, ubi plausus imperat & Joanni sacer Natalis & Tuus. Credo alii nobis in hoc plaudendi officio præsivere; nam non solus hodie Joannes est Præcursor: Simul ac vox illa clamantis insonuit, curritur undiq; ad Gratiam, & nobis præcurritur, qvasi etiam nominis tanti Gratia tarda odisset molimina. Sed ad nos etiam Vocis istius sonus jam pertigit: nec surdis cecinit qvibus Tui nominis indixit præconia, etsi tantò minora possimus, qvantò major ille, qvi in Te colitur, utpote qvo nemo major. E lingve nos tenuit silentium, donec inter Montana novo Gratiæ prodigio vox refracta, non ab utero tantum sterilitatis probrum depelleret, sed à lingvis etiam verborum sterilibus. Verum & muto Parenti officium vocis jam restituitur, & nobis.

Pudet

Pudet hodie demum esse elingves, qvando vel ipse mutus Eloqvens est. Qvodsi non illa nos circumfluit dicendi gratia, qvam spirat Joannis Etymon; certe dictionis molestiam temperabit etiam mel silvestre, & Tuum gratiis temperatum nomen abunde condiet. Migravit in Te (qvo etiam ad aras Leopoliensis nemo major) nominis hujus tessera, qvod Tibi ex merito adhæsit, eò qvod plures in Te qvam tres Gratias circumfers. Merito proinde illi applauditur, nec ipsum plausibus nomen interdicit. Docuit Joannes pridem animos exultare, in utero exorsus tripudia, ubi solutus Adæ vinculis in libertatis experientiam visus est gestiens exilire. Sed en iterum Joannes in vinculis: etiam hæc Tibi Tuorum ardor injicit, nisi qvod mollius adstringat amor, qvam Joannem strinxerit crudele Regis Imperium. Deprecari hæc vincula non potes, si Joannis amas vincula, maxime cum non solum Te in illa Tuus conjiciat Natalis, qvin iisdem Tibi arctius simul devinciat clientum animos. Vive, & ut vinculorum ac tanti nominis hæredem Tuus Te voluit Tutelaris, sic qvæ ipse mature qvia in utero cæpit gaudia, in Te qvam diutissime refundat.

Grat. Natalis Adalberto N. Z.

ADalberti hastæ, qvas illi non tam picturæ ingenium, qvam vetus Prussiæ appinxit immanitas, in stimulos mihi abiere, qvibus urgeor,

geor, ne Tuum Clientis nomen à Divo Cognomine Tutelari tantiqve cultu nominis ſecerni patiar vel excludi M. D. Qvamvis ſi vel ſvave id abeſſet calcar, adhuc mentem officii ratio ſtimularet, & ille, qvi me in Tua ſemper impulit nec impellere deſiſtet obſeqvia, ſemel animo injectus ardor. En igitur deſtinata cultui Tuo victima haſtis Tutelaribus confixa ad Tuos Mecænatis pedes accido. Si tamen adhuc ſub ſeptemplicis haſtæ ictu & mihi licet vivere, non aliud vitæ indicium accipe, qvam vocem in Tuæ fauſtitatis omina, & canoros Tuo nomini nataliqve plauſus conſecratam. Pretioſum qviddam id nomen gerit, qvod argentea lanx examinat. qvamqvam modico maluit argento æſtimari, poſtqvam toto venale Cœlo extitit: nominis acceſſit pretio, qvidqvid ademptum eſt de argento. Ne tamen ſolum metalli pondus ejus pretium exploret, addunt illi pretium Tuæ, qvibus & ſtirpi affulges, & Patriam ſerenas, dotes: auget inſuper pondus illa, qvam Tibi honorum faſces conciliant, auctoritas. Diu Te nomen hoc inter illuſtres Patriæ cives illuſtret, diu Divi Antiſtitis muniat Clientela, cujus etiam remo, auſpicatior Remus ad perennitatis Floridam & Inſulas ſed olim, deducâre Fortunatas.

Indidem ſumitur & alterius Gratulationis impetus dictæ Mareſchalco Judiciorum Regni Generalium: Non unus in Tui venerationem hodie nos impellit ſtimulus. Totidem calcaribus urgentur ingenia, qvot haſtis patuit Adal-

ber-

bertus. Jam illis torqvere desiit Tutelarem Tuum Prussia; Sed nondum nos eisdem extra metam. Qvia tamen male coacta respondent ingenia &c.

Gratulatio Natalis Tertia.

Illustrissimo D. Stanislao Bienievvski Generalium Regni Judiciorum Marescharco.

SIstimur ad Tuæ celsitudinis Tribunal, illustrissime D. Diem etiam nobis dixit hic Tui Natalibus sacer, Tuo nomine serenus dies. Citamur sub Tuo centuriati Labaro, sub qvo stipendiaria pridem militat Fortuna. Nec flagitat tantum, sed debita etiam magnis nominibus veneratio reatum inducit, à qvo, qvamvis inter Judicum subsellia possis plurimum polleasqve summus Themidis Polonæ arbiter, eximere nos per æqvitatis Polonæ arbitria vix potes. Imo qvantumvis in Libertatis Regno enutritis hæc unica Libertas non sapit, qvæ nos ab urbanitatis officio exemptos velit. Et nos qvidem sic perenne Tibi obstrinxit studium; Sed neq; Tu extra vincula. Omnium in Te conspirant animi, nemoqve Te hodie vult non devinctum: in alios Tibi alias jus omne, in Te hodie vicissim omnibus. Nobis Boleslai ultra sui nominis audaciam progressi non inhumanitatem, sed in accessu audaciam placuit æmulari. Conspiramus cum Audaci Principe in Stanislai non tam sangvinem, qvam amorē; nec gladiis Te adoriri libet, sed affecti-

affectibus. Non ergo, ut ille, Sacrilego ausu in caput irruimus; ad Tuum cor penetrare nobis in votis est. Et patet id, dum Tuæ nobis aures patuere. Nam facile per aures se in cor insinuat Oratio si non hoc ipso non absimilis Divo Indigeti cadis victima, qvod Tuam per aures modestiam cruentamus. Sed pridem didicit audaciam pati amicum tolerantiæ, Stanislai nomen &c.

Eidem.

UNum Cracoviensis Antistes Audacem noverat, plures hodie amplitudinis Tuæ latus obsedere, insedere atria. Audaces dixeris, qvos vectigale Tuo Natali præconium, ad impares laudis præsago nomini excivit conatus, nec enim audaciæ notam effugit nostra tenuitas Tuum ausa incurrere in conspectum. Qvo nempe non irrumpat audacia, postqvam semel ad aras cruenta in Præsulem penetravit? Æqvè illi aditus ad templorum patet adyta, atqve ad Heroum atria. Sed Tuo id imputandum nomini, qvod eousqve audaciæ noster processit ardor. Etiam Polonæ Aqvilæ convolant, ubi vel Stanislai reperiunt corpus, vel nomen persentiscunt. Nec tacent, qvando vel emortuam novo prodigio excitaret facundiam vivificum Stanislai cognomentum &c.

Eidem sic per Poëticas apprecationes acclamatum:

1. *Qvam Natalitio spondes sub nomine Famam,*
Remige de penna vel super astra ferat.

2. *Pon-*

2. *Pontificis digitus, qvem piscis glutiit olim,*
Hic Tibi, sed qvondam, monstret in astra viam.

3. *Qvi dat & extinctos iteratò vivere Manes,*
Is revocet Pylia vel tibi fila colus.

4. *Indigetem qva rupe Tuum trux mucro peremit,*
Nomen in hoc sculpat posthuma fama Tuum.

Gratulatio Nominis dicta Sebastiano.

ETiam hodie destinatum semel jaculis Sebastiani nomen, telis obnoxium est M. D. negant Pharetræ tela, cor subministrat. Et Tu proinde intra metam es, hujus ut hæres nominis, sic virtutis. qvot olim jacula, illæsa constantia Tuus excepit Tutelaris, totidem Te recepturum crede. Nec aliter ad Sebastianum prodire debuit Orator Amor, qvi ut nunqvam est sine telis, sic nec animos ferit svavi sine vulnere. Adhæc non minus verbis, qvàm innoxiis hisce telis abundat obstrictum pectus: plures ea eo aberrare à meta inscias deprompseris sagittas, qvam illigatas numeraverit fasciculus Anacharsis. Sed neqve ingenium sic acuto impendimus characteri, ut nulli nobis feriendis cordibus molles supersint aculei. Ergo & Tu Divi Cognominis Tui viva spiransqve effigies telis hujusmodi meta & scopus esto. utcunqve extra dubiæ Fortunæ ictum es, certe à jaculis, qvæ

Clien-

Clientum intentat Amor, immunes esse haud potes. Qvodsi gravius id telum feriet, scias nulla fortius vulnerare tela, qvam qvæ solido intorqventur ab amore &c.

Gratulatio Nominis V.
dicta Martino N.

ALias Tacitus, hodie Tullius esse malim. Odit enim dicendi Parsimoniam liberale Martini nomen. Eloqventiam efficit Togatam, vel Sagum illius militare. Prodigium id Tui Tutelaris est, qvi non minus corporis qvam Verborum inopiam novo depellit munere, novis coloribus cohonestat. qvamvis frustra peroranti facundiæ colores aliunde mutuer, qvibus jam depingit ipsa erubescendi necessitas, qvod tuis nihil par meritis possit in præsens deprompere. Erubescat igitur Tullius, qvod verba illi non suppetant, ubi disertus vel maxime speratur; nisi forte Tuo id imputandum nomini (nam suam & nominibus inesse vim novimus) qvod elingvem Tullium reddidisti ac districto in phlamydem ferro, hunc etiam togatum exanimasti. Si qvid tamen ab illo audire libeat, familiari sibi precandi formula, Salutem plurimam Tibi dicit.

Posset impetus Oratorius deduci ex eqvitatu Divi Martini, & sic diceretur:

Pedestri hactenus Oratione usi, eqvestre dicendi genus à Tuo didicimus Tutelari. Excurrimus illico in officia, Tui nominis luce ad cur-

ad cursum prælucente. tam ad Tua non sumus urgendi obseqvia, qvam eqvo Antistitis calcar subdere non necesse. Moram qvidem hactenus injecit, qvam suo nomini immiscuit Amor, solicitus qvid Atticis dignum auribus adferret; nam, ut cecinit ille:

Res est, soliciti plena timoris, Amor;

Sed exuit jam metum, postqvam didicit in hac celeritate plurimum esse momenti, &c.

Gratulatio Nominis VI.

Alexandro N.

QVod nomen olim Oriens expavit, colit Macedonia, hoc Tuis affusa pedibus adorat demissio M. D. Sceptris orbisqve fascibus destinatum Alexandri nomen etiam hinc Regium Tibi inesse qvidpiam indicat, qvod Regale animis incultoribus imponat ac imperet tributum. Hinc læsæ majestatis reos ipsa nos in jus vocaret urbanitas, si semel in Basilicum hoc prænomen, qvod Tibi cum maximis commune, hoc ipso foremur injurii, qvod absqve Solenni cultu illud abire passi videremur. Non eò hæc attinent, ut qvidqvid Tibi venerationis impendimus, Tuo nomini totum tribuatur, nihil meritis: Nam paria tanto nomini non excludis ab animo ornamenta.

Gratulatio Nominis VII.

Illustrissimo Domino Stephano Czarniecki fatali Svecis bellatori.

ET Tuum pulcherrime Te coronat nomen, & re-

& recentes pulchrius ornant laureæ. Nil in Te non coronatum, ne nomen qvidem. Adorare illud Tuus imperat Natalis, qvod hostis fatali sibi ruina toties adoravit, & dum coronam Principi repeteres, lauream porrexit triumphalem. Exhorruit illud Leo Vandalicus, & se cervum toties fuga probavit, qvoties Te ductore in Polonas Aqvilas incidisset. Nullibi à Tui metu ille securus, in terra fatalem Leonibus clavam Poloni Herculis, in mari etiam gentilitiam tuam Argo exhorruit. Triplex in Sveciæ insigni Diadema non satis hoc coronasset nomen, cui merito (ut in Gaditano freto Herculi) victrices in Balthico erigerentur colossi, nisi plus ultra excursura sit Tua feriari ab armis ac triumphis nescia fortitudo. Sed nescio qvo pacto ad laudum confinia à plausu natalitio aberravimus: Iterum ergo ad laureatum Stephani nomen relabimur &c. Continuent Superi triumphalis ferri molimina & in totidem annos tuam prorogent ætatem, qvot nobis ab hoste eripi vetuisti. Auge in immensum trophæa, qvæ continuas; ac illum Te hostis noverit, ac talem diutius reformidet, qvalem hactenus Europa non sine pulchro invidiæ morsu fuerat admirata.

Acclamatum eidem
Poetice:

Jure coronatum præfers Dux Lechice, nomen:
In Te, qvid nomen tale coronet, habet.

Taurus ut Herculeæ fuit ictus robore clavæ,
Arctoam domuit sic Tua clava feram.
Et Leo fatalem tulit à Te Gothicus ictum;
Te post Alcidæ qvis neget esse parem?

Gratulatio dicta in festo Translationis S. Stanislai à Rhetoribus Oratori N.

ADhuc nulla Oratoribus tam jucunda est, quam agit Translatio, qvàm hodierna Tibi Cognominis Stanislai. Eo demum Rhetorum (qvibus Atticam inspiras facundiam) evasit gloria, ut eorum tropos etiam Apotheosis consecrari. Sanctius qviddam est Metaphora, qvando non simplici ritu jam colitur Translatio. Nos tamen vel maximè incumbit hæc instauranda cultus necessitas, ad qvos omnis pertinet Translatio suo jure. Hinc etsi Metaphoras dicendi sæpius usurpamus, nullam tamen præ hodiernis impensiore studio veneramur. Debemus id magni Antistitis, qvi hodie in Craci Capitolium, & pridem pulchriorem è terris fecit Cœlos Metaphoram, & Tuis de Republica literaria meritis, qvæ sola efficiunt, ut in nostra semel illatus præcordia, in nostros illapsus semel affectus, transferri semper in eosdem mereare.

&c.

Se-

Sectio V.

De Gratulatione Dignitatis.

Honores vel gratulamur oblatos, vel ominamur offerendos, vel gestos cum laude memoramus. Triplici huic mori morem hic geram.

§. I.

Materia & modus scribendæ hujusmodi Orationis,

I.

Materia constat tum exaggeratione collati muneris; tum meritorum, qvibus id muneris qvis consecutus: tum insinuatione eventuum, vel modi; qvo ad id fastigii evasit: tum spe publici boni: tum laude familiæ, qvæ in Honorum sinu plane consenuit: tum appreca-tione ampliorum [si hoc non est supremum] munerum in boni publici augmentum. & stirpis honoratæ gloriam.

II.

Modus scribendæ hujus Gratulationis reqvirit insuper qvædam gestientis styli indicia splendide omnia proseqventis. Huc faciet locus Comparationis, Prælationis, qvod Majorum vel antecessorum insistet vestigiis, vel qvod eorum gesta plerisqve grandioribus obliterabit. Solennis etiam est Digressio ad novi Honorii Majores, qvi sæpe plures paginas elogio suo implent.

plent. Præterea merita & laudes viri honorati liberaliter Oratio proseqvitur, qvibus veluti gradibus huc pertigit. Atqve huc spectabunt ea qvæ in Prolus. 5. attulimus. Etiam Suffragia eligentium hic extolluntur, de qvibus tamen merito dicas: Militat omnis virtuti manus, & eligentium Suffragia inclinantur. Calculis probatur omnium, adeoq; omne tulit punctum, qvem suo virtus dignatur calculo. Omen etiam Patriæ felix deducitur, qvod videre licet in Panegyrico Regi nuper inscripto aliisq;.

III.

Item insignis illius Honoris qvem aliqvis capessit, ut Episcopi, Mitra, Annulus, Scipio Pontificius, acuminis materiam obtulerunt Authori Panegyrici qvi inscribitur: Solennis inauguratio in Episcopatum Luceoriensem Nicolai Prazmovvski Cancellarii tunc Regni. Ubi de Scipione Pontificio sic dicitur: Olim Pastoritium baculus fuit Regalis Sceptri anteambulo: Cyrnotiora prius caulæ, qvam Aulæ itinera: Insertus jocularitér DEI manibus arundo, Potestatis Pontificiæ succrevit in Sceptrum, & fragile ventorum ludibrium calamus iisdem DEI Patientis duratus malis in robustum Scipionem evasit. Idem de Annulo Pontificio ibidem hæc habet; Restat coronanda auro manus, qvam Sacer perunxit liqvor. Exporrige manum capiendæ æternitati, cui vel ipso annuli circulo prælusisti, cui hoc perennitatis pronubo, hoc Sponsore subarrhatus

rhatus ad aras, destinaris. Polycratis annulo Tu-
um diem non consigno, qvem infelix felicitas fa-
bricarat.

IV.

Etiam novo Regi oblata Regni insignia non
eve acumen offerent. De Regali Purpura sunt il-
a: A multis Tu retro seculis Purpuræ destinaris:
ec primus fulges in trabea, qvi in Regia Cæsa-
umq; stirpe solia insedisti. Regum Purpura Re-
gnorum est Aurora, qvæ novæ ortum gloriæ in-
ucit; nam serenantur omnia, dum primum ru-
et hic Phosphorus. Erit cum & Tu velut novus
tatis Tuæ Julius novum hostilibus castris in-
andes Rubiconem, qvi barbaro permistus san-
vini hostili murice Regale Tibi Paludamentum
olorabit. Novam Tyrũ Purpuræ fæcundam dabit
tabo hostili suffusus Tyras, & non sine fatorum
rbitrio Auroram possedisse Tyrannum Orientis
atebit, qvæ illi cruenti omen est diluvii &c.

1. Sed post Purpuram, capesse & Coronam: Per
lud Erythræum navigatur ad hanc aureã Cher-
nesum. 2. Decet tot votorum victimam coro-
nari & laurum paternam immutari in aurum. 3.
Nec abnuit Patria, cui nihil in votis potius qvam
antum verticem coronare, ne Basilicæ virtutes
rincipis non coronatæ incedant. Sertum qvidem
llis Beata nectit æternitas; Sed Aqvilonari Prin-
cipi eat interim in præmium corona Borealis.
Aurum meruit cui jam dulce pro Patria ferrum
est. 4. Utinam nobis tales secutura ætas offe-

rat Coronatos! In aliis non raro præter aurum nihil in vertice coruſcat; Sed Tui mentis immenſæ capacitas & ſolers in omnem partem ingenium in Te coronatur. Coronæ aliis gloriæ coronis ac terminus ſunt, Tibi primordia, qui nullam in glorioſe gerendis coronidem patiare. Semper Tibi inter primordia hærere videris, dum ſummum gloriæ pertigiſti; vix oleaſtrum Tuo unius judicio meritus (qvæ magnorum mentium moderatio eſt) ubi laureis orbem inumbrâſti.

Sed aurum adhuc auro adjicit Libertas aurea, dum aureum Regni pomum non è fabulosis Heſperidum horto decerptum offert. Regalis hic Autumnus, Principis palato & Palatiis digniores fructus gignere haud novit: Imo vix ullus Autumno Tuo Auguſtior, qvi hæc regni profert bellaria, qvibus Tibi gloriæ guſtum dulcius condit. Nec alio in ſpem ætatis aureæ paſci obſonio ſpes publica. Aureas nempe Regum animas è Platonis Sententia, qvo commodius aleret metallo? Qvid in Libertatis lance Tibi apponeret hic Alcinous? nec vile pomum eſt, in qvo Tu melior grandiorqve Antonius Regnum ediſti nec immaturum, qvod tot jam ſeculis maturuit. Et qvamvis plerisqve pomum Regale tantum eſt malum aureum; Tu nihilominus meliori ſpe noſtrum afflaſti ſæculum, vel è malo aureo ſolam honorum auri fodinam expreſſurus. Refundes ditiorem Pactolum auriqve venam aperies, qvod Tibi in Regales manus ingerit

gerit hoc auro Tibi obærata perenniter Libertas. Nec enim sterili solo committitur qvidqvid Regum manibus Midæ prodigia in orbem facile revocaturis.

Manum insuper Tibi auree Princeps hinc aurum ornet, hinc ferrum armet: utroqve hoc metallo majestatis reverentia intenditur. Nec Mercurii virga sceptrum adæqvat regale, qvo melius qvam Columnis Herculis orbem fulcies, hoc etiam auro non unam Olynthum prostraturus cum Philippo. nec enim fulmen aliud Joves terreni geritis, qvod ita luce sua oculos animosqve percellat, qvam qvod Sceptri aureus ementitur fulgor. Atsi sceptra hostis non paveat, Gladium extimescat. Stringe hunc Regaliis dextera, non unam illi Pharsaliam exprobrosiores Punicis Cannas minaciter intentans. Meminit Chocimum Campiqve illi, qvos in solas Polonis laureas, Osmanno in Cupressos reddidit fæcundos cruenta eluvies, & effusa inibi barbari cruoris procella. Impressit certum laureatum omen huic Regali ferro, victrix tot Regum dextera: impressit illi horridum Martis vultum Crivoustus qvadragies septies triumphator: impressit Audax animi vigorem, Uladislaus felicitatis tesseram, Casimirus insuperabile inter adversa robur, in arduo triumphans, in turbido serenum, in qvo etiam aliqvid Caroli V. nostra ætas suspexit, dum Sceptris se ultro evolveret; multum Augusti dum regnaret, Victor hostium, dum arma caperet, Victor etiam sui, dum sponte Pur-

facile parem habiturus, nisi Tu successisses, qvem Jagellonum manipulo Fraterna Korybuthi propago illigavit. Cessit ille, ut mature Tua Virtus sceptra caperet, digna Superis visa, cui cederet Casimirus vel suæ dispendio Fortunæ illam coronaturus superstes.

In solem jam evade ac Solium Regum Fortunatissimé: Pateat orbi sita in arduo Tua par Universi fascibus, terrarum imperio destinata indoles. Nil latere magis nescium, qvam ille qvem aureæ dotes Principum accendunt fulgor. Eminent hæ, ac flammæ instar in publicum erumpunt: nec Cyrum inter coætaneos, nec Achillem in Scyro latere sinunt. Hoc Tu solio diu nobis Orbiq; impera, diu Sol novus in hac auge consiste: tantum hic emines, qvantum meruisti, infra Te hinc cernes omnia, qvæ Tibi Cælum, qvæ propensa Poloniæ vota subjecere. Gradus ad solium Tibi instruunt Vota & animi subditorum, qva vix illustrior patuit ad regnum via. Imo Principum nostrorum pedibus affusa toties Othomanica Luna & cervices Barbarorum, Tibi gradus instruent triumphales. Succedis in Regum trophæa, dum in Solia. Eodem nempe gradu conscenditur par felicitas. Qvodsi angustiæ throni immensam Principis mentem haud capiunt, habes Tuæ gentis pectora, in qvibus latius imperabis. Is vero mihi Princeps qvi sic in animis triumphat. Nullus civium præcordiis thronus augustior solidiorqve Regibus assurrexit. &c.

V. Ut

V.

Ut hactenus vidisti ad Regum alludi insignia, ita & ad reliqvorum Procerum insignia licet alludere. Cujus hoc exemplum accipe qvod est in laude Casimiri Leonis Sapieha à bene gestis honoribus:

Adoptavit bene memor posteritas, qvæ Tibi decora publicis consignasti notis olim Lithuaniæ Notarius haud notior, tunc ex munere qvam ex rebus gestis. Honorarium Scipionem ita gesseras, ac si totius Lithuaniæ Fortunam is sustineret. Jam nec Romanum Scipionem, nec Virgam Mercurii vel Promethæi præ Tuo Scipione orbis præoptasset: melius hic à Regno impendentis mali procellas abegerat, qvam Herculis clava olim monstra propulsaret. Honorarius Regis anteambulo docuisti, ut præire Fortunã, non seqvi solerés; Nisi hæc, qvæ vitream aliis, se Tibi gemmeam præbuisset, minoris annuli gemma Tibi consignata. Macte, Casimire, Annulus hic Te æternitati insinuat tanto pulchrius, qvanto illustrius est tanti muneris vicem tam splendide obiisse. Rarus in hac scena Roscius, qvi gemmam hanc ita versare sciat, & apprimere, ut auream non opprimat libertatem. Demum ab œtonomiæ rationibus totum referre Te solitus ad Oeconomiam animæ, tam Regia procurasti bona, qvam Divina, celsioribus eò dignior subselliis constantius ea detrectabas, non nescius, tantum Honori inesse oneris, qvantum & auro inest ponderis.

§. II.

Reliqva ad modum scribendæ hujusmodi Gratulationis attinentia.

PRæterea Principibus maxime in Solenni eorum Inauguratione Arcus Triumphales inscribuntur. Talis inscriptio est illa Colossi Uladislao IV. erecti:

Collige & colliga florennis ævi messem nunqvam senescens Virtus. Qvot guttis Moschoviticus cruor Arctoam rubefecit canitiem bellante Uladislao, tot pullularunt laureæ, tot purpuræ Victori Uladislao. Hinc serta necte, Virtus; si tæniam qværas, cape æternitatis orbem.

Nec illa hic omittam, qvæ ad nuperam Inaugurationem Regiam spectant: Triumphos appara, plausus instrue Polonia. Plausum imperat Tuus natalibus, Tuus Suffragiis Princeps. Canora est Principis tanti gloria! Triumphos item imperat novum de Libertate trophæum: triumphalia hæc Aqvilis vincula sunt, qvæ Reges creant! Ergo ignibus omnia festivis colluceant, ubiqve ardeat Ilium triumphale: hic rogus Phœnicem Principum decet! Æra etiam festivum insonent: tam tubas nunc clangor decet, qvam Aqvilas. Reboent festiva tonitrua, & machinæ militares ad hujus Pompæ serenum fulgurent fulminentq; Regales Pompas amat hæc tempestas triumphalis gaudiorum procella detonat inter hæc tonitrua: imo Serenissimos Regnorum Joves hæc decent fulmina, qvi si ingeniis Oratorum

dulc

dulce admovent tormentum, admoveant & tormentis. inter hos ignes serenior continget Apparitio Michaëlis. Sic appareat, qvi publicum famæ theatrum meruit. At Tu moles Cœlo admove triumphales Architecte arcuum Amor in Principem: hæc Te Pharetra, hic Arcus decet nunc vel maxime. nimis imbellis es, nisi hac tempestate Arcus excites triumphales. Opple illis Urbium vicos, potentius multiplex Arcus feriet: in meta illi cor Principis, & spectatores orbis oculi. Tot Romas hic dabis, qvot hæ patebunt Principi Portæ triumphales: Tyberim effinget Vistula, Vavelli collis Capitolium. Si desint alii vel Luna Principis sese offeret in Arcum Pacis. Adhuc insuper vias hilarior Flora depingit: non solum hæc verna facies decuisset Hyacinthum. vernare vel in Autumno vias decet ad Lechicorum Principum Florem &c. &c.

2. Præterea in hujusmodi Orationibus ipsi Honori de tanto viro gratulamur ut ille incepit Orator:

In Publica hac certaqve omnium lætitia una nos circumstat dubitatio incertos animi, Tuosnè Tibi honores, an de Te honoribus gratulari conveniat. Qvid enim Patritios Tibi fasces gratulemur, qvi apud Te Honorum hæreditaria in Domo genitum novitatis nomen pridem amisere? An honoribus de Te gratulemur, qvi honorationes in publico apparent, qvoties Te adornant &c. &c.

3. Insuper Circumstantia Temporis acumini

ansam offert. Sic cuidam infra Epiphaniam Honorem consecuto Poëtice acclamatum:

Qvando Tuus vulgatur Honor, nova stella renidet,
Affulgent cœptis astra vel ipsa Tuis.
Te merito decoravit honor &c.

§. III.

Eruditio huc attinens.

I.

REcte qvidem advertit Boëtius, qvod non virtutibus ex dignitate, sed ex virtutibus dignitati honor accedat; nihilominus juxta Claudianum:

Virtutem actusq; priores
Commenda repetitus Honor, virtusq; reducit,
Qvos Fortuna regit.

Cæterum illud indubitatum & decantatum esse ejusdem Vatis:

Ipsa qvidem virtus pretium sibi, solaq; late
Fortunæ secura nitet, nec fascibus ullis
Erigitur, plausuq; petit clarescere vulgi &c.
Divitiis animosa suis &c.
Hanc tamen invitam blando vestigat & ultro
Ambit Honor,

Sed tamen illud Symmachi verissimum Honor in exordiis lætus, dehinc animos laborum æstus ingreditur. Imo (qvod Ausonius advertit)

auctus honore,
Invidiæ objicitur; adeoq; juxta Senecam: trepidant

dant multum ſublati, qvoties deſpexerunt illud ſuæ magnitudinis præceps; & qvæ aliis excelſa, illis prærupta ſunt.

Taceamne Tacitum? Honor & gloria, inqvit, pediſſeqva virtutis eſt. Eqvidem, ut nonnemo ait, vix noſcitur colitur q; Regina alioqvin virtus, ſi ſuo in comitatu ancillantem Fortunam, ſi pediſſeqvas non habeat dignitates. Ex Ambroſio illud par ambroſiæ monitum: Ne ſit nomen inane, & crimen immane, honor ſublimis, & vita declivis. Sed tamen pejorem ſæpe facit, qvem malum dignitas invenit.

II.

Multi ex humili emerſere.

FOrtunæ hic ludentis ingenium expende minimos ſæpe ab imo attollentis. Emergunt ſubito, qvi delituere, & qvos natalium Fortuna deſtituit, etiam in ſolio effulſerunt. Sic natales tenebræ non obſtant, qvo minus qvis Solem videat. Nec exempla deſunt Agathoclem Siculorum è figulo Regem memora; ſed Fortunæ hic memor, illud ſibi inſcripſit:

Rex ego Sicaniæ figulo ſum genitore ſatus.

An & Poloniæ faſti Piaſtum? an non dabunt Premislaum? Prior ille à bobus ad Regni regimen evocatus, & apum mellificio intentus dulcem laboris fructum Regnũ collegit: Alter prius Aurifex, qvam Princeps, aureum ſibi in illa incude recudit ſeculum & Coronam Sed Romã reviſe: Occurret Qvinctius Dictator ab aratro triumphalis agri-

agricola. Incunabula Tulli Hostilii agreste tugurium accepit: Tarqvinium Priscum Mercator genuit: Servius Tullus à servo Imperium obtinuit: ex taberna macellaria Varro ad Consulatum ascendit: viles primò fuerant Deciorum animæ, qvæ tantum postea inclaruere: Septies Roma ab aratro Consulem Marium vidit pilam fortunæ.

Sacra etiam hic præsto exempla. Moguntia Archipræsulem Villegisum meminit Patre hedario, cui proinde rota insigne fuit. Roma sæpe alias post Petrum infimos extulit. Certe Xistum coluit inter Pontifices è Crispini, alias tenuiore familia.

III.

De Symbolis jam delibo.

HUc imprimis referes fumum cum Lemmate: Et hic alta petit. Item fucum inter apes majorem, sed absqve melle, cum Lemm: Non mole, sed virtute. Item molarem lapidem mersum natante arundine cum Lem. Leviora natant. Item florem ad Solem conversum cum Lem: Vide, ut videar. Item Simium in purpura cum Lem: Claro se deformat amictu. Item Cochleam vel Domiportam, qvæ caput exerens facile conteritur, cui Lemma addes: Tutiùs illa latet. Qvæ Symbola facile hic ad propositum accommodabuntur. Plerisqve honor non precario nec sorte obtigit, sed impendio meritorum, ut jam meritò uti possint Eduardi, Regis vel.

vellere aureo cui Lemma ille inſcripſerat: Pretium non vile laborum.

At videris qvi Honoris culmen obtines, ut Pharus altera eſſe videaris. Hujus te commonet illa Cardinalis Lotharingi Symbolica lampas cum Lem: Lux publica. Non raro item poſt attritam in obſeqviis Principum vel Patriæ obſeqviis ætatem tum primo Honoris inſignia deferuntur; & tunc Vincentii Medicéi Symbolum uſurparis, nempe Vomerem cui adjecta Epigraphe: Longo ſplendeſcit ab uſu.

Qvodſi aliqvis è parvis initiis emerſit, opportune Tibi Joannem XXII. Pontificem revocabo, qvi in gemma annuli ſculptum habuit: Tunc gutta, nunc gemma. Deniqve non paucis bene munus publicum gerentibus illud accommodes, etſi jam uſu protritum, nempe Alphonſi Arragonii lucernam cum Lemmate: Aliis ſerviendo conſumor.

IV.
Reliqva Eruditio.

Approbo Caroli Magni Sententiam cui tantum illi Principes in votis fuere, qvi Auguſtum Imperio, Periclem judicio, Alexandrum bello adæqvarent. At qvotusqvisqve cum Pericle ſibi occlamet ſæpius: Attende ô Pericles; cives ſunt, liberi ſunt, Athenienſes ſunt, qvibus imperas.

Nec Chryſippi Dilemma improbo. Rogatus is cur nollet Remp. regere: Si male, inqvit, rexe-

rexero, displicebo Diis: si bene, hominibus. Nempe juxta malum illud sed verissimum metrum:

Seu seqveris verum, seu damnas, pessime vivis;
Odia Divorum contrahis, aut hominum.

Augustior adhuc hinc evasit Augustus, qvod Imperium adeptus sibi gratularetur eum gradum, ex qvo benefaciendi omnibus facultas daretur.

An etiam & Olitor opportuna locutus? Turcarum Imp. Bajazetes exprobrabat Tamerlani natalem Pastoritium, sed hoc responsi retulit: Nescis ex lana etiam ovium, Purpuras Regum fieri? Hinc Tamerlanes loco monilis fulmen de torqve gerebat cum inscriptione: In terra vapor, in nube terror. Sacris rem concludo. Adrianus VI. rogatus, qvod supplicium hosti imprecaretur, respondit: Pontificatum. Hinc ejus Epitaphium tale est; Adrianus VI. hic situs est, qvi nihil sibi infelicius, qvam qvod imperaverit, duxit.

§. IV.

Applausus Gratulatorius

Dignitatis I.

NOn tantum ad superbas Principum ædes pervigil moratur Honor: Lucet ille vel inter illustres modestiæ umbras, ubi à profani ambitus afflatu immunis, nec assentantis plebeculæ plausu extollitur, nec maligno livoris obtunditur obtutu. Talis reluctante licet mode-

destia Te reperit reus ipse ambitus Honor, facile ad summum gloriæ subvehendus, si tales ex umbra Soles sæpe legeret. Is Tu scilicet semper eras (id qvod olim de Stilicone audivimus.)

qvererentur ut omnes,
Imperium Tibi serò dari;

ut jam nec illius, cujus humeris ante tota Imperii moles incubuit, Atlantis jactura feriat, qvando non impar succedis, Cœli ejusdem bajulus Alcides; extra dubium jam relinqvens, Nervæ bono Trajanum succedere optimum potuisse. Sunt nempe Titi pro Vespasianis. Erit cum & Tu amplissimum hoc Tuæ gloriæ theatrum nactus, grandiores nec orbis indignas spectaculo, nec nostræ impares expectationi scenas dabis.

Applausus II.

REponit vicem honoribus, qvisqvis eos emerita manu capessit. Celsius eos erigit honoratæ Virtutis privilegium & Heroum dotes in ardua sustollunt. Idem hic, qvod radio in speculum illapso evenit, qvi reciproca crystalli luce suas amplius opes auget. Qvodverò uspiam Honori magnificum obtigit, hoc ultra voti audaciam præstas M. D. qvem honores non tam ornare qvam à Te ornari videntur, tantumqve illis à Tua Persona dignitatis accedit, qvanto Tu dignior. Ut multum suffragiis, sic Tuis plu-

plurimum debes meritis, qvæ his gloriæ Fortunæqve insignibus decorantur. Nempe libentes volentesqve in solio adoramus, qvos in animo pridem ex virtutis calculo coronavimus. Clariùs in altum subvecta Virtus emicat: idem illi, qvod soli evenit, qvi publico mortalium bono in Aug. subinde collocatur. &c. &c.

Applausus III.

NOstra etiam coronantur vota, dum in Cive Patriæ emerita coronatur Virtus. Pars nempe felicitatis est, eum in arduo conspicari, in qvem eligentium & animi conspirarunt & calculi. Nec in Te conspirare non poterant, ubi fluctuandi periculum votis abstulit Tua, qvæ in comperto est, ad orbis Imperium unice facta indoles. Ubi suffragantium discrepent studia, ubi ægre meritorum discernitur magnitudo. At frustra de pluribus sortiare, ubi uni merita suffragantur, & plurium oberrant demerita. unus imperet, ubi nemo alius mereri sceptra possit. Adeo non solus in sublime eluctaris, sed omnium de te trahis judicia; inter meritorum satellitium, insuper suffragiorum splendido in hoc fastigium deductus comitatu. Timeri haud poterat, ne fasces non ex merito posthac gereres, qvi non sine pulchro gloriæ proventu alienis etiam fascibus paruisti. Discit qvippe aeclinis pietate animus regere, si permiserit se vel semel regi: illiqve bene jugum norunt imponere, qvi jugum ferre didicerunt.

Ap-

Applausus IV.

RAro qvidem Nervæ Trajanus, id est Bono successit Optimus, sæpiusqve Antigonum refodere pœne cogimur Antigono deteriorem nacti; cum interea dignior qvi succedat, non aliter exoptetur, ac post hyemem Ver ac æstas: Sed Tu successisti bonis semper Optimus, ita meritus audire par summis ut eligeres audire non impar optimis. ab hoc videlicet Optimi cognomento in Te Optimatis nomen & gloria defluxit. Tu qvidem tantæ virtutis radios ne in Famæ publicum erumperent, obtentu modestiæ premebas; Sed ipsa se luce sua Virtus ab umbris vindicat, nec illi aliter qvam Soli latere contingit. Habet hoc primum debitus Virtuti Honor, qvod nihil tectum, nihil occultum esse patiatur, proborumqve vel intimos recessus recludat, omniaqve arcana Famæ noscenda proponat. Repositum ergo Tuæ Virtuti præmium, ne sola recte factis ex conscientia merces constaret; Sed haberet insuper theatrum augustius evecta in arduum Virtus, in qvo & plausum ex æqvo referret, & ad pulchram æmulationem animos inflammaret. Eras igitur in animis, eras in Virtutis comitio Princeps, nec aliud Tibi per suffragia delatum, qvam qvod ante suffragia in omnium votis fueras, vel fuisse certius merebare.

Addo & applausum Gratulatorium Inauguratæ Polonorum Reginæ Ludovicæ Gonzaganæ:

Ade-

Adeste liberi qvotqvot estis: Matrem Patriæ coronamus. Cœlo accessit Austriaca, ut Sceptro succederet Mantuana. Liberis vocata suffragiis, qvia ad Regnum Libertatis. nam nascuntur alibi Principes, hic eliguntur: & natura Reges inchoat, non absolvit; imò magni sangvinis magna qvidem successit, sed major meritorum. Nec sola evadis ad solium Ludovica; orbis de Te judicia Tecum trahis. Ad regnum qvæsita es extra Regnum, ut Patriam extra Patriam invenires. Sed natale est omne virtuti solum, nusqvam illa nisi domi suæ coronatur. Sceptrum tamen, qvo fulcis Patriam, ne fragile suspiceris, qvod olim Constantiæ ipsius manu temperatum est. idem leve ne crederes, pondus accepit à manibus Uladislai, qvas nimium esse graves didicit levitas perduellium. Scande jam Augusta Sarmaticum Augustal vel per vota subditorum, vel per colla. qvanqvam ne civium colla calcares, victor providit Casimirus, dum pro solii gradibus Capita suppositit Tyrannorum. Maturum Honori Tuo carpe Pomum aureum; aliter enim gloriosa laudum Fames non expletur, nisi depromptis ab Honore alimentis. Detur alibi Pomum Regium Pulcherrimæ, hic dignissimæ. Fragile nempe est vehiculum ad regnum venustatis deserta ab animo pulchritudo. Violentum formæ Imperium est, adeoq; solius naturæ tenuis dos habetur, nisi augescat ærario meritorum.

Laus

Laus à bene gestis Honoribus.

PRocul hinc Personatæ in Purpura Simiæ, qvibus potior nominum, qvam meritorum census. Projecit in Vos Fortuna Clavum Honoris, ut ceu ad Maleam frangeret. O splendida luxûs mancipia, pro qvibus ipsa etiam purpura erubescit. Adoro merita, qvoties Purpuram in stirpe N. N. veneror, qvam tinxit toties sangvine barbarorum. Sed Tu non tam Hæres Purpuræ qvam Auctor extitisti Ludovice; accersendis honoribus æqvè nunqvam deditus, ac semper fueras par oblatis; In primo Honorum aditu talis, qvales se tantùm pleriqve fore pollicentur. nam grandia antecessorum acta paribus illustrans; imò pœne obliterans; exemplis optimorum institisti & ipse inter exempla numerandus. Fortius alios à Te splendide acti muneris gloria ad æmulationem excitabit, qvam olim Themistoclem Miltiadis trophæa.

Concludam ex Plinio, laude Trajani titulos recusantis, Ac mihi intuenti Sapientiam Tuam minus mirum videtur, qvòd mortales illos caducosqve titulos depreceris aut temperes.

Sci enim ubi æterna Principis,
ubi non fluxa sit gloria. &c.

Ca-

Caput II.

De Officiosis Salutationibus.

HIs ut optime ac abunde sis instructus, qvotidianus pœne usus admonet, & urbanitas exigit.

§. I.

Materia hujusmodi Orationum.

HÆc primo exigit gestientis animi indicii de adventu hospitis. Varie id præstare poteris:

Primo sic: Et oculis dulce spectaculum & animis grandem gestiendi præbes illecebram, M. D. per oculos agis in præcordia &c.

2. Sic: Nec Solis post nocturna umbrarum devortia, nec hospitum post diuturna absentiæ tædia conspectus absqve nova serenitate animorum contingit.

3. Exemplum accipe ex Salutatione supremi Exercituum Ducis, ubi illa est testificatio gaudii: Etiam hinc Te illustri argumento Ducem exhibes, qvòd te ubiqve animorum studia, ubiqv satelles hilaritas ac Urbium plausus comitetur, Dux Illustr. non minus è qvæsito trophæorum, non minus ex adscititio tot Heroum Dux agnosceris comitatu, qvàm ex satellitio gaudiorum. Serenas omnia, qvocunqve patri-

tiæ

tiæ lucis Fortunam motu benefico transtulisti. Tuo cum adventu mera gaudia, non imbres pluvium quantumvis Cœlum depluit, imo sudum serenumq; diem efficis quemcunq; Tui vultus ac purpuræ luce afflavisti. Adeo Imperialis Clava, qvâ Lechicæ Tuæq; Gentis innititur gloria, etiam Cœlorum influxibus moderatur!

4. sic: Sensit hæc ipsa tellus impressam sibi Tuis vestigiis voluptatem. Ita qvocunq; Tuam infers amplitudinem, & consortia Tecum felicitatis, & populorum trahis solatia.

5. Huc spectat illud Plinii ad Trajanum: Tam æqualis ab omnibus ex adventu Tuo lætitia percepta est, qvam omnibus venisti: quæ tamen ipsa cum ingressu Tuo crevit ac prope in singulos gradus adaucta est. Matres voluptas subiit, cum cernerent, cui Principi cives, cui Imperatori milites earum viscera effudissent. Testis ipse es, quæ in ore omnium lætitia: inde resultantia vocibus tecta, nihilq; tantis clamoribus satis clausum: quis tunc non e vestigio exilit? nam gaudio qvoq; sua cogendi vis inest.

2. Ad materiam Salutationis spectat exaggerata laus hospitis, nam ab hospitum magnitudine animorum serenitas intenditur. Sic in salutatione cujusdam dicitur: Unus quidem ipsius humanitatis passibus ad nos divertisti, sed tot simul Heroum lumina tecum infers, qvot e tua stirpe velut è luminum fonte citra Poetarum fabulam Soles emersere. Ædem hanc tot siderum efficis coloniam, qvot e Gentilitia Tua Domo Sidera

Cœlo Patria affulsere. Huc & illud spectaret Opprimimur argumenti magnitudine.& verborum inopes materiæ fæcunditas, laudumqve facit copia.

Trajanum Plinius in ingressu Romano laudat: Quam desideratus tuus in Urbem ingressus? nam priores invehi importariqve solebant, non jam quadrijugo curru & albentibus equis, sed humeris hominum, qvod arrogantius erat, veluti pedum usum amisissent: Tu sola corporis proceritate aliis excelsior, de superbia Principum qvendam triumphum egisti.

3. Exaggeratur tenuitas loci & eorum, ad qvos divertit hospes tamen illud diceres: Loci angustiæ non obstant immensæ mentis capacitati: nam vel illas sua granditate dilatant, vel illuc digredi nil pensi habent non ignari, magnitudinem hospitum a loci magnitudine non capere incrementum. Item diceres: Ad tenues se demittunt animas Principes, Solis ipsius edocti magisterio, qvi e Cœlo ad ima per radios deflectit, nullam inde suæ lucis diminutionem passus.

4. Desiderium adventus pridem antea in animis conceptum exprimitur sic nonnemo: Non gratius agris sitientibus rorem nubes, Romæ Pompejum Asia, Scipionem Massinissæ Roma submisit, quam Te nobis Tua humanum prætervecta fastigium humanitas.

5. Sæpius digressio instituitur ad hospitis illius Majores, &, si qvid in illis admirandum aut illustre occurrit, depromitur.

De-

Deniqve illud hic dicere poteris cum Plinio: Veniet ergo tempus, qvo posteri visere, visendum tradere nepotibus adhuc gestient, quæ tecta magnus hospes impleveris, qva sub porticu olim consederis, &c. Adderes: Nec nobis unquam excidet hæc quamvis potior Tua dignatio: hoc ipsum Tuis signatum vestigiis iter, & posthac venerabimur ipsi, & excipient facti memoriam anni consequentes.

Fere hæc omnia Puncta Salutationis complectitur illa

Salutatio Urbani VIII Pont. Max. à Fammiano Strada in Collegio Romano.

INgens hic fulgor tenebris nostris obortus B. P. perstringeret oculos intuentium, nisi Majestatem Tuam urbanitate cumulatam temperares ipse nobis, ad qvos non magis de via, qvam de Majestate deflexisti. Redis, ut video non gravate ad notum Gregorianæ Sapientiæ stadium, qvod à primis annis palmari semper ingenio decurristi. Juvat opinor alvearium invisere, ubi prima Eloqventiæ mella, cœlestia plane dona elaboraſti. Et nunc servat sedem honor Tuus, servabitq; in posterum: hæc qvæ consurgunt tecta, hi gradus Tuis signati vestigiis erunt nobis templi ad instar, qvod à Gregorio qvondam extructum, ab Urbano hodie consecratum religiosius colemus, in eoqve cœlestem utriusq; imaginem & venerabimur ipsi, & excipient facti memoriam anni

consequentes, audientq; à nobis non sine aliquo invidiæ morsu posteri qvod hæc aliquando tecta lustraveris, hic Majestatem oris tanquam de cœlo trahens spectandam nobis submiseris. Sic nos humanissime Pontificum, Gregorianos fastos Tua humanitate complebimus, hinc diem & Christi occurrentis in via discipulis, & Christi Vicarii ad nos de via divertentis gemina gratulatione felicissimum, nova semper ad posteros prædicatione transmittemus.

§. II.

Modus multiplex contexendæ Salutationis.

Etsi, qvæ dicta superiore §, satis te instruant, tamen hic pluribus modis Tibi mentem imbuam.

Primus Modus.

PEr Asilluonem ad Circumstantiam Temporis, eam in plausus & laudes, qvot fieri potest trahendo. Exemplis id illustro. Sic imprimis conformatur Salutatio Ducis Exercituum Dominica prima Qvadragesimæ adornata: Etiam desertum Christi nos disertos efficit Dux & hospes Illust. In solitudinem hodie secessit Verbum, sed adhuc in Urbe nobis verba in tanti venerationem hospitis supersunt; & famescente Christo, ciborum magis abstinentiam amamus, quam Verborum. Sane in Tuis laudibus plausuqve Tibi hospitaliter adornando nunquam no-

bis

bis jejunia potest contingere Oratio, qvorum desideria Tui conspectu usqve ad satietatem adimples. Circumfers tecum populorum solatia, & post exacta nuper Hilaria nova hilaritate animos perfundis, trophæisqve assuetus, etiam nubes animi triumphas, eadem Imperiali clava & hostes à Patria, & mærorem ab animis propulsans. Usqve adeo tam armorum Imperium retines quam animorum. Prodit ergo è Sacris cineribus novus Phænix, cum toties nata Tuo de conspectu tripudia renascuntur! Non sic nempe tota sacro illi cineri voluptas insepulta, ut ei Phœnicis prodigia Tuo cum adventu non recurrant. Bustum hoc cinerarium vitale est, qvod Sacris temperata imo extincta legibus gaudia Te auctore postliminio in animos reducit. Et quidni reducerer, Te angusta Tuæ Domus decora, qvorum in Te illustre geris compendium, in hæc mænia inferente? Sed neqve Patriæ minus spondes solatii, qvia plurimum consilii. Domesticæ Pacis arbitrum illa Te reqvirit; cujus armis victricibus in Toga decerpit oleas in Sago nectit laureas. Eam ut consiliis in Procerum consessu fulcies, ita nos eâ, qvâ potes pollesq; benevolentia complectere

Etiam ille Salutatio ex eodem Fonte profluxit, nempe Adjuncto temporis:

Hæc, quæ Tui desiderium pridem accenderat flamma hucusqve arsit in animis; Sed jam fungitur suo munere December, & ardorem beato plane temperat eventu, dum vota feliciter coronat;

ronat; Adventui Divino Tuum permiscens, qvo Tuæ facit pretium tarditati. Sic & Tu adventum distuleras usq; ad Adventum; ne tardius ad nos venires quam Deus, nempe tantis hospitibus a-i quid cum Deo commune intervenit, etiam adventus. Nec differre viam licuit, ex qvo factus etiam Viator Deus &c.

Secundus Modus.

SUmitur persæpe à circumstantia Natalium ac Stemmatis; qvod item exemplo illustro. Sic in confluxu aliorum Procerum Cracoviensis Antistes ex Olorinorum Familia salutatus?

Qvo Polonæ convolarunt Aqvilæ, nec Olores abesse decuit, Dux & Præsul Illust. Regiam nempe candidamqve Regni alitem carere candido vix docuit comitatu svavis in Regnis harmonia, ubi & clangunt Aquilæ, & concinunt olores. utraqve ales candidi est ominis, diesqve candidum meretur lapillum, qvo alterutra in urbem involant, si non hoc ipsum altius Polonam effert gloriam, aut meliori dat locum augurio, qvod cum alibi Aqvilis prævolarint vultures, Cygni & Aquilæ Poloniam tantum circumvolent. Qvare à Regalibus Aqvilis ad Tuum nos convertimus olorem. utrumqve eminet: nam & Aquilæ ad solium & coronam, & olor evolat ad aras & Insulas celsiores. Et nonne evolasset, cui candidum adjecit suffragium nativus color, & translatus ab avita volucri in Pontificiam mentem candor? Hinc Urbs illa Lechicarum urbium Princeps gaudet

gaudet se tantum Infulis coronasse caput, ominata sibi dies candidos sub tantæ felicitatis candidato. Sic à cura minoris Annuli ad grandiorem annulum, qvi Te desponsaret Craci Ecclesiæ, profecisti? Solenne qvippe est annulum annulo catenari. Adeo promptum Tibi fuerat domi Honorum insignia mereri, qvi olim amorem stuporemq; in Te traxeras exterorum, Capitolino ansere Polonum obstupescente olorem, ubi svavioris facundiæ velut Cygneo cantu aures Latii tenuisti, & ab Aqvinate Romano Solem in Tuum pectus ac mentem [ne suus terris deesset Zodiacus] transtulisti. Proveherent nos altius tanti hospitis, tanti Antistitis laudes, si tam alte nostra subvolare possent ingenia, quam Tuum olorem decuisset. Dicendi ergo finem (loqui enim diutius esset anserem inter olores obstrepere) non tamen gaudendi facimus, tum primum exhibitæ nobis per hunc ad nos descensum humanitatis memoriam posituri, cum & vitam.

Tertius Modus.

CUm plura simul Adjuncta Rerum, Loci Temporis, Personæ coacervantur. Talis est Salutatio Archiepiscopi Gnesn. Primatis Poloniæ Primiqve Principis dicta Leopoli in fine Commissionis, durante adhuc vinculo militari Fœderatorum:

Postremus tempore, re ac nomine Primas primusqve venis Princeps Archipræsul Illustr:

Alii Tibi præivere Proceres, ne soli tantum Planetarum Principi minora præire sidera crederemus, qvocunque Tu ordine magnus urbibus hospes illaberis, semper es Primus Princeps: seu primum ante alia seu ultimum oriare sidus, semper Tu primas; plane ut idem sidus est seu mane inter prima diei crepundia oriatur Phosphorus, seu sub quoddam diei Senium Hesperus illucescat. Tantum emines inter Patritios Procerum splendores, ut jam liceat maximos solstitii dies à Tua hospitis magnitudine derivare, quæ ut Urbium, quas passu beato consecrat, Fortunam, ita Solem in auge constituit. Crevere in immensum gaudia, geminumqve gloriandi illicium recepto mænibus & ex Vaticana Urbe Legato à latere, & Te Nato Domi Legato à Corde. Si non hoc ipso aliquid in Te Apostolici elucet Nuntii qvod volueris Evangelizare Pacem. Advolans & Tu nuper e Lechico Aquilarum nido, noxiis Polonas Aqvilas nexibus soluturus, misertus earum vincula, quibus unica esset in amore Libertas; Sed Gordio intricationem nexum inveneras, contra quem jam pæne gladium vibrabat Romanus Macedonico major priorq; quantumvis VII. Alexander: nexum inqvam explicatu difficilem, quamvis in Te incidisset, cui post Romam hic esset solvendi summa cælitus potestas. Noverat Polonia qvem tanto præficeret negotio utpote qui tam fæcundus consilii sis, ut etiam in avito schemate caput geras, ne gentilitium quidem Symbolum absqve capite esse volens. Accinere

nere proinde Tibi parabat Patria, qvod parum grata Regali manipulo vincula Tu etiam diruperis, nisi iniqva temporum ratio & qvædam fatorum vis obstitisset. Qvod vero insuper spectandum Te nobis exhibes, & tantus cum sis, ad minimos Te usque inclinas, non est qvo grati animi argumento id reponi qveat. Ad sola nos vota Celsitudinis Tuæ dignatio & nostra damnavit tenuitas. Vive, ac tot quassatam fluctibus Patriæ onerariam remo Adalberti & consiliorum impulsu ad Insulas impelle diutius Fortunatas.

Juxta eundem modum scripta est &c.

Salutatio Episcopi Cracoviensis dicta 1. Novemb. in Basilica SS. Joannis Bapt. & Evang.

REcreas tandem Tuo, qvo serenas omnia conspectu, quos ipsa Tui etiam adventus fama eminus hilarasti, Antistes Illustrissime. Differre Tibi placuit Urbis gaudia, donec illius angustias Tui desiderio dilatares. Sed differre non licuit nisi ad Kalendas, & a luce universorum Cœlitum illustres, & à Tua; ut ardori desideriorum ille finem afferret dies, qvo proxime piaculares Animorum flammæ & diu irrita Cœli desideria temperantur. Nemo tam numerose splendido ingressus comitatu, quam tu, quem pompa Celebri tot Votorum imo & tot Divorum induxerit freqventia. Candorem nempe amant, candidis assistunt mentibus cœlestes ani-

mæ, qui color illis in Gentilitio Tuo resplenduit olore. Sic nunquam solitaria incedit infulata Virtus, qvæ nec Superum excludit contubernia, nec consortia gaudiorum. Etiam hæc ipsa beatorum adyta Tuo induitu beasti, rursumqve hujus Basilicæ Tutelaris exultat vel in utero assvetus ad tripudia, postqvam ad eum deflexit hospes in Virgine DEUS: jam, qvantumvis illo nemo major hac æde celsior assurgit, cum Tu in Regni Clero Regniqv Proceribus tantus, minimorum consortia non declinas. Quare candido, id est, olorino diem hunc, qvi Te nobis exhibet, lapillo signabimus, illud in votis habituri, ut Tui vultus solatia, qvæ hodie dedisti maxima, non deneges diuturna. Qvæ qvidem religiosarum mentium vota si approbas, non magis à Te primo inter Clerum initiandis (qvod Theologorum est placitum) quam toti huic Ordini, novum grati animi imprimes characterem.

Quartus Modus

POtest desumi aliquando ex Circumstantia nominis, haud enim dubium est aliqua nomina amplam dicendi offerre materiem. Patet id in hac Salutatione Petri N. Non unius Petri cultus nobis hodie indicitur, cum & Alexandrinum Antistitem annua revolutio, & Te nobis rota devehat Catharinæ. Nec invitos ad Te pertrahunt Petri vincula, qvibus Apollinem arctius, qvam Tyrii quondam Herculem Tibi, maximus hospes devinxisti. Romanæ fidei sumus, Petrum liben,

libentes volentesq; colimus, & filii Aqvilæ filium columbæ. Si non hoc ipso Te grandiorem probas Aquilam, qvod Soli Aqvinatico diutius inhæseras, dum ad illius lucem ingenii Tui indolem explorares. Romæ jam Petrum invidere nefas ducimus, cum ad Tuũ admittimur conspectũ. Romam efficis, qvo Petri nomen intulisti &c.

Qvintus Modus.

NUnc eventus occurrens, nunc idem Dignitatis fulgor aut insigne Honoris dabit dicendi impetum. Sic ad qvendam dictum: Fatalem nuper exhorruimus adventitiam Cœlo facem, sed Commeres hic augur lætitiæ fuit, qua liberaliter animos perfundis. Hospes desideratissime. Odit nempe gaudii parsimoniam Regale Sigismundi nomen &c.

Sextus Modus.

Est usus Eruditionis in Protasim & Apodosim tractæ, cujus exempla hæc accipe:

Salutatio deducta à Symbolo.

RAram in pari fastigio Tuæ humanitatis specimen ad has divertentis loci angustias, magnum illum in Romana Purpura; revocat Barberinum, Sacra ille Musis an Tullio civi utiq; Romano limina visebat hospes (ut ferme à literis non abhorrent, qui digna literis gerunt) cum pro Lycæi foribus hortulum miris distinctum flori-

floribus,(nam & hortuli non desunt illi Hortensio) advertit, qvi,ut adjecta innuebat inscriptio, *Expectaret apes* Datum hoc & Purpurati Patris insignibus qvæ mellis opifices condebant condiebantqve Apes, datum & hospitis dignitati, qvæ tantam in illo Romanæ juventutis flore sitim ac desideria sui adventus accenderat. Qvod qvidem literarium schema qvam ex congruo Purpuratæ celsitudini fuerit inscriptum, in comperto est: Illud in eo, si Roma sinat feratq; non incongruâ crisi notaverim, qvod beneficium se potius præbere velle, qvàm accipere illius Hortuli cultores testarentur. Aliud nos testari cogimur,te intra hæc mænia recepto: diuturna exspectationi, (qvam non satis Tullianus ille hortulis suis coloribus adumbrasset) præmium referri potius qvam Tuæ amplitudini pa em urbanitatis instrui fatemur apparatum. Colligimus à benefico ad nos deflexu plura vividi amoris argumenta quam Barberini Apes de appicto Scholæ viridario, vel ex insertis liberali pictoris ingenio floribus collegissent. Sic non sterile bonum est tanti Herois è proximo conspectus, qvi & oculos novæ magnarum mentium scenæ intentos recreat, & animis novam bene præsagiendi necessitatem inducit. Vive, vir amplissime,diu Patriæ,diu inclytæ Tuæ stirpi,vive & mihi, ac luce hac, quam Tibi Genus & Virtus gemina Heroum prosapiæ fax accendit,diu Patriam serena.

Al-

Altera

Salutatio deducta ab Exemplo per Prot: & Apod:

PLerumq; magnitudini hospitum par gaudii respondet magnitudo, adeoqve hujus mensura est sola venientium dignitas & Fortuna. Ad Numidiæ Regem Massinissam provoco. Deos ille ceu insolitæ auctores Fortunæ gratiis veneratus, dum fatalem illum Carthagini & Africæ cladibus quam suo notiorem nomine Scipionem ad se cerneret divertisse. Inclinarat illi animum Rex urbanissimus, cui suis inclinarat se ruinis supplex Africa: & in ejusdem ruerat amplexus, quasi suam tanto in hospite felicitatem stringeret, non facile, si liceret, dimittendam.

In majores me impellit gratias ea, qvæ me circumstat, ac toto se infundit sinu felicitas. Nec enim aut Tu mihi Romano Scipione minor, nec ille, sibi Te major arrogantius videretur, si eam, quam ubiqve circumfers amplitudinem maximis invidendam, in Te adverteret. Unum est, qvod Massinissam inter hæc Fortunæ angebat munera, & me angit vehementius, qvod eam, qvæ mihi tecum oritur (utinam absq; Occasu) Fortunam ita pressis tenere manibus neqveam &c. Deniq; potest Allegorico tractu res tota deduci, ut patet ex Salutatione dicta in Prolusione de Stemmatibus sub titulo: Campus.

§. III.

De Inſcriptionibus Arcuum Triumphalium in ingreſſu Principum.

IN ſolenni Principum ingreſſu eriguntur ſæpius machinæ theatrales & moles ſuperbæ magnifico exſtructæ apparatu, vulgo Arcus Triumphales, quibus vel Picturæ Symbolicæ adduntur, vel aliquid proſa aut ligata Oratione inſcribitur.

Picturæ autem in Arcubus Triumphalibus adhibendæ, poſſunt deſumi vel ex Alluſione ad inſignia Principis; inſignia, inqvam, Honoris vel generis, ut patet ex proxime dictis de Barberino Scholas Romanas inviſente; vel ab Analogia, ſeu ſimilitudine rei alicujus cum Perſona & munere Principis, ejusq; adventu.

Sic Philippo II. Regi Belgium ingredienti depictus eſt Sol quadrigis vectus cum Lemmate: *Illuſtrabit omnia.* Vel certe pictura hujusmodi eſt index ac teſtis publicæ lætitiæ ex adventu Principis derivatæ. Sic Alphonſo Regi urbem ingredienti depicta eſt Corona laurea in annulum deſinens cum Lem: *Hilaritas Univerſa.*

Huc ſervient & alia qvædam Symbola.

Primum: Henricus Dux Brunſvicenſis lunam depingi juſſit cum Sacra illa inſcriptione: Viſitavit nos Oriens ex alto. Secundum: Carolus Lotharingius lampadi accenſæ in haſta inverſa,

Lem-

Lemma addidit: Lux publica Principis ingens; Tertium est Marcelli Veneti Ducis, Columba cum ramo olivæ & Lem: *Bonæ Spei.* Quartum esset iris in nubibus cum Lem: *Adseret ista serenum.*

Qvodsi in Arcubus Triumphalibus velis aliqvid inscribere quacunqve oratione, Inscriptio illa debebit concinere brevem sed nervosam laudem Principis, vel apprecationem, vel omnia, vel publicæ lætitiæ indicia. Solennis illa fuit Inscriptio qvam in Arcu triumphali, qvi fuit Imperatori Trajano erectus, Roma apposuit:

Patri Pio, Patri Senatus, Patri bonorum omnium, Patri Patriæ Pio, Justo, Felici, semper Augusto.

S. P. Q. R.

In Arcu Triumphali Nicææ erecto hæc inscriptio posita in ingressu Neosponsorum:

Felicibus Pacis suæ Sponsis Serenissimis Sabaudiæ Principibus S. P. Q. N. pro Jani foribus clausis has triumphales aperuit.

Aliquando hujusmodi Inscriptione pluribus verbis contexuntur. Talis illa Uladislao IV.

Ingredere sospes avite Divorum sangvis, Tuæ Patriæ votum & spes, Fortium Clementissime, Clementium Fortissime, tota Lechici nominis Majestas: Ingredere Vita Civium, Consilium Reipublicæ, Senatus Oraculum, Mens Poloniæ. Tecum Tua felicitas sceptra capiat, Tecum Tua Virtus coronetur: Imple factis fastos æternitatis: addant Tibi Superi tot annos, qvot nobis eripi ab hoste vetuisti. Ta-

Talis & illa Inſcriptio Arcus Triumphalis Cardinali Cæſari Montio Mediolanum ingredienti:

Aſſuevisti Victoriis, aſſueſce & triumphis:
Et Cæſarem, & privatum eſſe non licet.
Ad primæ Romæ regimen, per ſecundam aſcende:
Ad Te ſublimia qvæqve referuntur, ut ſuccreſcant.
Eminentia titulus eſt aliis, Monti etiam natura.
Si virtuti præmia non reſpondeant,
Merentis gloriam crede, non tenacitatem debentis.
Ingredere igitur, & Inſubriam Tuam etiam inde felicem
Scias, qvod iterum Cæſaris ſedes ſit.

§. IV.

Eruditio hoſpitalis delibatur.

LOngiores hic alii, ego brevior, ne in notioribus videar heluari.

Auguſtum imprimis mirabere, cui officioſum Salve magis ipſomet teſtante placuit, quàm ſumptuoſiſſimum epulum. Tanta vel in unico verbo latet ſvavitas, maximè cùm arcana mentis detegit ſtudia, qvæ vocabulo veritatem concilient, & gratiam intendant.

2. Jam in Africam Te relego; Annibale recepto triumphantem. Certè Annibal Salutationem poſt

post rem cum Romanis bene gestam ipsi triumpho prætulit.

3 Congesti à Salutantibus in hospites etiam tituli. Sic Decius Cincinnatus in triumpho, Urbis Patronus est salutatus. Sic Dentatus Romam è bello redux Achilles est appellatus.

4. Execror Alexandri fastum, qui â nemine salutari, adorari ab omnibus voluit: Nempe Jovis se filium credidit credique voluit Victor prætumidus, ignarus imbellem videri animum, qui de fastu nesciat triumphare.

5. Quis adhuc non insultet veterum Imperatorum superbiæ, qui Urbem non quadrijugo curru, aut albentius equis, sed humeris hominum succollantibus ingressi sunt? etsi hinc excipiat suum Principem Plinius de hac superbia Principum triumphantem.

6. Urbanitas si quem destituit, à saxo etiam in politiem emollescat. Nam apud Iones in viis publicis statuæ lapideæ figebantur, quæ adventantes hospites Græce salutarent. Non tamen omnino placent saxei Oratores, malim animos per linguam quam saxa per inanem sonitum perorare.

7. Barbari etiam non omnino barbare: Thraces veteres intelligo, apud qvos ita mos ferebat, ut Principes cum se mutuo salutarent, ter digito labra compescerent, se tantis hospitibus salutandis impares sic testari. nempe præstat appresso labris digito conticescere, quam non ex merito hospitum blaterare.

8. Et

8. Et Tyrannis aliquando ſapuit, ferumqve exuit ingenium, dum morum comitatem exigeret hoſpitalis Sapientia. Dionyſium vide. Tyrannus hic Siculorum, ſed Sapientiæ cultor eximius extitit, dum Sapientiæ Platonis id honoris detulit, ut miſſus obviam coronatis navibus, eundem è navi quadrigis exceperit etiam ipſe illi obvius. Tantum Sapientia in Tyrannos etiam exercet imperium.

9. Etiam aves ad hæc officia olim inſtructæ. Hinc Satyricus: Quis expedivit pſittaco ſuum chære?

Sed Eruditio potius illa huc ſervit, qvæ ad particulares rerum ac Perſonarum, qvæ ſalutandæ ſunt Circumſtantias attinet, ut de virtutibus, Honoribus &c. de quibus aliquid in Proluſionibus dictum.

§. V.

Aliqvæ Salutationes.

Superius allatis adhuc aliquas ſuperaddo. I. ſit

Salutatio Delegatorum Regni Judicum.

REdiiſtis tandem cum reduce Juſtitia, Ampliſſimi Proceres, ſimulque loci hujus ſolitudinem & ſqvalorem Curiæ depuliſtis. Tota pænè inter deſideria nobis effluxit hyems, qvæ non alius facile torrens reſtrinxiſſet niſi totis huc alveis veſtra decora influxiſſent. Vota Majus tandem coronavit non floribus, ſed Solibus, quibus pretioſa hæc tempeſtas liberaliter qvot-

an-

annis depluit, nec enim vel Themidis Polonæ gladio suus fulgor, vel hospitibus tantis nativa non inest serenitas, cuiqve superbiam paritura Zodiaco. Hos vel maxime soles ales Sarmatica indulgenti palpebra contuetur, ad hos & causarum & reorum indolem explorat illustrius, qvos primus Regno invexit Batorius, deducta cœlitus Astræâ cum tam illustri Judicum corona tanto nobiliori industria, qvanto certius Regna corruunt & Coronæ æquitatis adminiculo destitutæ. Atheniensium vos componerem tribunali, qvod lucem in judiciis oderat; nisi noctuarum illud tribunal foret, hoc Aqvilarum. Nam alios fori Præsides qvid vobis vetustas conferat? Zeleucus erui sibi oculum unum, alterum filio passus ob parricidium Virtutis; Sed nescio an uno minus oculo causarum momenta perspexerit, cum tamen vobis laus sit integra, qvæ illi diminuta. Charondam Judicem prædicarunt Thurii, damnavit temeritas, qvi dum contra legem progressus cum telo, eidem incubuit, & vitam & judicia in se peremit; sed à Sarmatico tribunali longe abest omnis temeritas. Qvod si Thebanus Judex sine manibus, sed judicia voce corrupit, dum lingvæ & affectui nesciit temperare. Illustrius est delegatos Regni hujus judices etiam cum usu manuum Justitiam retinere solamqve manibus in foro apprehendere Justitiam. Atticus Draco leges tantum sangvinarias tulit, at hoc in perniciem & interitum gene-

generis humani, non in legum tutelam; Solus illi character sangvinis, vobis mitioris Justitiæ character Elogium inscribet Immortale. Nam Judicium Paridis, (qvo melius pro Helena egit quam pro Justitia) in Dearum dissidio expertum vindices Junonis iras; Minois vero æqvitas inferni tribunas meruit, ad Orcum scilicet relegandæ, ut quæ Cœlum minime meruisset, cui vos olim inseret vobis insitus æquitatis amor. Deniqve Romanæ secures etiam in Innocentum cervicibus hebetatæ, sæpe Justitiæ, sæpius crudelitatis insignia; nam & sæviere in cives innoxios sub Tarquinio, & septimam infamarunt Marii Purpuram: Vestræ æquitatis gloria veteribus omnem præripit, qvibus omnia è legum præscripto ad bilancem Justitiæ revocantur. Sed ne dicendi mora dictionis gratiam præfocet, cum non loqvendi opportunius sit quam tacendi artificium, conticescimus interim, ipso etiam silentio facundi, utpote qvos Sarmatici Areopagi laudibus impares ipsa taciturnitas attestatur.

Salutatio Episcopi Vilnensis Dicta à Sarbievio.

SI horum omnium, qvos circumfusos vides, perinde hilares animi, atqve conspicui vultus essent; videres profecto, Præsul Illustriss. Te non intra has ædes, sed in nostris cordibus consedisse. Hæc enim condita humanitate Tui oris majestas, hic Tuæ virtuti non impar, sed Fortuna

tunâ major animus, hic niveus non ætate magis qvam candore animi vultus meruit, ut non magis hodie per animas, quam per Tui adventus lætitiam animaremur. Occupa igitur hoc animorum Regnum & solium, atqve istam Salutandi Tui alacritatem, qvam in vultibus legis, nostrorum animorum Vadem prædemqve habeto. Cæterum cum ad Sacræ manus Tuæ osculum accedemus, illud cogita. non magis nos labra Tuo annulo, quam animos Tibi consignare.

§. VI.

De Salutatione Regis in Comitiis Polonorum.

ITa fert mos Patrius, ut initio Comitiorum Regni à Nuntiis Palatinatuum Rex publicè salutaretur. In hac Salutatione primo omnium Ordinum lætitia exprimitur de incolumitate Principis; ad quod juvant hæ Sententiæ: Rege incolumi mens omnibus una. *Idem:* A capite salus corporis dependet. *Idem*: Salus Reipublicæ vacillat, qvoties & salus Principis. Juvaret item illa Eruditio, qvod pro salute Augusti stirpem olim Romani conjecerint in lacum Curtii.

2. In eadem Salutatione laus Principis pertractatur ab ejus vigilantia, felicitate, trophæis, & studio boni publici promovendi. Hic vero hæ sententiæ adhiberentur: Imo: Maximo Imperio maxima cura inest. *Item*: Omnium otium

tium ſomnos vigilantia Principis defendit, omnium otium illius labor, omnium delicias, illius induſtria. *Item:* Princeps remiſſum aliqvando animum habebit, nunquam ſolutum. *Item:* Princeps ſibi dictum illud putet ex Claudiano:

Nec Tua Te moveant, ſed publica damna.

Et illud Senecæ: Et Reſpublica Tua eſt, & Tu Reipublicæ. *Item:* Moderatori Reipublicæ vita Civium beata propoſita eſt. *Rurſum Seneca:* Principis magnitudo firma ſtabilisqve eſt, qvem omnes tam ſupra ſe, qvam pro ſe ſciunt.

Tertio Immunitatem & Libertatis tutelam inſinuant. Deniqve ad Regiæ manus oſculum admitti petunt. Hujus Salutationis Exemplum accipe.

Salutatio Regis in Comitiis, nomine Palatinatuum aliorumq; Regni Poloniæ Diſtrictuum.

QVos in hoc Lechicæ libertatis Comitio Tuæ majeſtatis ſolio circumfuſos vides, publicæ internuntios crede lætitiæ, Regum Sereniſſime. Nec aliunde animis ea voluptas inſedit, quam unde ſceptris oboritur non deſituræ ſordis fiducia, in qvam certius haud aſſurgitur, qvam ſi non inſuavi ſane Imperio, id præcipiat Coronati Principis incolumitas. Etiam hæc Regnorum baſis eſt, nec ſolide ſtabilitur illorum felicitas hac vel leviter concuſſa. Servantur Imperia, dum Cœli munere Bonus Princeps

nec

nec fatis, nec fortunæ telis obnoxiis conservatur. Deniqve alternat Fortuna vices, cum & Principis vires; nec Civile hoc Imperii corpus, qvod nonnisi mens Regum animat, non labascit, ubi Capitis pericula terruere. Non postrema evgo Regni felicitas est Princeps Incolumis, vel si non in Romano tantum solio Valentem sceptra noverint, qvi vitam simul Civibus, vitam Patriæ inspiret. Hinc ut nihil utriqve huic amplissimo Ordini, nihil Patriæ in votis potius, quam Salus Principis, ita nec uberiorem quidqvam aperit scatebram gaudiorum. Et sane tot quassati calamitatibus Imperii moles, qvæ Tuæ Majestatis humeris tuto incubuit; non imbecilles postulat lacertos, quibus ut se jam erigit, sic fatiscentibus laberetur, ubi autem locum tam felici dedere auspicio, etiam de felici Comitiorum exitii non irritum præbent augurium, qvippe:

Rege incolumi mens omnibus una, ut amisso
rupere fidem;

adeoqve hic etiam occlamare licet, qvod olim Roma suo Principi: Salva Respublica, Salvus Imperator. Nec difficile salvum libenter habent subditi, qvem ex se & pro se pariter norunt. At Te ruentis Patriæ sceptris domestica designavere suffragia, eundem Patriæ Patrem sibi gratulata, qvem Civem Patriæ Regum Cæsarumqve Fortunæ affinem Cœli beneficio accepimus. nec enim minimo reponendum loco, si imperaturum Patriæ Civem dent sidera, cui

non

non melius pondus ac regimen terrarum incumbat, quam Atlanti Cœlum, vel Magno Æneæ dulcis ſarcina Anchiſes Parens. Hæc demum ætas Te Principe defloruit, qvæ Reges Regno, dum parturiit, & ſolio parem effudit animam. Nec non auſpicato ceſſit, qvod in Te Patriæ ſuffragia conſpirarint: pace fruimur, quam vix arma unquam peperere. Ita hoſtem orbemqve vel Regium nomen ad reverentiam componit & ferrum veneratio excutit, vel male ſibi præſagus hoſtilitatis timor armorum otium perſuadet. Pavet Tuum etiam clauſum in vagina mucronem hoſtis, qvem ſibi fatalem præſentit. hinc ne ſuis te laceſſit armis & tua timet, antequam præſentiſcat. adeo ſuaves Patriæ ſomnos Tua parit vigilantia: pacatum in Tuo labore otium, in Tua fortuna dies reperimus fortunatos, nec jam priorum Principum fatis ingemiſcimus, quando in Te redivivam eorum imaginem & amplioris fortunæ capimus præſagia. Sed ut Patria in tuto, dum imperas, ſic & Patriæ libertas, quæ ut ſceptris adoptat Principes, ſic Principum benevolentiam experitur, de Te ſibi non aliud polliceri poteſt, quam qvod de Principe, in ejusdem libertatis ſinu à faſciis educato. Dabis jam Regalis hujus benevolentiæ teſſeram cum nos ad oſculum Regiæ manus, quæ ut hoſti minatur exitium, ſic Patriis legibus noſtraq; immunitati tutelam appromittit, admiſeris &c.

CA-

Caput III.

De Oratione Valedictoria.

PRoximus à Salutatione locus est Officiosæ Valedictioni; invicem hæ succedunt; si hic Salve Tibi contigit, contigit Vale alibi: nec Tibi salutandi hospitis daretur copia, nisi alter eidem alibi dixisset vale. Qvare & hujusmodi Oratio Idea non careat.

§. I.

Primum genus Valedictionis.

VAledictoriæ multiplices: aliæ, in qvibus peregrè abeunti amico vel Mecænati Valedicimus; & in his 1. testamur dolorem aliqvem de eorum abscessu, qvorum ut nos exhilaravit conspectus, ita contristabit absentia. 2. Apprecamur iter felix & reditum felicem. Qvæ omnia in subjiciendis Exemplis patebunt.

Valedictio abituro Hospiti vel Mecœnati.

NEc in te nobis tam solida effulsit felicitas, qvæ non aliqvo mæroris confinio lædereturMD adeo sors vel maxima raro ad purum fluxit! Deterit primæ felicitatis notam instans, à Tuo discessu orbitas, & antea loqvax coram lætitia suas dolori cogitur partes cedere, dum solo Tui relicto desiderio aliud hinc moliris iter.

Usqve adeo non solum à minoribus astris Solem hoc discernimus argumento, qvod nube vel occasu interceptus nocturnam caliginem pullatu veluti post extinctum diem inducat orbi. Porro in justam erumperet qverelam dolor, nisi te itineris longinqvitas non aliter nostris obtutibus subduceret, ac eundem Planetarum Principem præceps in noctem occasus subtrahit, brevia lucis extinctæ damna exortu crastino pensaturus. Verum nec iter nobis te sic eripit, ut non totus hæreas adhuc in præcordiis, in qvibus stabile Tibi domicilium defixit amor. è lare domestico, prout temporum rerumqve urgebit series, extra tamen animorum penetralia evagari nunqvam tibi licet licebitq;. Oculorum hæc jactura est, non animorum, dum per viarum locorumq; divortia tantisper divelleris, qvia tamen & oculis diuturnæ noctis speciem hæc adumbrat absentia, vobis te ubiqve comitabimur, nec aliis, nisi ut sol hodie nobis occidens qvamprimum iterum oriare.

Valedictio dicta delegatis Regni Judicibus.

Hic varii affectus Oratorio efferuntur ambitu. Imo Orator jacturam felicitatis & gaudii sic exaggerat:

ERgo qvæ perenne invehitis Patriæ serenum, urbi huic, lucere tandem, sidera Lechici fori, desinetis? Utinam fixarum indolem stellarum vobis patritia sors indidisset ne hunc extri

Zodi-

Zodiacum liceret procedere! In qvandam Luminum Patriam, locus hic transiisse videbatur qvamdiu in purpuræ Vestræ luce radiavit; sed ecce, dum in Zodiaci libra felicitatis nostræ pondus expendimus, tota subito amittitur, vobis Justitiæ libram alio transferentibus. Adeo vel terrigenas ferit October, qvi Zodiacum scorpionis signo temeravit! non totum in Cælos effudit virus, etiam in urbis animos idem inspirat, qvi idcirco non sine vulnere, qvia nec sine dolore.

Secundo præsagium famæ non intermorituræ abeuntibus Orator edicit:

Dies hic Justitium qvidem foro, sed non vestris finem indicit præconiis, qvæ ampliora sunt, qvam ut terminum pati norint. Plus ultra promovisse gloriæ limites, ultra votum aliis non processit; vobis ipsa Patrii juris tutela jus omne in gloriam transscribit, in qvam vobis tam longa bonæ fidei Præscriptio, vobis, vindicata virtus, asserta Innocentia elogium inscribet Immortale, sub qvibus nec bono licuit esse miserum, nec malo felicem; æqvitatis bilancem ita moderantibus, ut nulli essetis, nisi pessimo, mali; ne scilicet aliena dissimulantes flagitia, facereis vestra.

Tertio propensa in absentes studia idem Orator declarat:

Ex urbe, non ab animis excessistis; ab oculis non à fideli recordatione. Seqvemur animorum studiis, qvo pedum passibus ab immensa Famæ Olympia non assvetis haud licebit: comitatum

tatum ubiq; præbebit noſter ſatelles amor, ubiq; promptus obſeqvendi ardor veſtrum omnium latus claudet.

§. II.

Secundum Valedictionis genus.

ALiæ Valedictoriæ ſunt, in qvibus ipſe amicus vel hoſpes abiturus peregrè amicis vel hoſpitibus valedicit. Et hic 1. teſtatur dolorem ortum ex eo, qvod ab illis divellatur. 2. Si eſt hoſpes, non vero domeſticus, gratias exhibet pro exhibitis hoſpitalitatis hactenus argumentis. 3. Valedicens rogat, ut eadem benevolentia & ſtudio ſe proſeqvantur abſentem, qvo præſentem ſunt dignati.

Valedictio peregre abituri.

ME jam vocat iter; urget ipſa negotii moles & graviſſima tot cauſarum momenta. ergo jam inde tantiſper divellimur, nec divulſio hæc citra novum animi vulnus; animi, ſed mei qvem arcte hactenus obſtrinxiſti. Herculem non melius Tyrii aurea catena devinxere, qvam Tu me amoris & ratæ hoſpitalitatis pignoribus, cujus & meminiſſe dulce fuerit, ut fuit non inſuave tantiſper illa frui. Nec ſola hæc novi doloris ratio, à meo diſtrahi Mecænate, à tam amico pectore viarum flexu abripi major fortaſſe, qvo me ingratum coges vivere, qvia redhibendi Tuæ humanitati gratiis nunqvam parem. Harum tamen ipſa etiam tenuitas ad qvævis me urgebit obſeqvia, officia impellet. ſed ne vi-

am, qvæ urget, pluribus morer, post gratias amicum accipe Vale, & ipse qvam diutissime hospes vale.

§. III.

Tertium valedictionis genus.

EST in usu apud Polonos, ut ex Eqvestri ordine inter Regni Proceres, seu ad Palatinorum aut Castellanorum subsellia adlecti ad conclave Regium ascensuri è conclavi Eqvestris ordinis, iisdem Eqvitibus more & urbanitate Patria valedicant, ubi Imo Regalis benevolentiæ vel beneficentiæ munus sibi collatum commemorant. Deinde exposito ut hacteous suo inter Eqvites muneri conati fuerint satisfacere, deprecantur, si non omnia examussim præstiterint. Præterea pollicentur se etiam in Senatu Eqvestris ordinis studium nunqvam posituros, & Eqvestris Libertatis amorem. Deniq; valedicunt simulq; precantur ut idem Eqvester ordo semper boni publici studiosissimos proferat floreatq;.

Corollarium ad Valedictionem.

SOlet maxime à Poëtis peregre abituro dici vel scribi carmen Valedictorium, qvod vocant Propempticon vel Protrepticon. Videre hæc licet à Papinio Statio culcissime scripta & miris affectibus abundantia. Primum Metio Juveni navigaturo scribit:

Di, qvibus audaces amor est servare carinas,
Sævaq; ventosi mulcere pericula Ponti,
Sternite molle fretum:
Grande tuo rarũq; damus, Neptune, profundo
Depositum: juvenis dubio committitur alto
Metius, atq; animæ partẽ super æqvora nostræ
Majorem transferre parat: proferre benigna
Sidera Soli Zephyro sit copia cœli
Solus agat puppes.

Sed hujus carmina artificium ex prædicto Poëta aliisqve disces; nam ego hic Poëtam non instruo.

Caput IV.

De Oratione Eucharistica seu Gratiarum actoria.

MUltiplex hæc, prout & Materia vel occasio. Aliqvando aguntur gratiæ Principi pro collato munere, aut aliis Mecœnatibus pro qvocunqve beneficentiæ argumento: aliqvando bene meritis de Republica viris pro re bene gesta vel impensis Patriæ obseqviis, ut factum non ita pridem in Comitiis Regni & Senatu Stephano Czarniecio terrori olim Svecorum & Moschorum. Aguntur item gratiæ hospitibus ad funus vel aliam celebrem pompam invitatis &c. &c.

§. I.

Eruditio hujus loci.

ORdior à Sententiis. & Romanus mihi Strada

da primo se in mentem calamumqve insinuat, cujus illud etsi jam usu vulgatum, vere tamen oraculum est. Beneficiis pleriq; utuntur ceu floribus tamdiu gratis qvamdiu recentibus. Et Beneficium præsens gradus est futuri. Illud ejusdem, sed non ita qvibusdam innotuit: Facilius beneficio capiuntur singuli, qvam multi. Item: Animi qvorundam arctius tenentur beneficio vel uno accipiendo qvam acceptis multis. Paria illa ex eodem oraculo: Sparsa in commune gratia ab omnibus accipitur, redditur à nemine. Item: Qvidqvid infra votum venit, beneficii nomen amittit. Item: Aliqvi beneficio pretium ab arduo captant.

Nondum Roma libet excedere. præter Romanum Stradam etiam me ibi tenet Seneca. Qvid ille? Moram beneficiis (inqvit) ne objice. Item: Negare nocitura, beneficium est; exorari in perniciem rogantium, sæva bonitas. Item: Beneficii accepti meminisse oportet, dati oblivisci. Item: Liberalitatis ingenium animus invenit etiam inter angustias egestatis.

Sed jam Roma te in Syriam deduco; ibi Publium Syrum audi, & dictum adora: Beneficium, inqvit ille, accipere, libertatem est vendere. Qvo inflectes illud Poetæ: Pro benefactis vinxerunt Agamemnona Graji. Et illud aureum Varronis dictum menti imprime: Qvi aqvam hauris, puteum corona. Acre id ad grati animi argumenta calcar.

Sed ò qvàm crebro illud evenit, qvod Pom-

ponius extimuit: Facile post munera gratia consenescit.

Audi jam Oratorem Trajani: Nullum, inqvit, impendii genus Principe dignius est, qvam qvod erogatur in posteros.

Audi & Neotericos: Summa felicitas est, posse alios felices reddere. Tamen turpissimum damni genus est, inconsulta donatio. Prodigæ largitionis comes est pœnitentia.

Sententias concludat dictum Æmilii: Nullum, inqvit, Imperium est tutum, nisi communitum beneficentia.

Sententiis varia succedat Eruditio.

1. Tres Gratias finxit antiqvitas: plures tuà Mecœnate reqviris & obtines.

2. Immortales Gratiarum hortos censuit Aristoteles: credo ut doceret, beneficii seu gratiæ memoriam nunqvam emori debere.

3. Constantinum hic mirabere: etiam ille hinc suo cognomento major qvod monitus, ne eousq; profusa liberalitate procederet, illud responderit: Mallem regnum, qvam liberalitatem perdere.

4. Severo Imperatori nomen abroget posteritas: aliud nomen meruit ejus munificentia qvem à se nihil petiisse cognoverat, sic illum aggressus dicitur: An me tibi vis esse debitorem? postula, ne de me conqveraris.

5. Lau-

5. Laudo Titum, cui unica fuit obstinatissima consvetudo largiendi.

6. Et Anaxilaus in regno non vinci beneficiis, id demum duxit honestum.

7. Tamen & Persas recole, qvi in jus vocabant ingratos, hodie reorum hujusmodi abunde est.

8. Athenienses certe erga bruta etiam emerita leges gratitudinis sanxere.

Elegans illud de Pomponio Duce Romano. Victori illi Pyramidem filii voluerunt statuere, sed non permisit viri modestia, proinde qvatuor illi erectæ statuæ: prima Pugnatori: 2. Victori: 3. Triumphatori: 4. Contemptori.

Et Symbolis te instruo.

Hæc ad Tuam rem facile accommodabis, nempe Adiantum herbam, qvæ etsi perfundatur, sicca manet, cui Lemma additur: Nihil tamen hæret. qvod est in ingratos.

Item. Cancrum cum Luna crescentem, cui Lemma adde: Vacuum sine Lumine corpus.

Item. Calcem ardescentem, aqva affusa, cum Lem: Ignes humor alit: Diceres tu & beneficia amorem.

Item vas vacuum cum Lemmate: Tinnit? inane est. Item Horologium cum Lemmate: Feriar, dum audiar. Item fomitem juxta igniaria fomenta cum Lem: Sic flamma nutritur! It. lampadem, qvam oleum affusum extingvit cum Lem: Nimium extingvit. Vel. ne qvid nimis.

Item Navem cum velis expansis cum Lem:

Expectat ventos. Item Molam vento trusatilem cum Lem: Absq; aura qviescit. Item Torqvem aureum de cervice appenso cum Lem: Gravat, & ornat. Item globum ingentem Sphæricum in mensa cum Lem: qvolibet impellat digito.

Notum illud Aloysii Cardinalis Symbolum, Sol cum Epigraphe: Non exoratus exorior. Diceres & Tuo Mecœnati, Solis ingenium in ejus oceanum transiisse, qvæ postulantium vota antecurrit, nihil precatio dare solita.

Æqve aptum illud, cujus Auctor est Dux Terræ novæ. Oceanum ille depinxit, cujus vastus gurges hauritur desuper à Sole, tamen (qvod adjecta innuebat Inscriptio) Non exhauritur. Dic & Tuo Mecænati: Citius qvivis Oceanus, qvam Tua posset exhauriri munificentia.

§. II.

Modus hanc Orationem scribendi.

POtes Mecœnati trophæum erigere ceu Tui ipsius Victori, imò beneficia qvæ sparguntur in commune trophæa sunt. Alibi fusi hostes, sed domestica in arena devicti beneficiis cives illa excitant.

Familiaris etiam est hic locus communis de Munificentia, de Principum benevolentia in Cives, qvos

Non sic excubiæ nec circumstantia tela
Qvam turatur Amor Civium.

Imo frustra se terrore Princeps succinxerit, si cha-

charitatis ſatellitio ſeptus non fuerit: Unum enim inexpugnabile munimentum eſt Amor Civium, inqvit Seneca: Regnare qvi vult langvida; addam ego, & munifica regnet manu. Recte amorem apud populares, metum apud hoſtes qværere Tacitus jubet Principem.

Item huc ſerviunt Adjuncta illius, cui gratiæ aguntur. Juvat ejus laudes non obiter coacervare, qvod fecit Plinius in Panegyrico: juvat eum aliis magni nominis Mecœnatibus conferre aut etiam præferre, qvod eorum exhauſerit gloriam, latius munificentiæ genio progreſſus.

Poſſet item per modum Conqverentis inſtitui Oratio & dolentis, juxta illud Furii, qvem illud potiſſimum angebat, qvod Auguſto ingratus cogeretur vivere, nempe impar gratiis redhibendis. Carminis Euchariſtici materiam darent tres Charites in id muneris evocatæ. Orator vero diceret: ubi perſolvendæ Tibi gratiæ, tres gratiæ haud Tibi ſuffecerint.

§. III.

Impetus Oratoris ad gratiarum actionem Principi vel Mecœnati.

HUjusmodi Gratiarum Actoriæ continent tum æſtimationem & exaggerationem beneficii non ſine tuorum extenuatione meritorum; tum Encomium Principis ſeu Mecœnatis; tum pollicitationem de memoria beneficii nunqvam ponenda.

Impetus Gratiarum actorius I.

IN tuto collocasti beneficia, non in Letheum unqvam scopulum illidenda. Non degenerant apud me unqvam Gratiæ in Rosas mox dehiscentes, simul ac evolutas. Florum id & Maii senescere nescientis ingenium esto, non Gratiarum, qvarum primordia Tibi nunc exhibeo, finem nunqvam: aut certe tum demum cum Gratiarum Horti (qvos perennare censuit Aristoteles) desinent esse immortales.

Impetus II.

LIberalius jam Eloqventiæ indulgendum, ubi ad liberalis dextræ ingenium deventum est. non decet parcius lingvam agere, ubi nulla manum infamat parsimonia. Mecœnatem enim nactus qvis non subito Maronem induat? utinam tamen è munificentiæ Tuæ alveo æqvè dicendi venam, ac beneficia liceat haurire; non tenacius in Te refunderentur Elogia, qvam congiaria dimanent. &c.

Impetus III.

MUnus hoc, qvod meritis te meis deferre autumas, Princeps maxime, verius demeritis detulisti imò etsi hæc abessent, adhuc superat omne meritum tanti Principis qvantumlibet exilis favor. Utinam id muneris dignius geram qvam obtinuerim? Jam credo, Patria ut in aliis, qvi mihi præivere, lucra cogitat sua, sic in me vere-

veretur dispendia. At ego accersendis honoribus æqve nunqvam fui deditus, ac impar invenior oblatis: nullorum mihi conscientia meritorum; at nec ultra merita ambitio. Non illibenter me grandioribus etiam nunc titulis evolverem, non nescius, tantum oneris honoribus inesse, qvantũ & auro inest ponderis. Tam longe mihi abesse decet à præmio, qvam longe absum à merito; nam ubi malos seqvuntur præmia, haud qvisqvam gratuito bonus est &c.

Etiam hic illud adnota ex Plinio, qvi sic ad Trajanum: Qvin etiam perqvam modica Civium merita Fortunæ Tuæ viribus in majus extollis. efficis enim, ut tantum qvisq; Tibi præstitisse videatur qvantum à Te recipit. Qvid isti benignitati precer, nisi ut semper obliges & obligeris, incertumq; facias, utrum magis expediat Civibus Tuis debere Tibi, an præstitisse &c. Ut felicitatis est, qvantum velis posse, sic magnitudinis, velle qvantum possis.

§. IV.

Gratiarum actio Principi pro collato beneficio.

CAdere venerabundus cogor, dum me sic erigis, ô Princeps. Opprimit me tanta beneficii Regalis moles, nec subsistere in gradu, qvo me reponis, qveo, qvin succumbam. Sentio jam tandem (qvod & hostiles copiæ, nimium qvam didicere) graves Regibus esse manus, qvæ tan-

tum etiam pondus beneficio impressere. Argumento sit hæc, qvæ plantis me Regalibus affudit supplicem ruina. Sed felix plane, qvæ me beatiorem arguit sub onere, qvam cum nullum mihi hujusmodi pondus incumberet, qvæ non me corpore toto ruere, sed toto vertice assurgere luculenter indicat. Ruina hæc meæ potius pristinæ infelicitatis est, qvæ jam concidit, simul ac me ad Tuæ Majestatis pedes accidere leniter adegisti. Nec ruere probrum est; Sic enim fortunatior sum in umbra Principis; sic plane sum publicus sub te sole Civis. Etiam tibi ad solium gradus esto per subditorum colla, qvæ ultro se subjiciunt; nisi qvod aliud adhuc imperet beneficentia Principis: nam & munera pulchrum in animos exercent imperium, dulce vero imperium, ubi amor favorqve Principis potius qvam Princeps imperat, nec aliud nisi perennem dantis memoriam, & grati pectoris pignus. Cui qvidem imperio libens volensqve mentem despondeo. nihil hic non exigitur suo jure. debitum est, qvod Regalis munificentiæ velut præmium reqviritur citra imperium, eò me ipsa cogit beneficii magnitudo. ipsæ gratianimi leges perurgent, etsi tantum Regalis benevolentiæ pignus nulla satis possit reponere gratitudo. Sed qvia nihil ditius ærario bonæ mentis, nec Regi pulchrius in Solio, qvam in Civium corde sedem defigere; illud vel maximè in meum cor, Princeps maxime Tibi jus esto, pleno tibi alias jure mancipatum, hodie plenissimo

tibi

tibi addixisti: ibi tu regnabis perenniter, nec ulla pectus hoc oblivio Tui nominis aut beneficii occupabit.

II.

Gratiarum actio Regi pro collato Ducis Exercituum Munere.

SImul ac mihi armorum regimen benefica in Patriæ Cives contulit majestas, me ipsum in Nova conjecit Vincula, Regum Clementissime. Prima hæc tibi optima spolia cælum detulit me Duce apud Te captivo. Sit hoc etiam Tuæ beneficentiæ vel præconium vel præmium, qvod Ducem habes in Vinculis: nec enim aliud est Novum hoc beneficii Regalis pignus, qvam aurea, qvæ me solio velut captivum adstringere cœpit catena. Mancipas Tibi æternum, qvos sic Princeps Maxime devinxisti! Clava Imperialis non tam mei est insigne muneris, qvam animi Symbolum Tuæ semper militaturi gloriæ. Tibi de me trophæum erigis, dum Clavam dextræ inseris: adeoq; primis Castrorum fascibus mihi oblatis, nova Tibi laurea pullulavit. Augebo de me laureas, qvamdiu hoc insigne Regio me throno Superstitem advolvet: Sed nec alia, in qvorum Spem mens præsaga Principis assurgit, de hostibus Tibi excitare trophæa detrecto, ne uno duntaxat modo Principi æs exolvam. Et animum Tibi hunc obligasti, & manum, qvæ sub Regalibus auspiciis Cœlo aspirante collo tibi subjiciet barbarorum. Hærebit insuper memori semel

impressa menti gratiæ amplitudo, tanto dignior Principe qvod supra merita; tanto gravior, qvanto has infra vires, nec enim aut meritis qvidqvam arrogo, aut de Viribus mihi blandior; nisi qvod jacentem animum Tua, Princeps invicte, felicitas & hosti fatalis dextra erigit, qvæ Sacro etiam contractu Virtutis qvidpiam clavæ huic & manui Ducum toties impressit. Ivit illa per tot Heroum bajulas nec Alcidæ impares manus, nec illis in laureas sterili proventu effronduit; Sed non aliunde vis illi fertilis, qvam Virtute sibi à Te indita, qvi nempe qvidqvid palpaveris, efficit ut in laurum evirescat.

III.

Gratiarum actio Regi, pro collata dignitate.

ETiam mihi beneficio Majestatis affulges radio? etiam in imo hærentem gradu repente sic erigis? nimirum sic Regale ingenium votis etiam antecurrit, & meritis, veritum ne beneficii Nomen amittat vel deterat, si qvid prece vel meritorum pretio comparetur. Id demum Principi immortalitatem merituro impendii genus est dignius, spargere sementem auream, Unde nulla illi seges nisi gloriæ proveniat; & ad Heroum facinora Regalibus urgere beneficiis, ne virtus torpeat, si non hisce calcaribus excitetur. Nescio tamen, an ulla munus basilicum refundere qveat industria, qvæ ultra voto·

torum audaciam vix assurgit, solo mentis in omnem circumactæ partem impendio, sola æternitatis tænia ausa Principem coronare. hoc tamen est nativum solis radium velle amplius minore facula & emoriente lychnulo serenare, vel aurum, æris periculo inaurare. Qvanto magis me omnis propemodum facultas etsi non voluntas destituit aliqvid moliendi, qvo Regalis in me benevolentiæ tesseram citra ingrati pectoris notam proseqvar, piget me ingratum vivere eò qvod non aliter Patritiæ sortis insignia meritum, qvamqvàm Tu censuisti. Sic etiam Civium merita, qvæ vix atomo adæqvanda ipsam pæne oculorum aciem effugiunt, aucto ab honoribus pretio in molem intumescunt. qvippe inde Principes Deorum qviddam referunt, qvibus etiam minoribus litatur victimis, cum deficit Hecatombe. Nam qvæ mihi merita iter ad hoc fastigium panderent, ne dicam ad beneficam Principis mentem? cogit me inter hæc Purpuratorum Nomina erubescere tam exilium Conscientia meritorum, qvàm tanta Regiæ mentis moderatio &c.

Deniq; licet ex Plinio Normam capere, qvo nemo eloqventius egit gratias, postqvam à Trajano Magistratui Romano est admotus. Legere licet qvam liberalem ab illo hujus Principis panegyrim extorserit gratitudo: qvidqvid laudum congerere in Trajanum potuit, fere congessit; Nec fortasse ita Trajanus gestis inclaruit qvam calamo & benevolentia sui Oratoris. sic & illum

Musa

Musa vetat mori, aut potius svada. Sed eloqventiam facile proritat liberalitas adeoqve verissimũ illud: Sint Mecænates, non deerunt Flacce Marones, nec Tullii.

Caput V.

De Oratione Dedicatoria.

SÆpius contingit ut liber, vel qvodcunq; munus literarium, ut sunt etiam Theses Theologicæ aut Philosophicæ, alicui dedicentur seu inscribantur; qvare hoc loco agendum de hoc dicandi dicendiq; genere.

§. I.

Materia modusq; hujus Dedicationis.

ORator hoc loco partim tenuitatem muneris exaggerat, partim motiva exponit, qvæ ad dedicandum id eum impulere, qvæ qvidem rationes cum laudibus Personæ, cui fit Dedicatio, sint conjunctæ. Aliqvando patrocinium ac tutela qvædam libro reiqve oblatæ qværitur, cujus sub auspiciis lucem videat: Aliqvando iis dicatur liber qvorum id maxime interest, vel ad qvos materia libri pertinet suo jure. Acumen ejusdem Dedicationis desumitur à pluribus Personarum reiqve offerendæ Adjunctis, ut patebit ex afferendis mox Exemplis.

Dedi-

Dedicatio Thesium Logicarum DEI Hominis Matri in Annæ utero, id est, in Gratia conceptæ.

ET Logicam Tuis substerni pedibus patiere postqvam id noctis Principi Lunæ permisisti, Augusta Universi Princeps. Amicum tenebris utrumq; nomen est, nec alibi pulchrius, qvam à proximo Tibiq; circumfuso Sole serenatur. Si Luna est, qvod calcaveris, etiam affusæ pedibus Logicæ novum accendes Plenilunium. Qvanqvam lucem non ambit Logica, ne nomen amittat, cui caliginem immiscuit: lateat sed sub tam illustri planta; & hoc illi satis est ad gloriam. Plaudet ad Augustos Ancillæ pedes ancillans Scientiis facultas, & ab offusa Tibi Spiritus umbra, suæ pretium obscuritati faciet. Qvod tamen Organi sui concentus Tuo dedicet Conceptui; Rationalis est, Conceptus amat: eos si dirigit, Tuo rectiorem non novit: hic illi vel maxime dignus dirigente DEO Conceptus placet! Minor qvidem illa est, qvàm ut Te extra uterum Majorem, imo minimam colat; Sed tantilla etiam qvidni submitteret Tibi ingenia, qvæ Caput conteris? Primos ingenii fructus non abnues, etsi malum Adæ, hoc est, prima mortis bellaria non libaris. Certe Distinctio suo jure ad Te pertinet, cujus primum in utero exortum à reliqvis Gratia sic distinxit. &c.

§. II.

§. II.

DEdicationis Impetus & acumen persæpe ex Stemmate deducitur; qvod duobus Exemplis illustro.

Primum accipe, in Dedicatione Thesium Logicarum Episcopo Cracoviensi ex stemmate Olorum:

Etiam Tuas aures ambiit Aristotelis organum Dux & Antistes Illustrissime. Amicum noverat concentibus Olorem, qvos svavior condit ac temperat Sapientiæ Harmonia. Si tamen hæc svavitate careat, eodem trahet gratiam ab Olore. Sed qvia concentus hic prælaris est, nec Laconibus tantum prælia inter Symphoniaci modulos ineuntur; eqvidem nemo faustiori alite arenam ingressus, qvam cui Olor accinit & nativa pennarum Cerussa, candida Philosophicæ laureæ spondet auguria. Celsiùs illius pennis eluctata Logicæ felicitas evolabit &c. Nec audaciæ damnari poterit, qvæ obscuritatis suæ conscia Solem qværit Patriæ in Tuo Illustrissimi titulo affulgentem, qvem non tam Zodiaci signo, qvam in Cygno reperet. Si nihilominus audaciæ notam illi pateris inspergi, satis illi ad pœnam est, suas ad insitam Tuo muneri titulisqve lucem umbras luculentius prodi. Qvamvis & Audacem tolerare noveris, qvem æmula Antistiti Stanislao dignitas & digna hoc Culmine, his Infulis, Virtus insignivit &c.

Secundum est in Dedicatione Thesium Logicarum

carum cuidam è Proceribus, cujus insigne Labarum seu Vexillum Ecclesiasticum:

Nec altiores Scientiæ sub Tuo militare vexillo abnuunt, Illustrissime Domine. nempe ingeniorum duellis assvetæ ut ad velitationem literariam, sic ad vexilla inardescunt. Placet illis hoc triumphale signum, trophæi de adversantium ingeniis omen pulcherrimum. etiam mihi, si qvod uspiam, hoc omnino signum est ad placitum: certamen aggredior, sed in hoc signo vincam, securus Victoriæ, qvi prælucente hoc Victoriarum Symbolo ingenium committo. Metuntur laureæ, ubi hic Manipulus præfertur, non irrita secum Victoriæ trahens præsagia. Tuis ergo sub auspiciis, qvia sub signis arenam ingredior Tibi acceptam relaturus, si qvam in hoc certaminis incruenti Campo lauream decerpsero Neq; hanc aspernaberis, qvi omnes pridem literas adamasti. Hoc in literas studium Te Logicæ sua se caligine involventi velut amicum sidus indicavit. facile qvippe flamma, etiam qvæ in corde alitur, erumpit. Qvanqvam Logica etiam ad Tuæ humanitatis adyta errare non potuit, qvæ erroribus inimica, rectissima est Actuum directrix, & ad Tui venerationem nominis tota, qvanta est, refertur An tamen recte suas decidat controversias, Te, qvo neq; Paridem ullum meliorem speret, Arbitrum reqvisivit: Rectitudinem suis inscribit actibus, si ejus placita summus Arbiter approbasti: ac ubi eidem Tuæ sinum benevolentiæ aperueris, recte sibi omnia videbitur conclusisse.

§. III.

§. III.

EX munere & Stemmate desumptam aliam affero Dedicationem Thesium Logicarum Judici Regni Delegato, cujus Stemma Solæ:

Ream Tibi ambitus sisto Logicam. è profanis una Scientiis est, sacras attamen ambit manus: Ancillari scientiis assveta, Procerum se immiscet consessui; acsi eò qvod Clavis scientiarum sit, etiam illi patere debeant Procerum atria; vel qvod reseret Scientias, Etiam accedere possit aras. Veniam tamen inveniet, qvæ Philosophici cursus in stadio Tuam impegit in Soleam, cujus illa ductum secuta & vestigia Famæ publicæ impressa, ad Tuæ aras benevolentiæ evasit. neq; enim vel per Solis radios, nisi ad Soël iter est, vel per Soleæ Tuæ ceu Lunæ terrestris vestigia, nisi ad Te. Sed nec aliam illi metam vel terminum Tuæ indicarunt Sagittæ, qvibus Cœlum pro meta est, utpote in Cœlum semper erectis. nam terras volatu prætergredi, id demum Sagittarum ingenium est; ut jam illi duntaxat mirum fuerit, Te in clero tantum eminere, cui mirum sit Sagittas altius evolare. In hujus ergo celsissimæ stirpis sinum se recipit Rationalis Scientia, ut ubi Sapientia simul & Honor perpetuam sibi metatur stationem, ibi & illa pulchriùs conqviescat. Auribus illam, oculis ejus placita dignabere, qvi mentem etiam Scientiis dedicasti.

In simili argumento est alia Dedicatio etiam à munere & stemmate desumpta:

Etiam

Etiam ego ad Tuæ amplitudinis tribunal evocor, nova sane judicii forma, Patronum experturus, qvem judicem formidabam. Aliena in me insurgent ingenia, verum ad aviti Tui gladii aciem retundentur: Satis mihi ab illo præsidii, à qvo sat semper Patriæ munimenti. Vel si nodus Gordio abstrusior intercurrat, est contra nodos gladius Macedonico insignior, qvi dissolvendis etiam Regni litibus adhibetur. A soleis vero non minus mihi lucis affore confido: Splendent illæ in Pontificum Infulis & Aulis Principum, nativum earundem jubar intendente perpetuo per stadia honorum cursu, terrenæ metas gloriæ excessuro &c.

§. IV.

DIvis etiam fit subinde Dedicatio; & tunc partim propensa in eorum cultum voluntas, partim laus eorundem exprimitur, cum aliqva Allusione ad materiam libri vel rei dedicandæ. Sit exempli loco Dedicatio Thesium Philosophicarum Ecclesiæ Triumphanti, Reipublicæ Beatorũ:

Arrogans credi possem, qvi Mecænates extra Cœlum non qværo. Sed nemo arrogans, qvod Cœlum colat. Major arrogantiæ nota, nolle nisi in Cœlo cursui metam defigere. Sed notam haud vereor: arrogantiam talem tota coronat æternitas Ibi sit Philosophiæ meæ terminus, ubi rerum omnium Finis. Pulchrum est Triumphanti etiam Ecclesiæ augere laureas, & illi etiam Capitolio ingeniorum spolia inferre. Nec

Sce-

Scenam majorem vel plausum ambio, qvam teste imò ruente in suppetias Cœlo defendere. Favete summi imiqve Cœlites, qvibus ita has Theses consecratum eo, ut nihil non vestro cultui Sacrum esse velim.

§. V.

ALiqvando fit Dedicatio tantum per titulos vel acutas Definitiones conglobatas. Duplex hujus accipe Exemplum. Primum est: Dedicatio Thesium Logicarum Beatæ Virgini:

Tibi
DEO plenæ Thesis,
VERBI bajula conclusio,
Illationis Theandricæ Inventrix,
Demonstratio DEI potissima,
Unicum Cœli prædicabile:
DEO Consanguinea.
Extra Arborem Consanguinitatis Scientiæ Boni & mali:
Subtilissime Speculativa DEI.
Effusissime Practica in usus Hominum,
Qvæ prima Orbis Salutem in Bona Forma conclusisti,
Novam rationem fundandi nacta ad Altissimum,
Ancillam Scientiarum Logicam
Domini Ancilla:
Sapientiæ Clavim
Cœli ostiō Dicat consecratq;

Alterum Exemplum accipe in simili materia, qvod est tale:

Ite

Ite Mecænates,
Potior mihi Mecænas Deus
Cui, ejusq; Matri Augustæ
Scientiarum Præsidi
Bis genitæ Sapientiæ altrici & Auctori
unius Scientiæ tantum rudi,
Qvam Alii ex Arbore Scientiæ hausimus;
(At sic Sapere, desipere est)
Victrici Incruentæ,
Olim de contrito Capite,
Nunc de Capitibus ac ingeniis triumphanti
Primam Philosophiæ lauream,
Dicat dedicatq; N. N.

§. VI.
Eruditio Dedicatoria.

MUneris exilitatem licebit excusare vel cum Lipsio; qvi ait: Pretium muneribus ab affectu, non à se facimus; Vel cum Sarbievio:

Parvo coronat munere se Deus
Plerumq;, si qvæ paupere dat manu
Dives voluntas: parva magnis
Sæpe animo placuere magno.

Vel cum Stengelio, qvi illud dixit: Tibiis canunt, qvi tubis non possunt; & minoribus hostiis placant superos, qvibus non suppetit hecatombe:

Tamen - - - Acceptissima semper
Munera sunt author qvæ pretiosa facit.

ita Ovid. Nec mirum: nam juxta eundem

Multiplicat doni gravitas authoris honorem

Et Majestatem res data dantis habet

Monet adhuc Tullius: Ei tribuendum esse plurimum, à qvo plurimum diligimur.

Si id neqvimus, solatur Seneca: Valentior fortuna est voluntas. Imo juxta Plutarchum; Regium est accipere parva, & magna largiri.

Divinius illud effatum Divorum Gregorii & Augustini: Nil offertur [inqviunt] Deo ditius bona Voluntate. Adhuc Ericii Puteani testudinem in Symbolum assume cum Lem: Sub parvo sed meo. Qvo qvidem muneris tenuitas excusabitur.

Vitem auream Darius ab Aristobulo: platanum auream à Bithynio, dono accepit. Sic Persæ illi aurea tantum munera placuere. Aliter poli barbaros sapit orbis, cui vel exile ab ingenio munus ante aurum est. Imo & alteri Persæ, nempe Artaxerxi pugillus aqvæ à prætereunte oblatus non sine præmio regali transiit.

At vero Augustus Capitolino Jovi 16. millia pondo auri addidit præter gemmas infiniti pretii. Sic Jovi Cæsar tenuius humana dotantur æraria, ingenia coluntur.

Caput VI.

De Oratione Funebri, & Parentalibus.

Non solæ Orationum hujusmodi Ideæ, sed qvidqvid ad Pompam exeqvialem splendidum ab ingenio depromi solet, huc pertinet.

§.I. De

§. I.

De Inſcriptionibus Sepulchralibus.

HÆ fiunt vel in lapide Sepulchrali, vel in laminà tumbæ affigi ſolita vel labaro de templi fornice appenſo. Gaudent acuta ſtyli brevitate & nervoſa. Scribuntur ſoluta vel ligata Oratione, ita ut nomen, cognomen, genus, ſtatus ac dignitas, ætates ſingulæ, virtutes & facta, vel eventus inſigniores, Scientiæ, merita, & brevis totius vitæ ſumma decurratur, addito ad calcem Inſcriptionis ſine vitæ, ætate defuncti, & Anno Chriſti currente, qvæ omnia non tam Hiſtorico qvam Elogii ſtylo deſcribenda.

Initium Inſcriptionis variabitur multis modis, ne ſemper vulgare illud ponatur: Hic ſitus eſt. Aliqvando ergo ſic incipies: Tegit hic lapis, Viator, qvem non una Tibi Hiſtoria reteget Lucam N, cujus venerabere cineres, ſi mores & acta cognoveris.

Aliqvando ſic incipe: Breves populorum Amores hic lapis teſtabitur: Premit ille magnæ animæ exuvias.

Aliqvando ſic: Heu qvantula urna capit Stephanum N. &c.

Aliqvando ſic inchoa: Hoc alliſa tandem ad ſaxum eſt fortuna Alexandri N.

Aliqvando ſic: Alexander N. emeritæ virtutis æterna præmia hoc ſub lapide præſtolatur.

Aliqvando sic: Lugete posteri mortuum, qvem vix credatis extitisse mortalem.

Aliqvando sic: Date lacrymas mortuo, qvi vivo debuistis obseqvia Alexandro N.

Aliqvando sic: Adeste Cives & lacrymæ: qvi nos toties coegit ad gaudia, semel cogit ad lacrymas Stanislaus N. Ejus obitum sine lacrymis stupor, non fortitudo pertulerit. Vidit illa cadentem, qvo toties steterat.

Aliqvando sic: Cave ne Alexandrum N. è saxo metiare, qvo capitur. Heroas nusqvam minus qvam in urnis reperies, illis nulla pars mundi vacat, qvi & Cœlum replent anima, & terras Fama.

Aliqvando sic incipies: Solare fletibus tuis mærorem Gratiarum Polonia, qvando ipsæ Præficas agere non possunt consepultæ. Lugeant oculi damna sua, si aliena dissimulare neqveunt: Inde doleant sibi objici argumenta luctuum, unde semper antea fluxerant gaudiorum.

Vel sic: Tanto funeri omnes deceat adesse Præficas virtutes; omnes regnarunt in vivo, omnes deplorentur in mortuo: qvamvis ejus nihil miserandum in morte, cujus in vita invidenda sunt omnia. Præclarior vita omnem honestare obitum potest.

In fine Inscriptionis Tempus mortis acute perstringi potest. sic de qvodam sub Majū mortuo è Familia Roseorum: Docuit etiam Rosis Majum fatalem esse. Et de alio sub Autumnum extincto, Cœlo jam maturus concidit in Autumno.

Inscri-

Inſcriptionum ſepulchralium Exempla paſſim habentur, aliqva tamen hic accipe.

Inſcriptio ſepulchralis I.

Perilluſtri Dno Stanislao N.

ETiam in hoc marmore perennet Fama Perilluſtris Domini. ætatem is attigit, qvam rariſſimi; circumtulit merita, qvæ optimi. Prima illi ætas ingenium acuit; maturior in hoſtes Patriæ ferrum. Binas annorum decades in armis exegit & trophæis; Patriæ impendens, qvod literis ademerat. Nam Stephano Batorio tunc Rege ſtipendiarius, bellicis excurſibus in victorias ivit, his potius qvàm eqvorum curſu orbem peragrans ubiqve ſtrenuus, bellandi vincendiqve artes docuit cum diſcere videretur: plurium gentium lingvas meritus, qvas optime calluerat, nec fortius in hoſtem agere noverat, qvam pari apud Turcas mente libera qvadriennio captivus. Redux è vinculis meliori ſorte uſus, in Patria beneficiis auctus, qvæ meruerat. Per bina deinde connubia in plurium Familiarum gloriam influxit, non melius tunc ſpartam privatam domi qvam publicam foris adornans. Tandem meritis & ſenio gravis, eodem ſemper vigore ad canos virtutem produxit meritis in Patriam immortuus, anno ætatis 94. Ejus gloriæ ſuperſtes Filius N. ſaxum hoc ætati poſthumæ Parentis gloriam locuturum poſuit Anno Domini &c.

2. Inſcriptio ſepulchralis.

Caſtellano Podlachiæ.

INgemiſce, poſthuma ætas. Caſtellano Podlachiæ mors inſcripſit hoc in lapide, non plus ultra. Genus ille ſortitus, qvod ambirent nobiliſſimi: Parentes, qvos feliciſſimi invidererent. ſed natalium fortunam virtutum adhuc tinxit radiis; ne præter ſangvinem illuſtre in eo nihil crederes, candorem vitæ inqviris? ex cælibe ſtatu collige, æternitatis neoſponſus terrena non ambiit connubia. Nec publica luce caruit tanta virtus. Eqveſtris ordinis ſuffragia primo meruit qvæ illi publicum nuntii munus, mox æqvitatis Sarmaticæ bilancem in Areopago Lubliuenſi detulere, utrobiqve nec Patriæ defuit, nec legibus; illam conſiliis munivit, has etiam ſuppliciis perſvaſit, cum flagitia pænas flagitarent, nec virtutem ſatisſolidarent præmia. Nec inter Eqvites tantum eminuit, ſed & inter Proceres ad eorum intimum conclave admiſſus è Succamerario Podlachiæ Caſtellanus. Huc ejus merita cum alite gentilitia evolârunt! ſed ſolea, qvam in ſtemmate geſſit, in hunc tandem impegit lapidem, & docuit immortalem vitam meritos poſſe mori. Martius ſenio fatalis terris eum eripuit, cœlis intulit Anno ætatis 60. Chriſti 1600.

3. Inſcriptio Palatino Braclavienſi.

URna hæc, viator, magnæ animæ tegit exuvias.

vias. Hic N.N. ereptus tempori servatur æternitati. Jacturam urna hæc non capit! Is haustam à Majoribus lucem morum armorumq; fulgoribus intendit: qvam per oras exterorum circumferens plurium lingvarum peritia famæ silentia evasit. Totam in se visus Europam exhibere. Roma & Gallia indolem apud se mirata peregrinam, qvam inqvilinam maluisset. Placuit & Aulæ Regiæ rara indoles, qvam ille sub ferreo seculo ad armorum gloriam transtulit; ibi Principis amores, hic nulli non hosti gravis, meritus trophæa. Hæc dum augeret strenuæ, auxit & Honores: in ejus decus summa omnia conspirarunt. Palatinus splendor in titulos, castrorum fasces in gloriam militarem. Auxit hanc Honorum lucem, dum Lunæ Sieniavianæ splendores sibi connubio sociavit. Obstupuit ejus consilia senatus, facundiam curia, lingvas exteri, Cœlum virtutes. Deniq; Cœlo maturum transmisit Leopoli Autumnus. Felix October, nisi lucem Evangelistæ Lucæ sacram tanto funere temerasset.

§. II.

De Emblematis sepulchralibus.

EMblema proprie dici solet qvodcunq; vermiculatum opus vel in aureis argenteisqve vasis cælaturæ, vel in tessellato pavimento; sed tamen hoc loco Emblema sumitur pro apta rei veræ vel fictæ expositione sub involucro picturæ, Lemmatis, & metri. Qvi ergo volet Emblemate

rem qvamcunqve adumbrare, primo inveniet symbolum rei exprimendæ, id est picturam qvæ habeat aliqvam Analogiam & similitudinem cum re per illam adumbranda; & insuper Inscriptionem: postea metro utrumq; complectatur.

Porro Emblemata funebria non solum duci possunt ex Adjunctis defuncti, vel funeris; sed etiam ex aliis plerisq;, qvæ in comparationem symbolicam trahi possunt. Exempla hujusmodi Emblematum jam affero.

Emblema primum in Funere Ferdinandi III.

Pingebantur infra Ducales mitræ Ducatuum Imperialium indicia. superius depictæ sunt qvinq; Regales coronæ Regni Ungariæ, Bohemiæ, Croatiæ, Dalmatiæ, Sclavoniæ indices: supra has in 3. ordine depicta est Corona Imperialis: deniq; in nubibus alia splendidior cum Lem: Manet ultima Cœlo. Cui picturæ hi versus sunt subjecti:

Hactenus augusto radiasti splendidus auro.
Nil, qvo te melius terra coronet, habet.
Ergo novum dant astra jubar: manet ultima Cœlo
Dive corona, Tuus qua redimitur apex.
Jam Tibi & Empyreum defert Diadema a Cœlum.
O qvantus Cœlo judice Cæsar eras!

Emblema secundum in funere ejusdem.

Pingebatur mors, in tabula monumenti penicil-

nicillo aliqvid depingens: pone illam adſtans Genius Auſtriæ, Moraviæ, Bohemiæ, Ungariæ, cum propriis inſignibus, & cum interrogatione ad mortem directa: Cujus eſt hæc imago? à morte Reſponſum loco Inſcriptionis: Cæſaris. Deinde additum eſt metrum:

Emortuales lineas Parcæ manus
Aſſveta pridem ducere, atrato Tuum,
Auſtria, colore Principem damnat ferox,
Hæc eſt imago Cæſaris qvondam Tui;
Heu neſcit aliud Parca picturæ genus!

Emblema tertium in funere ejusdem.

Pingebatur Aqvila Imperialis ſoli eclipſato intento cum Lemmate: Non lucet ut ante: additi verſus:

Hactenus Imperium Te ceu Titane nitebat,
Uiget in occaſus hoc Libitina decus.
Hinc ſolio decedit honos. Non lucet, ut ante,
Non Auguſte Aqvilis lux micat illa Tuis!
Clarior è tumulo Titan, qvia Chriſte reſurgis,
Ferre negant ſoles amplius aſtra duos.

Emblem in funere Uladislai IV.

Pingebatur Faſcis Jagellonius à morte vel manu è nubibus extenſa diſſolutus cum Lem: Melior Fortuna ligabit.

Regalem qvid dira paras diſſolvere ſcirpum
Parca, Ladislai Principis auſa necem?
Perge feras temerare manus. Fortuna ligabit
Hunc melior Faſcem, qvem religare cupis.

Levius illud, sed tamen idoneum proposito Emblema in funere studiosi, depicta est campana in scholarum turri eminens, suo sono studiosos convocare solita: hanc trahebat mors & sic veluti pulsans loco inscriptionis dicebat: Finis! additis his versibus:

Palladio finem qvæ dat Campana labori,
Hac vitæ finem mors dedit atra Tuæ.

§. III.

Symbola Funebria.

Pleraq; sine Auctoris nomine hic referentur, qvorum aliqva desumuntur

Ex animatis rebus.

Primum sit Phœnix in flammis cum Lem: Perit ne pereat. Vel cum hoc: se necat ut vivat.

2. Generosus Eqvus mortuus cum Lem: Ante honori, nunc horrori.

3. Piscis cui esca offertur in hamo cum Lem: Qvod pascit, hoc enecat.

4. Papilio lucernam circumvolans, & alas adurens cum Lemmate: species præclara fefellit.

5. Taurus pascens in campo cum Lem: Ut edatur, edit; sic homo sit esca vermibus.

6. Aqvila volans sursum cadente ex capite corona, sed alia in nubibus corona pingatur cum Lem: Non à coronis, sed ad coronas.

Ex Plantis & arbustis.

1. Sit Arbor cujus folia decidunt cum Lem: Facilis jactura. At non perinde jactura facilis insignium virorum: nam hæc difficilius reparatur.

2. Pla-

2. Platanus ingenti umbra nullo fructu cum Lemmate: Nil præter umbram.

3. Balsami liqvor scisso plantæ cortice emanans cum Lem: Aliis mea plaga medetur.

4. Lilio florenti Joannes II. Dux Cliviæ Lemma addidit: Hodie aliqvid, cras nihil. Ita & humana omnia.

Ex inanimatis.

1. Nubes in aerem à vento sublata cum Lem: Mox resoluta cadet.

2. Sol Eclipsatus cum Lem: Spectatur, dum deficit. vel: Officiunt lumina luminibus.

3. Focus extinctus cum Lem: Cinis est, qvod ante micabat. Item fax extincta solum post se fumum relinqvens cum Lem: Cum nidore perit.

4. Ignis ex domo incensa emicans cum Lem: Non sine clade micat.

5. Pyramis uno deniq; lapide clauditur, cui Lemma additur: Lapis omnis clauditur uno, nempe sepulchrali.

6. Cythara vel lyra ruptis fidibus cum Lem: Ruptis perit omnis gratia chordis. Eidem Cytharæ integris fidibus Lemma additur: Feriar, dum audiar.

7. Fluvius in agros exundans cum Lem: Currendo currere cessat.

8. Fax in sole cum Lem: Lux magna minorem obruit.

9. Ignis sub cinere cum Lem: sepelitur, ut vivat.

10. Horologii rotæ diverso oppositoqve motu volvi solitæ cum Lem: Metam properamus ad unam.

11. Calamus anseris cum Lem: Mortuus loqvor.

12. Bulla in mari, cum Lem: Et brevis & levis est. sic vita hominum.

13. Mons minor umbras minores projicit, qvam alius juxta grandior, cum Lem: Minor umbra minoris sic & grandior luctus, ubi grandior luctus Heroum jactura!

In funere Principis pingeretur Atlas subCœlo cernuus cum Lemmate: Princeps auxit onus.

Tribus adhuc symbolis rem concludam. Primum est Clementi VIII. initio Pontificatus oblatum Horologium cum Inscriptione: semper prima, nunqvam ultima: Inania vota!

Secundum Philippi III. Regis Galliarum qvi Lunæ crescenti in nubibus illud adscripsit: Dum vixi, crescebam.

Tertium Julii Ducis Luneburgensis, qvi facem depinxit cum trito jam Lemmate: Aliis serviendo consumor: qvod applicabis bene merito de Patria & meritis immortuo.

§. IV.

Funebres sententiæ.

POetæ primum occupent locum. Bilbilitanus olor præcinit:

Nullo fata loco possis excludere: cum mors

Vene-

Venerit, in media Tibure Sardinia est,

Pharsalicus vates Lucanus illud punctim omnibus:

Pavido fortiq; cadendum est.

Illud vero summatibus:

Summisq; negatum Stare diu.

Illud vero utriqve ætati:

Mista senum ac juvenum densantur funera.

Oraculum est qvod à Seneca audis:

Illi mors gravis incubat.
Qvi notus nimis omnibus.
Ignotus moritur sibi.

Et *Felices seqveris mors, miseros fugis!*

Do tibi & Tuum Lechia Horatium: Sarbievius is est, cui ausculta:

1 *Qvem sui raptum gemuere cives*
Hic diu vixit. --
2 - *Semel advehemur,*
Qvam navigamus semper in Insulam
Seu lata magnis æqvora stravimus
Reges carinis, seu Qvirites
Exigua vehimur phaselo
3 *cinis æqvat omnes*
Et urna, qva nos colligit, omnium.
Mensura rerum est.

Poëtis alii promiscue succedant, imprimis Seneca: Nemo inqvit, erravit ad sepulchrum. Qvisqvis ad vitam editur, ad mortem destinatur. Ut fabula est, sic & vita, non qvam diu, sed qvam bene acta sit, interest.

Notum jam illud Tullii: Mors nobis qvasi

Tantalo ſaxum imminet. Mors optimum qvemqve ex acie oppignorat.

Mors iis terribilis, qvorum omnia cum vita extingvuntur, non iis, qvorum laus emori non poteſt.

E Plinio illud adnota: ſemper acerba & immatura mors eorum, qvi immortale aliqvid aut fecerunt, aut parant. E Tacito illud: Non præcipuum hoc amicorum munus eſt, proſeqvi defunctum ignavo qveſtu. Et: Mors omnium, oblivione apud poſteros vel gloria diſtingvitur.

Proinde monentem Saluſtium audi: Cum vita, qva fruimur, brevis ſit, memoriam noſtri qvā maxime longam efficere ſtudeamus.

§. V.

Reliqva Eruditio funebris.

ADeſte Principes, & Principi occidentis imo & orientis Philippo III. Hiſpaniarum Regi aurem date: Moriturus is dixit? Nihil refert Regem eſſe, niſi ut cruciet in morte fuiſſe.

Dignam adhuc Lacone vocem audi, qvi animam agens dicebat: Non me movet qvod morior, ſed qvod nullo edito facinore morior.

Invidendum illud Elogium Imperatoris, ſuper qvo ſic comploratum eſt: Utinam aut nunqvam natus, aut nunqvam mortuus fuiſſes!

Sed iterum adeſte Principes & faſtum ponite: qvem ſummi pariunt faſces. Severus Imperator hunc ponere jubet, qvi viventi ſibi locu-

lum

lum parari jussit, cui se interdum includens sic dicere auditus: Tu virum capies, qvem orbis non capit!

Caroli V. factum simile an majus, dum sibi vivo parentari jussit secumq; tumbam mortualem devehi?

Ducem Thebanorum Epaminondam in bello saucium clypeus integer in obitu recreavit, qvare ille: Nunc vester Epaminondas nascitur, qvia sic moritur.

Philippo forte non lætior Epaminondas in agone, Proceribus ille qvi morientem circumstabant flentibus: Non morior, inqvit, nam Alexandrum, in qvo vivam, relinqvo.

In funere Cassii Brutus ultimum illum è Romanis appellavit, qvasi in eo omnis Roma expirasset. Pallantis in exeqviis, Æneas illud:

Salve æternum mihi, maxime Palla
Æternumq; vale.

Claudam Eruditiones oraculo ad Philippum Macedonem de ratione vitam diutius prorogandi directo; responsum illi: Vita qvadrigas. Sed Pausaniam non vitavit, cujus gladio ad capulum qvadriga insculpto obtruncatus. sic qvadrigæ alios in capitolium attollunt, alios præcipitant in tumulum!

§. VI.

Epistolæ ad Funus Invitatoriæ.

Constant hæ doloris testificatione è morte defuncti: Item denuntiatione diei, qvi funeri

neri destinatur: deniq; ad leniendum dolorem & Christianæ pietatis Officium invitatione. Literarum hujusmodi exemplar accipe.

Literæ Invitatoriæ ad funus Parentis.

LÆtiora sæpius Tibi defero; nunc, qvod ipse dolor exarat, stylus hic doloris est, qvi vix calamo suum indulget hæc exarandi munus, dum totum cor obtinet. Eo tamen vulnus detego, qvod pectori obitus mei Parentis inflixit, succubui telo, qvod primus Aprilis dies in me tam serio intorsit: illusit ille (sed non ut alias) nostræ domui, nostræ spei! in lacrymas totus abeo, nec aliud magis fluit è calamo atramentum. Sed Tu lenies luctum, si juveris lugentem, dum justa & plane Parentalia extincto Parenti persolvam. In ultimam Aprilis justa hæc distuli justas ob causas; sed ultimam Aprilis tantum, non luctus. Aderis & Tu & Pompam augebis funebrem, nec Christianæ pietatis exsors esse voles. Qvod ne velis, preces cum lacrymis hic includo.

Aliæ Invitatoriæ ad idem funus.

USqve adeo nulla sub sole sibi constant gaudia: lacrymæ illa præeunt aut comitantur. In me jam post alios capies experimentum qvod dies hesternus dedit, dum Parentem mea mihi potiorem vita sustulit. Auget dolorem totius Domus orbitas, nec solatii qvidqvam præsto!

Re-

Renuit illud nimius dolor. & ſibi nimium indulget mora illum aut tempus haud lenis, niſi in amicorum pectora diviſo lugendi officio diffundatur. Nec aliud ſpero, dum hæc intelliges de Parente meo ſemper Tuo, Tibiq; (qvod ſciam) in paucis primisq; caro. Sed nolim te literis tantum illacrymari & primo huic Nuntio, in qvintam Aprilis communem cum amicis luctum indico, qvem Parentali Pompæ deſtinavi. Te hoſpitem & funeris comitem opperior.

§. VII.

In Funere immaturi Adoleſcentis Oratorii impetus Funebres.

IN tali Oratore maxime affectus ille regnat, qvo de mortis inclementia ætati etiam huic infenſæ conqverimur, & qvod .. -- *inani*

Spes tumidæ crepuere vento.

Spes ergo Patriæ & Parentum deluſæ deplorantur. Præterea adoleſcentis præcoci fato ſublati dotes deſcribuntur.

Impetus Primus, *ex Juglari.*

Abiere in exleges fletus tot Provinciæ, miſeratæ fatum N. cui ad hoc ut Majores aut æqvaret aut vinceret non aliud defuit præſidium qvam ætatis. Immortalitate nihilominus in tuto repoſita, infortunii hujus damna non ſenſit Maturis moribus nullum ſupervenit præcox fa-

fatum, ſat ampla vitæ ſpatia, qvibus tot capi merita potuere!

Impetus II.

Etiam Polonæ telluris impatientes Aqvilæ ſemper ad volatum erectæ, diu à Cœlo abeſſe neqveunt. Habes Sigismundum N. qvi ad ſolem originis ſuæ ſe vix natus explorans, qvos Heroas referebat in nomine, eosdem reſtituere viſus eſt in virtute. Felicibus nempe initiis præmaturum præſentiens interitum, ſenium, qvod habiturus ſuo loco non erat, in pueritiam præpoſtera maturitate tranſtulit. Sed diuturna eſſe neqviit felicitas, qvæ ipſa propemodum populi vota exceſſerat.

Impetus III.

Solis fletibus ſolari cogimur mærorem, dum præcocia fata omne gaudium præfocarunt. Phœnix ille juvenum Matris qvidem ex funere vitam hauſit, veluti & illa novum ſolem enixa non alio qvam Auroræ fato deberet deficere, ſed decepit naturam ipſam ſumma maturitas. Creditus eſt ad Autumni jura ſpectare, qvi nil reddebat acerbum, ut intelligeres illum abire in lucem, exeunte nocte defecit, etiam ſe inde probans ſidus eſſe, qvod evaneſceret in Aurora.

Impetus IV.

Eheu! cum ille in virtutis ſtudio majores ætate paſſus molitur, ad hunc offendit lapidem, vere terminalem. Adeo magnis paſſibus viam æter-

nita-

nitatis ingressi cito ad metam accurrunt : Nihil tu in eo immaturum cogita præter obitum ac ætatem : in ipso vitæ apparatu tantum operum dedit, qvantum ab aliorum senio vix speremus. Mirum erat nisi prior ad bravium & palmam præcurreret, qvi reliqves omnes in probitatis stadio studioq; antecessit.

Impetus V.

Potest sumi ex illis.

1. Plerosqve in ipso vitæ apparatu vita destituit. sic nulli fere & magna bona & diuturna contingunt! Non durat neqve ad diuturnum redit lenta felicitas. Qvidqvid in primo flore adultum videris, diuturnum ne spera. Cæca Mors inter juventam ac senium non discernit.

2. Ex illo Virgilii :

Ostendent hunc terris tantum fata nec ultra,
Esse sinent.

Aliter idem de qvodam : Anteqvam felicitatem suam nosset, exemptus est.

3. Potest per Prosopopœiam induci mortuus loqvens :

Inveni portum, spes & Fortuna valete.

Vel illud:

Attigimus, certumq; tenet jacta anchora portum.

4. Posset & Symbolice depingi Horologium ex floribus ; index horam indicaret in anno defuncti adolescentuli cum Lemmate : Necat vel è floribus hora.

Vel

Vel pingeretur Hemerocalis avicula qvæ uno die vivit,& ſingularum avium cantus ediſcit cum Lem: Non diu, ſed bene:

Vel Hortus vivens, qvem ingreſſæ tres Parcæ ſertum è Roſis nectant cum Lemmate: Coronemus nos Roſis.

§. IIX.

Alii Impetus Funebres.

non immaturo

Doloris conteſtatio.

ETiam non immaturo Doloris conteſtatio poteſt vel ſic fieri: Utinam vivo potius oculis noſtris obſervanti N. qvàm extincto Panegyrim texeremus, id eſt breviſſimam mortalitatis illecebram, & peritura cum voce ſolatia lacrymarum! Sed in lætitiæ partem migravit dolor, qvi exclamare cogit: O breves populorum amores!

Vel aliter: Qvod nobis lacrymarum fæcundior qvam verborum inſpirat Dolor, hoc inter Parentales lugubris pompæ Cerimonias eloqvimur. Non tam Eloqventiæ, qvam doloris ductu tota plorationi, qvam orationi ſimilior in luctum deſinit, cadit in lacrymas oratio. Nimirum fruſtra ad limpidos Oratorum fontes ſe poſſe ſperet evadere, cujus ſemel inter lacrymas fluctuare cœpit eloqventia. Mœſtius perorandum, ubi cor & lingvam ſemel occupat Orator dolor.

Vel aliter: Tantus eſt etſi jam poſt fata ſit modicus cinis, N. ut ſola lugendo illi ſufficiat æter-

æternitas. Nec enim brevius lugeri meruit. cum qvo perennia tot decora tumulantur hinc tantæ animæ cladem perennia vix eluant diluvia lacrymarum. Et magnæ qvippe moles parem ruinam, & magnæ mentes ab obitu non imparem luctum trahunt; ut nulla idcirco seculorum decade plorandi necessitas finiri debeat, qvã illustrioris animæ strages inducit. Nec modi, nec termini eget is dolor, qvo maximis simul ac optimis parentatur.

Tenuioris animæ posthumum illud sit dedecus, ut ei vel nullis lacrymarum, vel haustis tantum ex oblivioso fonte aqvis litetur tam cito desituris, qvam primum eruperint.

Ad funebrem laudem.

LAudem demortui sumimus ab ejus gestis, virtutibus, Honoribus. Horum Ideam sumere licet tum ex laudibus Ludovici XIII. qvas fuse in Elogiis proseqvitur Juglaris, tum ex aliis recentioribus, ubi in laudem virtutum alicujus ac gestorum excurrunt.

Etiam ille impetus hujus est loci: Ergone post acta immortalia Mortis jura non evaseris N. Adeone mars ex acie, mors è Palatiis optimum qvemqve rapit? Qvi morti obnoxiis fuisses, qvi nihil in vita non gesseris immortale. &c. Vocalius tua vel è busto sepulchrali perorarunt merita, qvam emortua orationem illa felicius æternitati seipsa insinuant, nec adhuc plus exprimunt è calamo atramenti, qvam ex oculis lacry-

lacrymarum. Utinam te posteris ita stylo nostra ætas transmitteret, qvalis tu factis in æternitatem immigrasti: multum enim interest nosse, qvibus itineribus ad Famæ Capitolium & gloriæ adyta qvis penetrarit.

§. IX.

Aliqvæ Orationes Funebres.

FUnebris oratio duplex in usu: alia qvæ fit ab invitatis Hospitibus vel Legatis Principum ad propinqvos defuncti, aut ei qvomodocunqve obstrictos. Alia qvæ fit à propinqvis, vel eorum nomine ad Hospites Pompæ funebri præsentes. Prior oratio tria continet.

Doloris contestationem de obitu defuncti. Item Defuncti laudem. Ad extremum Consolationem propinqvorum.

Ad Doloris contestationem aliqvando locus assumitur communis de altissimo jure mortis in omne hominum genus, vel de brevitate vitæ ac præfixis ei limitibus. Qvandoqve inchoatur oratio ab exclamatione & indignatione qvadam in jura mortis. sicut in obitu Stephonii incipit Ferrarius: vel alluditur ad tempus mortis vel exeqviarum, vel ad vitæ genus, ita ut in funere Principis splendidum, in funere Militis martiale, in funere docti literarium qvid spiret ut tota oratio, ita & ejus initium.

Laus defuncti attingit præcipua illius insignia, genus, honores, facta, virtutes, permiscendo affectns commiserationis, Gratulationis &c.

Item

Item comparationes cum magnis qvibusqve ex Historia veteri.

Consolatio propinqvorum sumitur tum ex commodis evitatæ mortalitatis, tum ex immortali nomine defuncti, vel morte gloriosa, tum ex omine prosperiorum eventuum in futurum.

At vero oratio qvæ nomine propinqvorum dicitur ad hospites invitatos 4. punctis constat.

1. Mæror & luctus affinium indicatur, ac ejusdem lenimentum ex hospitum comploratione & luctu in plures diviso.

2. Spes de defuncto & erepta solatia præparce insperſa ejus laude attinguntur.

3. Invitatis gratiæ exhibentur pro supremo officio illi exhibito.

4. Hospites ad epulum funebre invitantur.

Oratio in Funere Ducis Exercituum.

VIncere tandem & vivere desiisti Dux invicte. Unicus tibi hostis mors supererat, qvem contemnere tibi tantum licuit, non profligare. Nemo ab hac unqvam bellator laurem extorsit cui perinde est sternere clavas Ducum, ac Tarqvinio colla papaverum. nec Ducem illa secernit à gregario, nec Achillem à Thersite, nec magnanimum ab imbelli. Exacuit dolorem jacturæ gravitas, Patriæ ejusqve civibus vix ferenda. Amisit hæc Troja Hectorem, qvo hactenus stetit inconcussa. nam ejus dextram palmarum feracem ac tot prœliis exercitam hostis semper

ex-

exhorruit. Martem ignorat, qvi hunc virum nescit, in qvo militare visa omnia, genus & ingenium, vultus & manus: non unus in illo exercitus & multarum legionum collectæ vires compendio videbantur. Amisit & curia Civem publicis intentum commodis, nec consilio magis & lingva, qvam manu viribusqve strenuum. Qvoties ille in turbidis Comitiorum fluctibus malaciam attulit sui unico interventu! Qva cupiditate inter Purpuratorum sententias audiri solitus, qvorum ita captivas aures tenuit, ut ne loqvi desineret, timeretur! Amisit & Domus ejus Patria illustre sui nominis ornamentum, ut merito de fatis illius fas sit conqveri, qvi tot Heroas in tantam lugendi necessitatem impulerit. Sed tamen solatia nobis non ademit omnia, qvi dedit semper maxima. non ita in spolium mortalitatis cessit, ut immortalis esse desierit. timeri illi poterat. &c.

Oratio in Funere Philosophi dicta.

ERgo jam philosophari in terris amplius haud licuit? hæc post illustres Præmissas conclusio? hæc in feretro mortuali thesis seu positio tibi demum obtigit? Etiamne inter præcisiones literarias sic vita præciditur? ô fatum hominum, qvibus nullum sit contra mortis assultus ingenium, oppugnare ubi illa cœpit, protinus expugnat. Agnoscit & illa suum aliqvid in Physicis, ubi forma cadaverea passim adstruitur:

tur: hic illi maxime tractatus, hæc arrisit unice forma informis, Corruptio illi in votis & status animæ separatæ: Demonstratio eidem nulla potior qvam sepulchri: nulla familiarior qvam intra urnam conclusio, in tumulum illatio. Etiam Te aggressa nuper est, & anteqvam de illa qvidqvam disceres, formam tibi indidit cadaveream. Unam hanc ante alias didicisti experimento citius Privationem formæ, & de Duratione scientiam æternitate prævenisti; in ea Continuum Gloriæ ac Infinitum comprehensurus. Philosophia Boetio mortis meditatio est, sed tibi mors ipsissima. Illud tamen scholarum solatur viduitatem, qvod Tuæ virtutis Ideam superstitem in animis reliqvisti &c.

Eidem lessi funebres metro comprehensi sunt additi.

I.

Occidis ante diem viridis sub vere juventæ.
Hospes ab Ausoniis, non rediture, plagis!
Occidis, ut niveæ, dum sævit Jupiter udus,
Imbre superfuso, decubuere Rosæ.
Scilicet Autumnus tepidis devectus ab Austris
Cælo maturum te probat esse caput.

II.

Qvando Stagiræi terit arduatecta Lycæi
Et mentem Physicis imbuit usq; modis,
Mors fuit ausa novo juvenem tentare duello
Ac argumentis implicuisse novis.

Hinc argumentans sic in Festino: subinfert,
Vixisti; debes protinus ergo mori.
Sed male concludis, Mors nempe rudissima dicas
Vixisti usodicum; vixeris Ergo diu.

III.

Ergo erat in fatis Lechicos tibi visere soles,
Atq; sub Arctoi Climatis axe mori?
Non unus petiit Sacras affusus ad aras,
Tuq; simul vitæ stamina longa Tuæ.
Effera sed Latiæ veluti Mors nescia lingvæ
Noluit effusas aure bibisse preces.
Non sapit hoc Monstrum, in formæ concludere nescit.
Nonnisi concludens putre cadaver humi.

IV.

Qvæ lux Palladios recreare solebat alumnos,
Hæc eadem tristi vulnere corda ferit.
Namq; scholis toties repetito funere lætam
Audet Mors obitu contemerare diem.
Perge juventa Jovis temet recreare diebus,
Qvæ Jovis est simul est Mortis & illa dies.

Caput VII.

De Oratione Genethliaca.

GEnethliacon etiam veteribus erat plena hilaritatis gratulatio. Hinc Exordium Orationis Genethliacæ, qvæ in Magnorum Infantum natalibus in usu est, sumitur à testificatione gaudii

dii & Gratulatione tum familiæ de Infante, tum è converſo. Confirmatio cauſas lætitiæ exaggerat, nimirum optatam apud cæteros æternitatem nominis & familiæ diuturnitatem. Concluſio continet omina de Infante, Apprecationes & vota publica pro eodem.

A circumſtantiis loci & temporis aliqvando hæc ornatur oratio. Hinc non ſterilem materiam Oratoribus dedit Sigismundus III. natus in carcere. Sic ille natus die Sacro Divis Primo & Feliciano. Sic & de Caligula Cæſare nato in caſtris luſit Elogiaſtes: In mortis ille caſtris vitam hauſit, nondum puer, jam miles; prius gladium vidit, qvam Solem. Sed ut Mavors natus, ut Bacchus vixit, fortior infans qvam adultus. Præpoſteram habuit ætatem tantum ut Imperium raperet, ſui ortus memor. Sic & Claudianus:

Reptaſti per ſcuta puer, Regumq; feroces
Exuviæ tibi ludus erant &c.

Adjunctum temporis dedit materiam acute dicendi de Ludovico XII ſub Jubilæum nato: Sanctiſſimam Principis animam non alius potuit qvam Sanctior annus concipere. Fuit ille plane Jubileus mundo, cui tantam faceret Indulgentiam DEUS.

Spectanc huc & prodigia in qvorundam natalibus. Sic in ejusdem Ludovici Elogio dicitur: Illuſtre argumentum natura novum ſidus accendit in Cygno & terram feſtos egit in motus. Juſto Rege concepto qvidni contremiſceret ſibi tam male conſcius mundus. Parum fuit ab ar-

mato sibi metuere, etiam nondum genitum trepidavit. Dabit impetum eidem Orationi aliqva

Huc spectans Eruditio.

FUit prodigiosa qvorundam infantia. Nam Seleucus impressam sibi naturæ opificio anchoram gessit, nec spem de se plenam boni ominis exclusit. Zoroastrem Bactrianorum Regem vagitui & communibus humano generi lacrymis risum substituisse vix natum miramur. Curius Dentatus nomen à Dentibus tulit, cum qvibus natus. In ore Pindari dormientis, & Platonis adhuc infantis apes mellificarunt. Visa circa Servii Tulli caput flamma Regiæ lucis illi præsagium fuit. Paridem Parens ejus Hecuba ceu faem intra viscera accensam sensit Trojæ utiq; exitial m. Mater Augustam enixa, visa est sibi solem genuisse. At Mater Periclis leonem sibi visa est in utero tulisse, dum Periclem.

Herculi prædicta videtur sua magnitudo, cum vix duabus noctibus in lucem ab utero prodire posset, qvasi in tanto Heroe producendo plus solito natura laborasset.

Themistocli sæpius Præceptor dixit: Tu nihil mediocre eris, sed omnino vel magnum Patriæ lumen vel magna pestis.

Etiam munera in natali dari solita. Hinc Mart.

Ut poscas, Clyte, munus exigasq;,
Uno nasceris octies in anno.

Viperæ nonnemo adscripsit: *Cum pario, pereo.*

Sed

Sed mali ominis id Symbolum; melioris illud, nempe Luna crescens cum Lemmate: *Cresce in bene*. Sic Matrona qvædam suo partui vovebat.

Oratio Genethliaca

In Natali illustris alicujus Infantis.

AUges hodie titulorum gloriam tot jam Fortunæ auctus insignibus MD. dum Cæli munere novum tibi Parentis accedit cognomentum. Perennaturæ id familiæ omen est, cui par contigit felicitas. Eorum nos tantummodo votorum, ejus tu felicitatis capax videbare, ut nihil in te, nisi alterum te desiderare possemus. Respondit jam communi Patriæ tuæq; Domus voto eventus tanto sangvinis ac gloriæ hærede tibi concesso, in qvem cum sangvine parem tuæ mentis capacitatem transfudisti. Ductæ jam in hoc Infantis vultu videntur lineæ (id qvod etiam Nazarium de filiis Constantini ominatum accepimus) qvibus tuarum virtutum effigies includi possit. Habet enim nobilitas sangvinis, adjunctam plerumq; nobilitatem mentis, estq; ingens ad virtutem stimulus, majorum virtus. Tu jam infans nobilissime, inter tot Fortunæ pignora in publicam educte lucem, è tantillo nunc primum sidere in novum Patriæ succresce & maturesce solem.

In Oratione Lustrica fit allusio ad nomen inditum Infanti, cum è Sacro fonte ritu Christiano levatur; reliqva usurpantur, qvæ in Gratulatione Natalis & Nominis, de qvibus supra.

Affero Luſtricum Elogium Caſimiro Leoni Sapieha inſcriptum, qvem è Sacro fonte Uladislaus & Conſtantia Regina Poloniæ ſuſceperat. qvia tamen hoc Elogium in funebri Panegyrico proponitur, ideo ſic incipit.

Etiam inde lacrymas dolor hauriet, unde vitam hauſerat Caſimirus. Vitale hoc flumen eſt, non minus agit in animam, qvam in palpebram, & abluere natum & humectare. Qvis tamen Caſimiri laudem audeat aqvis committere? labili elemento laus cito nimium aboletur: Fluxo eſt ingenio aqva; neſcit famæ immortalitati conſulere. qvis enim ſtabilem gloriam à ſtare neſciente elemento unqvam ſperet? Male Roma Coclitem & Cloaliam in Tyberi adnotârat: hauſiſſet hic eorum gloriam, niſi melius illam in faſtis pietas adnotaſſet. Sed tamen Caſimiri laus aqvis etiam inſcripta perennabit. nam ſacer ille fons nihil magis colit qvam fidem, & fluida qvantumvis indole, refugit fidem fluxam. Debet tam conſtans ingenium etiam Conſtantiæ, qvæ fontem hunc baſilice coronavit. Nunqvam Fontinalia Sacra auguſtius celebrata, qvam dum Caſimirum è fonte illo levaret Uladislaus & Conſtantia. Auguſtum id, Caſimire, qvod te ſic totum Auſtriacorum Faſcia abſterſerit, nomen Regium coronavit, cui ferendo parem te ſenſit Conſtantia, Uladislaus approbavit. Inveniſſet tuæ Domi Lilia amicum Liliis Caſimiri nomen, niſi pridem ea in ſagittas ſolidaſſet, à robore laudem potius affectans, qvam odore &c. &c.

Ga-

Caput VIII.

De Oratione Nuptiali.

TRiplices hic Orationes in usu. Primo qvæ fiunt vel à Sponso, vel à Paranymphis ad Parentes Sponsæ, vel Tutores, Petitoriæ. 2 Sunt Orationes Oblatoriæ munerum. 3. Orationes qvibus traditur Sponsa nomine Parentum vel Gratulatoriæ Nuptiarum.

Insignes sunt Orationes hujusmodi apud Wassembergium, qvas Legati Uladislai IV. pro Cæcilia Renata Regina Poloniæ ad Ferdinandum III. Imp. Romanum dixerunt, qvas in prædicto Auctore vide.

Habet hujusmodi Orationes & Orator Politicus aliiq; passim.

Eruditionem qvæ huc pertinet copiose tradidit Radau in suo Oratore extemporaneo. Etiam Polyanthea plurima suggeret. De Annulis selectam habet Eruditionem Sylvester Petra Sancta in Symbolis.

Inscriptiones Arcuum Triumphalium in Nuptiis Principum.

FIunt metro vel Prosa. plausum aliqvem continent vel omen ac præsagium faustius de Neosponsis. Potest iisdem includi Apprecatio tum familiæ, tum Patriæ. Insuper Hieroglyphicis & Symbolis iidem Arcus depingi possunt, qvæ idem Orator Extemporaneus subministrat.

In Nuptiis Cæciliæ Renatæ Austriacæ Reginæ Poloniæ inscripti Arcus triumphales carmine:

Prima Inscriptio.

Affusam, Regina, Tibi circumspice turbam,
Qvaq; venis, gaude vix reperire viam,
Plebis amor tantas tibi convocat Urbe catervas,
Qvo tibi clausa magis semita, aperta foret.

Secunda.

Has aperit, Regina, tibi Varsavia valvas,
Læta patent Domina mænia, corda magis.

Tertia.

Cæciliæ Renatæ Duci Austriæ, Imperatricis Domus sideri felici Poloniarum Reginæ, conjugi fortunatissimæ, S. P. Q. V.

Qvarta.

Uladislao IV. Moschovitico, Turcico, Scythico, pio, felici, Victori, terrori Orientis, Occidentis spei, Conjugi Fortunatissimo. S. P. Q. V.

Qvinta.

Divi Divæq; Poloniæ & Austriæ Indigetes, Cæciliam Renatam Austriacam, Poloniæ Sveciæqve Reginam diu Regi, diu regno, diu huic urbi superstitem velitis, impetretis. Ita vovemus S. P. Q. V.

Sexta.

Divi Divæq; Poloniæ Sveciæqve Præsides ac tutelares Uladislao IV. Poloniæ Sveciæqve Regi faventes & secundi bello & pace adeste. Diu Cœlum ejus virtutem terris commodet, dum Orientem laurea, Occidentem olea præcingat. Ita velitis, oretis, ad votum S. P. Q. V.

PARS

PARS ALTERA
Svadæ Civilis.

AD hanc referuntur Orationes seriæ ac graves contradistinctæ Officiosis datis hactenus. Tales sunt, dum qvis legatione ad Principes orbis fungitur, vel dum in Senatu perorat suamq; dicit Sententiam, seu dum in Curia vel foro causam agit.

Sectio I.
Svada Civilis in Legationibus.

LEgatus seu Orator Principis aut Reipublicæ ad orbis Principes sæpe est in usu. Admirationem illi parit non tantum splendor comitatus aut cultus Eqvestris, sed etiam Eloqventia intra Civilis prudentiæ ac decori terminos consistens: Eloqventiam ejus hæc concernunt:

1. Pro ratione Principis à qvo & ad qvem Oratio conformanda, ita ut nec nimis demisse agas, si à majori Principe legationem obeas; nec abjecte, si ab æqvali; nec non demissius, si à minori. Legatus enim est os & lingva Principis, proinde sermo, qvoad res exiget, suo Principi accommodandus.

2. Etiam materiæ legationis conformanda est legati Oratio. hinc nec tumide agendum, si qvid Principis aut Reipublicæ nomine postules, nec timide, si bellum indicas, aut pacis optionem offeras, nec non demisse, si obseqvium Principis v. g. Romano Pontifi i deferas, nec non nervose, si grave qvid svadeas vel dissvadeas, nec non jucunde, si solatium afflicto, Principis nomine afferas.

3. Legati Oratio his fere constat. Imprimis insinuatur à qvo sit Legatio: mox puncta legationis proponuntur: deinde rationes graves, qvas res exigit, subnectuntur. Si item res postulet, Regni & Principis propensio in eum, ad qvem fit Legatio, memoretur; vel affinitas inter hos Principes, si qvæ intercedit, & alia hujusmodi.

4. Plausum Legato parat paritq; tum Eloqventiæ gravitas sensuumq; grandium non tam Scholasticorum qvam Politicorum maturitas, tum acumen grave à Sententiarum pondere desumptum, tum exacta rerum circumstantiarum ad rem legationis spectantium circumspectio & insinuatio: tum apta rerum illatio pro re nata: tum si Legatus præferat notitiam rerum ad Principis illius & Regni gloriam statumq; pertinentium, deniq; si apposita & ad persvadendum peridonea modo & actione plausibili dicat.

5. Legatus etsi extra Regni fines, non tamen ultra Decori limites abeat; & qvia Regis Regniqve Orator est, illius arbitria in imperiis,

jussa

jussa in oraculis, desideria in opere, consilia ponat in eventis.

6. Juvat esse instructum Sententiis & Eruditione ad puncta legationis pertinente non tantum politica seu qvæ proxime rem & regna illa concernit, sed etiam scholastica. Et qvoniam Legationis materia vel est Delatio Obedientiæ Summo Pontifici, vel Postulatio affinitatis, vel Gratulatio aliqva aut Gratiarum actio pro suppetiis, aliqvid ad hæc Eruditionis offeram.

Eruditio

Ad legationem de bello, pace, vel induciis aut suppetiis.

SEntentias imo oracula fundit tum mare lacteum Livius: Major inqvit, ex civibus amissis dolor, qvam lætitia fusis hostibus; tum Tacitus: Ubi bellum ingruit (ait) Innocentes ac noxii juxta cadunt. tum Svetonius in Augusto dicente: Minima commoda non minimo sectantes discrimine similes aureo hamo piscantibus, cujus abrupti damnum nulla piscium captura pensari possit: tum Auctor Horologii Principum: non sunt, inqvit, nunc bello utiles, nisi qui vitam parvi, Conscientiam minoris æstimant. Item ait: Pluris æstimanda Christiani anima, qvam Romani vita.

Trajanus: *Justum bellum pace suspecta tutius.*

Fabius: *Adversus inferentem damnum justa ultio est.*

Dio: *Bellando efficimus, ne semper bellandum sit.*

Seneca: *Pacem reduci velle Victori expedit, victo necesse est.*

Curtius: *Fama bella constant.*

Lampr. *Laborem in Victoria nemo sentit.*

Sallust. *In Victoria vel ignavis gloriari licet.*

Juven. *Major qvibusdam famæ sitis est, qvam Virtutis.*

Gratianus: *Non est cum DEI hoste belli Societas ineunda* iterum inqvit: *Omnis in ferro est Salus.*

Et Sen. *Male vicit, qvem pœnitet Victoriæ.*

Iterum & Dio: Non par audacia iis, qvi pro suis dimicant, qvam qvi aliena invadunt.

Svetonio teste nullus in bellis felicior Augusto, qvia nemo justior in bello inferendo.

Cæsar Metello obsistenti, ne pecunias ab ærario tolleret contra leges: Non idem, inqvit, armorum & legum tempus est.

Vile aliqvos illicium ad bellum pertraxit. Nam Galli, teste Livio, gustato vino Italico arma adIta, liam subigendam corripuêre. Longobardi contra Pannoniam propter poma dulcia, carnem succi plenam, vinum odoratum. Xerxes Athicas Caricas dulcissimi saporis appositas gustare noluit, nisi prius terram, qvæ illas ederet, subigeret. Carthaginenses non amore justitiæ, sed triumphi gratia plurima regna bello afflixere.

Contra Palæstinos dimicaturo Consuli Vietro Apollinem consulenti de Victoria responsum:

ſum: Si victor vis redire, reſtitue nobis Sacerdotes qvos à templis noſtris abduxiſti.

Ideæ Legationum, ſeu potius Orationum à Legatis dicendarum.

HAbes primam in Waſſembergio, qvi legationem Georgii Oſſolinii ad Urbanum IIX. Romanum Pontificem ab Uladislao IV Rege Poloniæ deſcribens, ejus Orationem cum plauſu Romæ auditam affert. Advertit fateor Romæ oculos & ſplendidior Legati Sarmatici comitatus; nam dubium vultunc is an cultu ornatior, in qvo ita ars pretiumq; certabant, ut naturæ ornamenta non excluſerint; Non ſic tamen admiratione defixa hæſerat Roma ad Lechicam Eqveſtris Elegantiæ pompam, ad lectiſſimum exqviſitæ juventutis florem, jam auro, jam veſte Phrygiam, cultu patrio & peregrino, nec non phaleris arte pretioqve certantibus aſpectabilem, tot diſcolores ſexigas, eqvos Cœlo & ſolo Turcico generoſe feroces, auro etiam prætumide ſoleatos; qvam dum hic Polonus Cyneas ad vicariam Numinis poteſtatem de genu, arrectis Qviritibus peroraret. Ejus jam Orationem accipe:

Venit iterum Romam Uladislaus, Pater Beatiſſime, & qvi nuper barbaricis ornatus laureis ad Tuos pedes venerabundus jacuit, is hodie triplici cinctus diademate per me Oratorem ſuum ſupplex procumbit: Uladislaus inqvam Poloniæ

& Sveciæ Rex, qvi anteqvam regnaret, Regum ac regnorum Tyrannos debellavit: qvi Romam triumphator sine triumpho ingressus, pia vota & Pontificiorum pedum oscula triumphalibus prætulit, qvi cum videre nosciqve maxime nollet, urbis & orbis oculos in se convertit, qvi nova Tyberim felicitate beavit cum arctius fluere solitum, ultra Tyrum ac Borysthenem promovit. De hoc tali ac tanto Principe Tibi B. P. non in cunis sed in ipso gloriæ ac rerum gestarum fastigio, non fama, sed aspectu ac familiaritate noto qvid in hoc amplissimo orbis theatro afferam, haud reperio. Jam enim olim Sapientissimo Tuo judicio omnes ejus penetrasti ac percensuisti virtutes, easqve uti probe cognitas, qvæ liberæ gentis sceptra moderentur, dignas judicasti. Huc ergo potius mea deflectat Oratio, ut qvos qvalesq; populos Apostolici sedi supplices Rex noster secum offerat, declarem. Qvidcunq; gentium septemtrio tegit, qvam late à Carpatiis montibus ad mare Caspium, à glaciali Oceano ad Pontum Euxinum patet Europa, totum id genu flectente Uladislao ante thronum Tuum prosternitur P. B. Omnes enim illæ gentes aut liberis suffragiis eum sibi Regem dixerunt, aut hereditario jure illi subduntur, aut deniq; armis subactæ Dominium, recognoscunt &c. &c. Polonia ergo ad Tuos prima procumbit, illam cervicem nullius unqvam jugum ferre solitam, manus liberas excelsam indolem & ad Imperia natam Regis sui exemplo majorum instituto Tibi sub-

ſubmittit &c. Erige hanc Tuam dexteram Pont. Opt. Max. qva neſcio qvo turbine motum ac pœne ruentem orbem retines. ſummo hujus ſeculi bono deſtinatus, & Sacra benedictione proſeqvere, tam ſacri pignoris pios conatus &c.

Habes inſuper plures Legatorum Orationes apud Curtium inter qvas illa eminet Oratio Scytharum ad Alexandrum qvæ plena graviſſimis Sententiis. eſt autem hæc.

Si Dii habitum tui corporis parem aviditati animi eſſe voluiſſent, orbis te non caperet; altera manu Orientem, altera Occidentem contingeres, & hoc aſſecutus ſcire velles, ubi tanti numinis fulgor conderetur. Sic qvoqve concupiſcis, qvæ non capis. Ab Europa petis Aſiam, ex Aſia tranſis in Europam; ſi humanum genus ſuperaveris, cum ſylvis & fluminibus ferisqve geſturus bellum. Qvid tu? ignoras magnas arbores diu creſcere, una hora extirpari? amens eſt, qvi fructus earum ſpectat, altitudinem non metitur. Vide ne dum ad faſtigium pervenire contendis, cum ipſis qvos comprehenderis, decidas. Leo qvoqve minimarum aliqvando avium fit pabulum, & ferrum rubigo conſumit: nihil tam firmum eſt, cui periculum non ſit etiam ab invalido. Qvid nobis tecum eſt? nunqvam terram tuam attigimus: nec ſervire ulli poſſumus, nec regnare deſideramus. At tibi qvid divitiis & terris tot opus eſt, qvæ Te eſurire cogunt? primus omnium ſatietate paraſti

fa-

famam ut qvo plura haberes, acrius qvæ non habes cuperes. Sed ut major fortiorqve sis qvam qvisqvam, tamen alienigenam dominum nemo vult pati. Transi modo Tantum, scies qvam late pateat, nunqvam tamen Scythas conseqveris, pauperies nostra velocior erit, qvam tuus exercitus, qvi prædam tot nationum vehit. rursus eum procul abesse nos credes, videbis in tuis castris: eadem velocitate & seqvimur & fugimus. Proinde fortunam tuam pressis manibus tene; lubrica est, nec invida teneri potest: impone felicitati tuæ frenos, facilius illam reges. Deniq; si Deus es, tribuere mortalibus beneficia debes, non sua eripere; si autem homo es, id qvod es, semper esse te cogita. Stultum est eorum meminisse propter qvæ tui obliviscaris qvibus bellum non intuleris, velut amicis uti poteris: nam & firmissima inter pares amicitia est, & videntur pares, qvi non fecerunt inter se virium periculum. &c.

Sectio II.

Svada Civilis in Senatu.

PUlcher hic eloqventiæ Campus est, & gravissimus Sententiarum conflictus, qvas ex animi Sententia Proceres ad Reipublicæ consilia adhibiti libere proferunt seu de stipendiis militaribus ac vectigalibus, seu de bello vel pace, seu de qvibusvis Reipublicæ negotiis disceptetur. In hujusmodi Orationibus sensus animi declaratur

non

non ſine rationum momentis ſententiam fulcientibus, nec ſine argumentorum contrariæ partis prudenti & ſolida diſſolutione; vel invento ſingulari modo incommoda Reipublicæ, de qvibus agitur, occurrendi vel ſuccurrendi ærario &c. Juvat inſuper modice inſperſa Eruditio præſertim domeſtica & à majorum exemplis deducta authoritas. Item graviores Sententiæ, qvæ tuam rem concernant.

Vide ſvaſionem belli contra Romanos graviſſimam apud Tacitum in vita Agricolæ, ubi peroratur nervoſe & ſublimiter. Ibi invenies gemmas illas: Omne ignotum pro magnifico eſt. Romani ubi ſolitudinem faciunt, pacem appellant: Metus ac terror ſunt infima vincula charitatis: Noſtris illi diſcordiis clari, vitia hoſtium in gloriam ſui exercitus vertunt. &c. Virtus ac ferocia ſubjectorum ingrata ſunt imperantibus: Vanus auri fulgor & argenti, qvod nec tangit nec vulnerat. &c.

Sententiæ in Senatu dicendæ plurimas habes Ideas in Argenide Barclaji, & qvidem in utramqve partem. Sic libro primo unus ex Conſiliariis Qvæſtionem illam exagitat: An ſucceſſio Principis in Imperium naturalis, an vero per Electionem ſit potior? Sic libro tertio alter Senator ſapientiſſime impugnat munitionum, arcium, & præſidiorum ingentem numerum in Regno. Sic libro qvarto duplex Sententia profertur de illa qvæſtione Politica: An miles ſtipendiarius ſemper ſit habendus alendusqve in Regno, ubi utra-

traqve pars gravissimis propugnatur rationibus Cleobulo & Dunalbio, qvas afferre non vacat.

Juverit legisse Politica Lipsii, item Monita & Exempla Politica ejusdem.

Sectio III.

De Eloqventia Militari Ducis.

INter virtutes Ducis præter Onesandrum etiam alii Eloqventiam reponunt. hinc enim præcipua in exercitum commoda derivantur: siqvidem Imperatoris Oratione erecti milites ardua qvæqve intrepidi excipiunt, nec ita auribus illapsi tubarum clangores animos ad pugnam acuunt & irritant, ut hortatur ad virtutem & gloriam Ducis Oratio, vigorem mentis ad objecta pericula erigit, imo & metu conterritos ac pæne jacentes constanti roborat adhortatione. Hinc perspicax ille cæcus vatum Parens Homerus Eloqventiam in Ducibus tantopere commendat, cum Menelai svavitatem, Nestoris flumen melleum, Ulyssis vim & gravitatem celebrat.

Nota nihilominus Eloqventiam Duci convenire Civilem aut Martiam, non vero illud dicendi genus ex Schola & Rhetorum flosculis illigatum, debet potius esse vehemens, incitatum, gravibus instructum Sententiis & qvod nonnihil ab arte & summorum virorum limato judicio,

cio, usu Reipublicæ, & qvotidiana disertorum consvetudine capiat expolitionis. Et qvoniam ut plurimum Dux hortatur milites ad strenue dimicandum aut bellum ulterius proseqvendum (etsi alia non desint ad qvæ illos urgeat) argumenta desumet Dux.

Vel à rebus feliciter gestis ac toties fuso hoste. Sic Alexander: Magnitudinem, inqvit, rerum qvas gessimus intuentibus nobis, Commilitones minime mirum est, desiderium qvietis & satietatem gloriæ occurrere. Testis est adversus multitudinem invicti Macedonum roboris Granicus amnis & Cilicia Persarum cruore inundata, & Arbela, cujus campi devictorum à nobis ossibus strati sunt. Sero hostium Legiones numerare cœpistis, postqvam solitudinem in Asia fecistis vincendo. Eandem vincendi facilitatem sic innuit: Vix armis opus futurum impetum Macedonum hostis non sustinet, tota acies suo pavore fluctuans umbonibus propelli potest. Spernant aciem hostilem auro argentoq; fulgentem, in qva plus prædæ, qvam periculi sit. Victoria non ornamentorum decore sed virtute qværitur.

Item ab eventu & spe gloriæ prædæqve ingentis dux militem adhortetur. Sic idem Alexander: Non Persis tantum sed omnibus jugum gentibus imponemus. Macedonum, Bactra & Indi erunt. Minima sunt, qvæ nunc tuemini, sed omnia Victoria reserantur: Spolia vobis totus offert oriens.

Item

Item à loci opportunitate vel à necessitate inevitabili bellandi eo qvod fugæ opportunitas præclusa. Sic Darius ad milites ait: Jam non de gloria sed de salute, & qvod Saluti præponitis de libertate pugnandum est. Hic dies Imperium, qvo nullum amplius vidit ætas, aut constituet aut finiet. Eò ventum est, unde pulsis ne fugæ qvidem locus supersit: omnia tam diuturno exhausta bello post tergum sunt, non incolas suos urbes, non cultores habent terræ. Audete modo vincere famamqve infirmissimum contra fortes viros telum contemnit. temeritas est, qvam adhuc pro virtute timuistis, qvæ ubi primum impetum effudit, velut qvædam animalia amisso aculeo, torpet.

Item ab elusione seu extenuatione periculi addet animos militi. Sic Alexander: Multa qvidem ab Indiæ incolis industria jactantur qvæ vos terreant, sed non est improvisa vobis mentientium vanitas. nunqvam ad liqvidum fama perducitur. Olim fugissemus ex Asia si nos fabulæ debellare potuissent.

Exempla hujusmodi Orationum Ducis ad Milites habes in Lucano, habes in Curtio insignes, qvarum plerasqve Causinus congessit in librum XIII. suæ Eloqventiæ.

Hic non omittam militare consilium qvod Titus Manlius Dux Romanus cum suis iniit ante bellum Latinum.

Titus Manlius.

BEllum nobis, Qvirites, gerendum est cum hoste,

hoste, qvi nec bellum, nec pacem pati sciat. Simnites jam compescuimus, adhuc nos Latinorum arrogantia elicit in certamen. Scilicet non satis ad Regillum lacum Latini haustum sangvinis, adhuc etiamnum furentibus missione sangvinis opus est. Sed cluet tandem, qvam sibi turpiter conflavit notam Latinorum fides, novosqve lacus suorum testes stragium suo cruore colorabit. Omen belli ne qværite: in vestra manu est. Qvanqvam ominis ad instar mihi est ipsum Latium nostris semper oppressum armis. Jovem Capitolinum corona semel ornavit aurea, nunqvam Romanos acies sine laurea dimisit. Meminit mons Algidus, ut illos Qvinctius Dictator ab aratro; ne qvid à rustici operis imitatione cessaret, victos more pecudum sub jugum misit, rediitqve ad boves triumphalis agricola. Fœderum illos religio non tangit, sed adest fœderum vindex Jupiter, qvæ Tullus cum Albanis Latinorum patribus, & Lucius Tarqvinius pepigit cum Latinis. Audistis cœli procellam maximo fragore effusam: Adeo Cœli etiam excussit iram fluctuans Latii fides; exitium qværit, non prælium! Bene habet, Dii ipsum movete bellum: est cœleste Numen, es magne Jupiter: Diis ducibus sic stratas legiones dabo, ut Legatum Latii subita Cœli vis solo affixit.

Commilito 1. Mihi spem ille oppugnat metus, qvem non virtus, sed casus parit. Habet qvidem Roma, à qvibus Latium vinci possit; sed vereor, ne lauream nobis infringat aut labefactet

ctet armorum ordinumq; confusio. Hostem enim habemus, qvem à Romano nec virtus, nec arma discernunt. seu ordinem belliqve modum, seu viros spectes, utrinq; Romanos, Latinos, utrinq; jures. non Triarium, non Velitem, non Antepilanum à nostro distinxeris, adeoqve timendum ne Romanæ sternantur acies, ubi putabimus cadere Latinos.

Com. 2. Ille qvidem illo absolvit metu edictum Consulare. qvo enim consilio illud Manlius tulit, nisi ut ea confusio tolleretur? Suo ille injussu ac præter consulare imperium pugnam inhibuit. ne error facile cladem induceret. hostilia erunt, in qvæ Romanas Aqvilas involare Consul jusserit.

Com. 3 Ergo in solum Consulem is non cadit error, qvasi acrius Ducis unius oculi distingvant hostem à Romano?

Com. 4. Errori tardius patet qvi totidem oculos, qvot exploratores habet. Standum ergo edictis Consulum, si stare Patriam, hostem cadere velimus. Sic stetit hactenus, stabitq; imperium.

Manlius. Pares Latinorum animos novi, arma paria; Sed adhuc habet Romana virtus, qvo se à Latio discernat &c.

Sed tandem Civilis Svadæ finis esto, nec alius, qvam qvi rerum omnium est
FINIS Ultimus.

SYL-

Syllabus
Prolusionum & partium Libelli.

Prolusio Prima De literis.
Prolusio 2. De eruditione & acumine usitato Svadæ Civilis.
Prolusio 3. De modis scribendæ orationis Svadæ Civili idoneis.
Prolusio 4. Tradit eruditionem Svadæ Civili subservientem.
Hic erudite Stemmata decurruntur.
Item bona triplicia Animi, Corporis & fortunæ.

Pars Prima Svadæ Civilis.

Cap. 1. De officiosis Gratulationibus Festorum in Orbe Christiano celebriorum, ubi
De Gratulationibus Natalis Christi & Epiphaniæ.
De Gratulationibus Novi Anni.
De Gratulationibus Paschatis.
De Gratulationibus Nominis seu Natalis alicujus Herois.
De Gratulatione Dignitatis.
Caput 2. De Officiosis Salutationibus.
Caput 3. De Oratione Valedictoria.
Caput 4. De Oratione Gratiarum actoria.
Caput 5. De Oratione Dedicatoria.

Ca-

Caput 6. De Oratione Funebri.
Caput 7. De Oratione Genethliaca.
Caput 8. De Oratione Nuptiali.

Pars 2. Svadæ Civilis.

Sectio 1. De Legationibus.
Sectio 2. De Svada Civili in Senatu.
Sectio 3. De eloqventia Ducis militari.

A.M.D.G.B.V.I.C.H.

PHOE-

PHŒNIX RHETORUM,

Seu

RARIORIS

ATTICISMI,

Nec vulgaris Eloqventiæ Fundamenta & Species:

Auctore Joanne Kwiatkiewicz,

Societatis JESU,

In Usum Oratorum

PROPOSITÆ.

Et ille Latinus Atticismus ex intervallo reguſtandus. Cic. de claris Oratorib.

Rara juvant primis ſic major gratia, *Mart. l. 4. epig. 22.*

Universitäts-Bibliothek
Gießen

LECTORI

Benevolo, imo & Malevolo Auctor.

ATticis multum omnis ætas detulit, ubi eloqventia fasces tenuit in Pericle, culmen in Demosthene. Usqve adeò non mella tantum ex Attica, verum & melleus in dicendo profluxit lepos. Ab hoc fonte novos mihi derivare placuit aqvæductus, & dare Atticismum extra Græciam & Athenas; ne solæ Gellii Noctes Atticæ lucem ac diem viderent, vel sola gustulum ingeniis moverent Attica Bellaria. Pontani Svadam qvidem

dem Atticam Puteanus dedit Belgio; imò & Latio toti; sed eam nullis legibus instruxit, qvibus tamen se illa patitur circumscribi in hoc etiam libertatis regno. Has dum ego non inter Græculos graculosve aut Athenarum noctuas, sed inter Poloniæ vel ingeniorum aqvilas, è vulgo inire gratiam nauseantis sæculi laboro, qvam veterum subinde capit fastidium tædiumqve, nec sapit, qvod non Atticum penu condiit aut inspersit. Neqve per hæc veterum fontes obstruo, sed recentis etiam facundiæ sitim famemqve (ne vetus jam & toties resorpta crambe fastidio qvosdam prope enecet) injicio. Videat sese in novo etiam cultu Regina mentium Eloqventia, nec unam sibi tan-

tantùm, eamq; veterem ac longo detritam usu synthesim inducat, qvin artifice contextum ingenio Paludamentum illam efferat supra vulgus. nam vulgarem cultum refugit trabeata Majestas seu in Principe, seu in sermone. Nec titulus libello inditus offendat: Phœnicem dicimus, qvòd rarius sit eloqventiæ Atticæ specimen, ut illa etiam Arabum ales: Non qvod ut - -

Phœnix unica semper avis)

talis Oratio non fit plurium, sed qvòd paucorum. Ergò hæc in lucem publicam protrusa boni consule; &, si fæcunditatem ingeniorum non penitùs odisti, cõtra maligna, si qvæ sunt, qvorundam ingenia tuere. Neq; invidiæ plenum Atticismi encomium

mium affecto, qvod illi Qvintilianus inſcripſit, qvo teſte, Attice dicere, eſt optime dicere: ſat præmii labori improbo retuliſti, ſi hanc etiam (qvæ comunis Rhetoricæ notio eſt) artem bene etſi non optime dicendi definieris. Qvod ſi neqve hoc à te impetraverit; ſaltem, titulo Phœnicis reſpondeat, eam in ignem & cinerem (qvæ poſtrema Phœnicis fata ſunt) deſtinabis.

FA-

FACULTAS

Reverendi Patris Provincialis Societatis JESU per Poloniam.

CUm Opusculum, cui titulus, Phœnix Rhetorum, *seu rarioris Atticismi fundamenta à* P. JOANNE KWIATKIEWICZ Societatis JESU editum, *aliqvot ejusdem Societatis Patres ad id deputati recognoverint, & in lucem edi posse probaverint; potestate mihi facta ad* Adm. R.P.N. JOANNE PAULO OLIVA, *Prædictæ Societatis JESU Præposito Generali, Facultatem concedo, ut typis mandetur, si iis, ad qvos pertinet, ita videbitur. In cujus fidem hasce dedi manu mea subscriptas & Sigillo Officii signatas Cracoviæ ad S. Barbaram 27. Jun. Anno Domini 1671.*

ALEXANDER LORENCOWIC.

242

APPROBATIO.

CUm hoc ſcriptum Rhetoricum Eloqventiæ ſtudioſis, iis præſertim, qvi Attico ſermone & cultiore delectantur ſtylo, non mediocri futurum ſit commodo & ſubſidio, do facultatem, ut publici juris fiat, & imprimatur. 20. Martii, Anno Domini, 1672.

HYACINTHUS LIBERIUS, S.Th.D. Præpoſitus SS. Corporis Chriſti, Cenſor librorum.

PARS

273

PARS I.

Fundamenta Eloqventiæ non vulgaris.

Unaqvæq; moles ſuis inſiſtit tutius, ſolidiùs inhæret fundamentis; niſi velit, (ut canit Lyricus)

... redordiri probroſum
Icariæ ſonitum ruinæ.

EAdem non aliter in faſtigiũ, niſi ab imis aſſurgit: nam vergit in præceps, qvidqvid aliter ſub Cœlum ivit. Nec Eloqventiam vulgari contrapoſitam, qvæ fulciant, ac in ſublime erigant, deſtituunt fundamenta; à reliqvis molium ſubſtructionibus eò vel maxime diſcernenda, qvod qvisqvis hæc rite poſuit, jam Admirabilis Orator evaſit, qvi

Et digito poſſit monſtrari, & dicier, Hic eſt.

Fundamenta hæc breviter propono, mox operosius collocanda.

Sunt autem hæc:

1. *Sensus Admirabiles.*
2. *Eruditionis usus non vulgaris.*
3. *Mirum Acumen.*
4. *Descriptiones Admirabiles.*
5. *Affectus non vulgares.*
6. *Mira per allegoriam, & insigniores Figuras styli exornatio.*
7. *Circumstantiarum, rerumq; mira combinatio.*
8. *Amplificationis usus singularis.*
9. *Argumenti tractandi varia, nec obvia ratio.*
10. *Numerus Oratorius, & Admirabile decorum.*

Ca-

Caput I.

Primum non vulgaris Eloqventiæ Fundamentum.

SENSUS ADMIRABILES.

INtelligo sensus non obvios, sed velut illustris ingenii partũ prænobilem, sublimem, minime expectatum, & argumentum alioqvin humile, sua granditate attollentẽ. Qvia tamen non à cujusqve Jovis cerebro facile talis speranda Pallas; hic ingenium, siqvod in te est, ad illustrem hunc fœtum informabitur.

Sensus ergo Admirabiles deducuntur vel à Paradoxis ac insignioribus Hyperbolis, vel à svavi rerum, ac verborum pugna, vel à grandibus gravibusq; dictis, & vibrantibus sententiis: vel à miro acumine, vel eruditione, mire ad sensum accommodata, vel à Causis ingeniose ac præter opinionem adhibitis: vel à sensibus reconditis, ac profundis, qvæ omnia exemplis illustro.

§. I.

Sensus non vulgares à Causis ingeniose adhibitis.

INgeniosa ætas non segniter hic desudat ac eminet, dum rerum ac eventuum Causas, qvas non facile speres, adstruit, ingenii melioris fœtum omnino admirabilem. Triplices hic causas

intelligo. Imprimis per se, ac primo aspectu ingeniosas: Hæ autem causæ desumuntur, tum ex Eruditione ingeniose accommodata; tum ex grata, & insperata oppositione; tum ex inventa connexione arguta effectus illius ad Causam: tum ex fontibus acuminum cap. 3. aperiendis.

2. Notas qvidem & obvias, sed non sine qvæsito colore propositas.

3. Sententiam gravem, ac vibrantem, dicto, vel facto alicui per modum Causæ adnexam.

Primi & Secundi Modi exempla hæc accipe.

EX hoc fonte habet suam admirabilitatem illud Plinii de Nerva Imp. *Eo Carior omnibus ac desiderandus, qvod prospexerit, ne desiderarentur.*

Et de Nazianzeno, Athenas profecto Studiorum causa illud: *Athenas profectus, ut Minervam ruperet. (qvæ scilicet ibi unice colebatur.)*

Et de D. Gregorio Thaumaturgo: *Sub frigido Cælo natus, ut illud ipsum incenderet.*

Et è contra de Nerone: *Patriam incendit ut extingveret.*

Et de Phaëtonte; *Phaeton fabulas illustravit, qvia mundum accendit.*

Et illud de Vespasiano: *Hierosolymæ ut clauderet fores, Jani fores aperuit; ut pacem pareret, Bellonæ nupsit; suum scripsit nomen, cum illam urbem delevit.*

Illud vero Causæ de D. Fulgentio ex Africa pulso

pulso, qvis non miretur & approbet? *In Sardiniam relegatus, qvod gemini solis ardores Africa pati non posset.*

Et illud de Viro doctissimo inter Cardinales adjecto: *Inter Purpuratos Romæ Patres adscitus est, ne suus deesset Mercurio galerus.* (*hoc utiqve capitis insigne Mercurio tribuunt Poetæ.*)

Possunt & plures simul Causæ hujusmodi conglobari Sic de S. Thoma Aqvinate: *Jacentem humi, nuntiam salutis Schedam, bonam ut aleret indolem, deglutivit; ut mirandum non sit, si Sapientia, qvam ætas citius adoleverit: hanc enim guttatim cum lacte suxit, unico illam haustu exsorbuit, bolo unico absumpsit.*

De D. Cypriano: *Ut Africæ geminaret ardores, natus in Africa, suum etiam Carthagini Tullium dedit; ut qvando desierat armis cum Roma contendere, eam conaretur facundia superare: Idem ut virtutes meteret, vitia demetens; ut veritatem firmaret, errores penitus enervans: insontem Athanasium damnare abnuens, ne se qvoqve damnaret, peccata nesciens, nisi ut corrigeret; ærumnas omnium scire ambiit, ut leniret.* En sensus insignes à Causis non vulgariter propositis! sic item conglobantur Causæ in hoc exemplo de Joanne Casimiro: *Signatas Uladislai laboribus metas obiens æmulo gloria passu grandibus instabat vestigiis, nihilqve deterrere poterat animum semper infractum ac sibi similem, ne Constantia natum te orbis ambigeret. Hinc regnum Tibi Patria detulit, ne tantæ virtutes Principis*

non incederent Coronatæ, nulli qvippe melius incumbit capiti Corona qvam qvod ante sua merita coronaverunt: Meretur sceptra bene ferro assvota manus: & Capiti, sæpe galea presso, mitius incumbit pondus terrarum.

Huc spectat illud brevius, sed vibranter dictum: Ne solus Apollo suis se commendaret Oraculis, à Te qvoqve responsa petuntur, qvem, qvoties peroras, beata circumfluit Oratio.

Et illud: Duces illos mitra & galea male usos, ne semel perirent, sæpius fugavit.

Dixi tertio ad causam ingeniosam referri vibrantem sententiam, qvod patet tum ex proxime dictis, tum insuper ex illis de Antiocho Rege; *At ne perturbate peccet Antiochus, ordinem tenet in scelere. A grandiori filio crudelitatem auspicatur. Aversanti scelus Martyri lingvam præcidi jubet: nam prima Tyranni cautio est in lingvas. Post lingvam Martyr utramq; manum postulatus citius porrigit, qvam jubetur; & hoc Tyrannicum est manus formidare post lingvas.*

Paria ex eodem fonte sunt illa de alio Duce: Una Regalibus exuviis loricata bellum sessorem testabatur Regem; hunc Dux noster, virtuti tuæ scopum destinat: Sic eunt humana, in conspicua collimatur. Sed loricam hostis objecerat telis pectore vacuam: Hi mores Tyrannorum: arma gestant, non animum: timent, dum timentur. Par illud de Tito: Liberalitatem acri delectu exercuit, ut daret, non projiceret beneficia;

ficia; turpissimum genus damni existimans inconsultam donationem.

Sic de S. Francisco Xaverio Viaticum ex Europa recusante: *Recusato viatico longissimam se dat invii maris in viam: in maritimis enim periculis lenissima supernatat uno satis onusta DEO mendicitas.*

§. II.

Sensus à Paradoxis & insigniori-bus Hyperbolis deducti.

PRimo ingeniosus Paradoxum efficit sensum admirabilem. Id vero sumitur potissimum ex oppositorum nova conjunctione, aut unius oppositi in alterum qvadam transmutatione: item cum credibile effertur per modum incredibilis. Patet id in seqventibus Exemplis. Hinc ille sensus de eximio Oratore deducitur: Disertissimus etiam dum taceret; nunqvam avidius audiri optabatur, qvam cum auditus diutius fuisset.

Illud vero de Claudio nonne vibrans Paradoxum? *Ante Imperium sine fama fuit, qvia latuit: in Imperio infamis, qvia non latuit; clarior futurus: si fuisset obscurior.*

Et illud mirabere Paradoxum de Sanctis! *Æternitatis felicissima lumina, è piarum fertili pluvia lachrymarum sublimius enatastis, formosius enituistis: facile nimirum lacryma ignescit in sidus, qvia liqvor Amoris est, ex qvo etiam oritur non occasura diuturnitas:*

nec

nec enim occasum habet ea felicitas, cui vel ærumnosa lacrymæ cadentis unda latissimus Oriens.

Et de Nolano Antistite Paulino: *Omnium infelicissimus sibi visus, si ullo felicior extitisset, nũqvam liberalior, qvam dum non haberet ultra, qvod daret. Nunqvam ille illustrior, qvam inter tenebras carceris, qvo arctius tenebatur, eò liberius in cælum evolans, tam primum sibi victor visus, cum deesset qvod vinceret.*

Nec illud Paradoxum sua caret admirabilitate: Non sola parturit pugna laureas: subinde pulchrius fuga triumphat, adeoqꝫ melius pedes, qvam manus tuentur: tam qvadrigis qvam pedibus itur in Capitolium ad triumphos; vitiorum sibi fugam nemo infamem duxerit: fugis hæc? vicisti, nec pulchrior victorem, qvam Te profugum cingit laurea. At nec fortibus in bello fuga intra probrum. Parthos vides, nunqvam hos metuas, nisi palabundos conspexeris: Laureas illis fuga nectit, fuga trophæis condecorat: non tam fugere, qvam fugæ specie victorias inseqvi videntur. Adhuc reformidat Mantuanus Maurum, victoremqve fuga Parthum, versisqve sagittis.

Secundo Insigniores Hyperbolæ faciunt sensum admirabilem.

NOn illæ Poëticæ: *Fulminis ocyor alis.* Vel: *Ocyor & ventis, ventosqꝫ æqvante sagitta.* Sed Panegyricæ, & qvæ Paradoxum contineant, alio tamen modo, non ut proxime dictum: nem-

nempe dum incredibile ponitur per modum credibilis impetu effuso laudis vel extenuationis.

Talis est Hyperbole illa de illustri Heroe: Non minus à Te Patria derivat luminis, qvam ab astrorum Principe minora sidera serenentur.

Hyperbolicum & illud est, at longe pulchrius de Uladislao IV. *Hæc bellorum extrema essent aliis, sed Tibi rudimenta; secula tot alios defecissent, qvot Tibi erant satis ad victoriam dies. Tam aliis erat incredibile tantam belli sustinere molem, qvam Tibi facile tantam delere ruina. Qvidqvid humanas excessit vires, Tuas nondum assequitur. Nondum bello humana vis effecit, qvod virtutis Tuæ existimatio sine bello. At nec tam celer est stylus noster, qvam Tuus gladius, qvo paucis annis tot seculorum Historiam dedisti; nec libelli angustiæ concludere possunt eam gloriam, qvæ vix Cœlo capi posse videantur.*

Grata & illa Hyperbole de Sanctis: Suos Cœlum reparat è nostra mortalitate Luciferos, ex qva illis tot proveniunt sidera ipso qvo capiuntur Majora Cœlo, uno minora DEO.

Item illa: Nubilum tonantemqve Patrem illæsa serenitate excipiens, credi potuit altitudine mentis Olympum excedere.

Et illa de liberalitate cujusdam: Totam Tibi gloriam exhausisti, ita munificentiæ genio assvetus, ut nec horam perdideris, ubi Titus diem. Oceanus est, qvem affundis, non modicus latex gratiarum: Pluribus qvam Ægypti flumen ostiis,

ſtiis, aut qvam Thebarum portis exeunt, à Te congiaria: & adhuc exhauriri neqvit Tuæ beneficentiæ Nilus.

Illæ autem Hyperbolæ de præcoci cujusdam adoleſcentis virtute, an ſenſum non pariunt admirabilem? Ejus prætextu multorum togas vicit: ſemper ille pollicitus majora, cum daret maxima, in ipſa ætatis aurora qvendam exhibuit meridiem, & ubi vernant alii, autumnavit; adeoq; neſcias, an virtutem ex inſtitutione traxerit, an ex utero, qvam cum lacte inbibens, cum ætate corroborans fecerat incertum, an in eo virtus differret à natura: Deniq; puerile nil unqvam præter ætatem præ ſe tulit.

§. III.

Senſus non vulgares ſvavi rerum & verborum pugna ſeu oppoſitione deducti.

VIx qvidqvam admirabilius eſt, qvam Concors ſententiarum diſcordia, ſeu oppoſitorum ac inter ſe pugnantium, vel qvaſi oppoſitorum jucunde connexa coacervatio vel conciliatio. Tale eſt illud: *Aula gravis fuerat, qvod levis eſſe neſciret, vir in omnibus aureus, niſi qvod avaris haud placeret.* Ab oppoſitis & illa ducuntur dicunturq; de Auguſtino: vera gaudia auſpicatus à gemitu, tenebras ſuas dum in lucem edidit, illuſtravit: nunqvam videlicet puduit ſolem à tenebris erupiſſe. Felix ille, dum errores deleret alienos; ſincerus, dum nec tegeret ſuos.

Non

Non minus & illa de insigni Duce admiranda: Nemo tantum districto valuit ense, qvantum Tu in vagina recondito; posuisti militiæ rudimenta victorias. Veteranum si de peritia æstimem, nunqvam Tu tiro; anteqvam bella disceres, docebas. Cum nullas adhuc haberes à fama suppetias, sola virtute pugnasti: Mensem omnem Martium efficiens, Januarium ipsum servire bello coegisti. At vero monte non deterius qvam campo usus, docuisti virtutem Ducem, non locorum Fortunam bella decernere. Nullibi tamen majores sensisti angustias, qvam ubi veniam locus non caperet: semel proinde severus, ne semper esse cogereris, paucorum exitio cæteros monuisti, ut Te hospitem mallent, qvam hostem.

Et illud de Elia: Nil tristius videre mortales qvam serenum triennio Cœlum; hilarasti terram cum triste fecisti cœlum: siccasti lacrymas, cum fudisti aqvas &c.

Ad eundem fontem spectant illa de Ambrosio: *Re qvam nomine dulcior, mel ante habuit in ore qvam voces: idem avorum gloria illustris, illustrior sua, Christianus esse cœpit, priusqvam fieret. Ita miseros adiit, ut felices dimitteret; ita feliciores admonens, ut redderet infelices: in hoc timendus, qvod neminem formidaret; sæpe depressus, ut causam erigeret oppressam: probis factus asylum, flagellum improbis; ara supplici, reo scopulus. Deniq; eò meliorem reliqvit Urbem, qvo deteriorem acceperat; laborum nunqvam avidior, qvam cum diutius laborasset.*

Par

Par illud de Aloysio Tolossano: Non ideo innocentiam minuit, qvod augeret ætatem; aliorum nunqvam oblitus, sui sæpe immemor; ut vitam produceret alienam, contraxit suam; addens meritis, qvod annis ademisset.

Spectat huc & illud in Tiberium: *Avorum gesta suo testatus calamo, sua gesta nepotum calamo reliqvit detestanda. Triumphavit semel, pugnavit nunqvam: omnia in Imperio habuit præter Imperium: octies sine consilio Consul: Gladium fugiens, sceptrum invenit. Scelera si nescivit, in regno didicit licentia Magistra.*

Et illud de occumbente gloriose: Erigitur in sublime gloriæ, qvi sic cadit: ruina hic altius assurgit: vivere incipit, qvi sic moritur: oritur, qvi sic occidit, ipsa deniqve morte redditur immortalis.

Etiam Divus Augustinus hoc modo utitur, dum ait: Ideo volunt esse miseri, ne miseri sint. Fur ne miser sit, malus est, & ideo miserior qvia malus.

§. III.

Sensus à gravibus dictis gravibusqve Sententiis deducti.

ÆQve hic ac in superioribus dicendi modis recentium ingenia elaborant. Graves sensus distingvo à gravibus Sententiis seu gnomis; nam illi possunt esse sine gnoma vel sententia, modo sua supra vulgares emineant granditate, qvam illis erumpens ingenii ac prudentiæ doctri-

ctrinæqve perſpicacia conciliat; Sententiæ vero graves poſtulant rotundam & ſvavem rei ſenſusqve comprehenſionem univerſalius propoſitam.

Gravis illa & gravibus referta ſenſibus

Oratio ad Attilam pro Roma:

Flagellum DEI te inſolenti vocabulo, Princeps, vocari præcipis; proinde ut flagellum Te ſalutat Roma, & timet. unus Tu es, qvo nimiam urbis felicitatem ſuperi caſtigare volunt. Sed qvid? Romam ergo peſſumdabis? at qvod in ea crimen tanta eluat clades, haud reperis. Sit vero noxia; at ſupplex eſt. Vide qvæ Tibi urbs ſupplicet, & noxiam donaſti. Deſint cætera, ſummum parcendi illicium eſt, Roma ſupplex. Adhæc inſolens id Elogium eſt, Romæ pepercisſe. Annibalis olim arma exhorruit: ſed habuit adhuc, qvi Pœnorum faſtum frangeret, Fabium Cunctatorem; nunc togata non ab armis ſed ab aſtris, & Tua Clementia petit opem. Eqvidem ſi urbi arma infers, mœnia in planum ſubmittis, periit cum Urbis nomine Tuum nomen, ejus inſepeliendum cineribus. Invidiam poſteritatis non effugis, ſi tantæ Urbis amas ruinam, tot odiorum futurus victima, qvot audient legentq; tuum facinus. Adeo Tua ſimul peſſumit gloria, ſi Roma per Te concidit, & dum illam vulneras, Te obtruncas. At nec Tuis ita viribus virisqve præſide, ut fortunæ præceps non pertimeſcas. Habet adhuc, qvod paveat, qvem multi expaveſcunt. Communis Mars eſt, & eidem laurum inſerit, cui Parentales taxos plantaverat: *Sæpe me-*

medios secuit triumphos contemptus hostis. Ergo parce, ô Flagellum Cœlitus intentatum, parce in sonti, parce supplici Romæ, gratiam diu retinebit, si qvam ei victor præstiteris; nec Tyberis facti memoriam abolebit. Qvod si aliud animo insedit, age Princeps, Urbem irrue, Sacra omnia profanaq; pollue, aderit innocentiæ, aderit scelerum vindex Deus.

Gravissima & pulcherrima illa est Oratio Eleazari Cibos vetitos mandere detrectantis, contra amicorum Consilium. In hac autem qvam graves sensus apud Thesaurum.

Qvod svadent amici, etiam hostis svadet, bona fide ad cænam vocatis, qvam Tyrannus parat! at egone hoc ore leges violem, qvo legem doceo? At moriar? necessarium utriqve malum minatur annosus tortor. dandum hoc vitæ pensum, qvod qvi perendinat, morti sœneratur diu moriens. Non æstimat annorum meorum pondus, qvi morte me leviorem putat, ergo pulcherrimam vitæ fabulam in extremo actu corrumpam? Sine fruge hanc frontem aravit tempus, nisi laureolam meto. In hoc nascimur ut honeste cadamus. tum dignum est mori, cum indignus es mori. Cur ferre verbera hac ætate non possim, qva Tyrannus potest infligere? tam contra senectæ mores crudelitas est, qvam fortitudo; pudor sit, si naturæ imbecillitas vitio suppletur, non virtute. Pridem in huc initiatus sum Sacerdos; mei muneris est sangvinem fundere, nec semper ferinum. Qvousqve minoribus vi-

cti-

ctimis operor ignavus Myſtes ? tot hoſtias feci, ut ſemel hoſtia fieri diſcerem. Ergo mortem appara, Tyranne bene mihi cautum eſt, non poſſum totus mori. Virgas expedi, ſolum pulverem excutient, & hunc reparabilem.

Vide qvantum grandes ſenſus & illam attollant Sententiam: *Animi puſilli eſt vindictam velle ſumere*, qvæ ſic Synonyme effertur. Injuriam Tibi qvis intulit? feras, neq; plus pervicacia, qvam virtus poſſit. Experimentum in Te capiat aliena neqvitia, num illa plus ferire valeat, qvam tu ferre. Fortem te cave dixeris, qvi læſus à vindicta qværis ſuppetias, nec ſatis Tibi animum virtus obarmat. Langvet nimium virtus, cui ſub qvovis ictu ſuccumbit animus. Athlas non es, ſi ſub cœlo hoc qvantumvis gravi leviter ingemiſcis. non ſatis compacta navis, ſi eam in hos illiſam ſcopulos fluctus hauriant, & virtutis naufragium inducant. Certe convitiis non regerere convitia, probra non diluere probris, id demum Herois eſt; nec prodigio vacat, ſi nubes hæ fulmina non pariant aut emittant.

Vide & Elogium ſenectutis: Senectutem cave oderis, cui ætas diuturnior injicit amorem. Ad ſenium aſpirat qvisqvis mortalium mortem odit, at vero vivit hoc in te odium, qvamdiu vivis. Adhæc ſenium prudentiæ ſedes eſt, & maturus conſilii fructus ex Inverſa hac dependet Arbore. Stat illa, & totam Prudentiæ fructibus, uberius qvam Alcinous alit Patriam.

Sic

Sic de Stilicone Claudianus: *Nil breve moliri fastiq; loqvi tam digna futuris à te deponitur ocyus ira, qvam moveat.* Et illud: *Sensumq; malis detraxerat usus.* Qvod Lucanus? is vel maxime hic regnat.

ADDO.

SEnsus prædictos usurpari non invenuste etiam in narratione Oratoria, permiscendo illi graves Sententias. Sic de Miecislao dicit Author Lechiadis: Mitem alias Miecislaum Purpura efferavit; pejorem enim facit qvem malum dignitas reperit; & plerisq; Imperium pro crimine, Fortuna pro scelere fuit.

Item de Premislao II. Æternitatem promeritus temporum, non integram mensium hebdomadem implevit: raro nempe bona eximia & diuturna contingunt. Primus illi labor fuit invidiam magnæ Fortunæ parem eludere; ubiqve enim magnæ felicitatis comes est invidia, nec ulla tam modesta extitit fortuna, qvæ malignitatis dentes vitaverit. Principum diffidiis turbata non nihil conqvievit Respublica, omnino respiratura nisi illi expirasset. Heu ut nulli sereno non inimicus turbo! Perstrinxerat tanta Serenitas Brandeburgensium animos: causam odii qværis? Fortuna fuit, qvæ in plerisq; pro culpa est. Plurima hujusmodi apud eundem aliosqve videbis.

Huc pertinet & illud de illustri Heroina in funere illius dictum: Nec tamen ita Majorum illu-

illuxit fulgoribus, ut non amplius luceret è suo exiguam rata lucem qvam darent famosæ imagines, vel atræ post funera faces incenderent, nisi eam aurea probitas intendat extendatqve, æqve Lunam Stellarum ac Heroinam virtutem illa decere censuit comitatum.

§. V.

Sensus à miro acumine & argutiis hinc inde insperſis deducti.

DE Acumine & argutiis infra fuse agetur, ac de earum fontibus, illos adi, & ex illis sensuum admirabilem copiam ubertim hauries. Hic tantum, quam admirabilem acutæ argutiæ reddant stylum, paucis exhibeo.

Quam enim illud pulchrum & acutum Valerii Maximi: Ex ejus vulneribus non plus sangvinis quam gloriæ promanavit? *Cui simile Masculus de Josepho Patriarcha*: Ex sicca cisterna Tibi manavit fons Gloriæ. *Acutum & illud de S. Joanne*: Non gelu formidabas, in cujus pectore melior arsit flamma: durius Tibi cervical saxa præbuerant; sed lacrymis, qvas noctu fuderas, molliora effecisti. *Et illud de Josue*: Sol non occubuit, anteqvam hostis: qvo longior illuxit dies, eo pluribus vitam cum luce ademisti. *Et illud de Enoch apud Masculum*: Recepit iterum hominem Paradisus; vel ideo tutus, qvod abesset jam mulier.

Indicant & illa, de aranea Divo Felici ab hostibus conservando prodigiosa obtensa: Felicem

te nomen loquitur, sed felicitatem nominis auxit aranea, sub cujus tela, hostium tela effugeris. Nimirum felicem, etiam celat aranea, etiam tum felicem, cum videri potuisset infelix. Hoc illud velum est, qvod Imagini suæ non sine prodigio Deus Apelles obtenderat &c.

Idem indicant illa de Antistite mirensi stipem auream in dotem egenorum erogante: Hodie tandem dies aureus. imo aureum effulsit seculum, Nicolaus melior Midas in aurum omnia, etiam dies immutat. Nempe mens aurea, in aureum facile degenerat Pactolum in commune fluctus aureos despumantem, qvi non arenam sed glebas devolvit aureas, & in miseros absqve sui diminutione profluit. Ad aurum hoc in subsidium virtutis manat, cum datur Pulcherrimis, qvæ impares numero, pari cumulantur beneficio, ne tanto muneri suæ desint Gratiæ. Desineret jam esse Fabula, qvæ de Phryxi velle circumfertur si sæpius Pastores, sic aureo gregem vellere confoverent.

Huc spectat cum aliquid latens eruere debet potestqve Auditor ex tuo dicto, ut ex illo Plinii: Persvadendum Provinciis erat, illud iter Domitiani fuisse, non Principis.

Acutum & illud in Plinio: Non eligo quæ referam; Propositum enim est mihi Principem laudare, non Principis facta; nam enim mali laudabiliter multa faciunt, ipsi laudari nisi optimus non potest.

§. VI.

§. VI.

Sensus, per sensus reconditos.

SIres efferatur per sensus reconditos & profundos, ac docti specimen referentes, admirabilem arguet Oratorem. Sensus vero hujusmodi sumuntur à nova rerum combinatione, vel contraria experientia ac effato, sensuiqve communi; vel hæc superante: vel ex aliqva rerum Analogia ac Sympathia combinationi ingeniosæ deserviente. Ad hunc fontem pertinet illud de Moyse: Sanctum Ductorem ut seductorem Populus criminatur: adeo nec probi immunes à probris. Profuit Moysi Pastoritia: Didicit cum brutis vivere.

Item illud de Occisis in bello: Hic ab invicto Duce deletos vides: unde vixerint nescias, nisi à tumulis, qvi hæc nomina viresqve oppressere. Et de Ezechia Rege: Primo Imperii anno templum aperuit, qvod nihil sanctum pœnè viderat nisi Regem.

Et de superbi tumulo: Avito illi sepulchro interdicitur, agro qvem coluit tumulatus adeo superborum viciniam horrent vel mortui.

Et de Sanctis Innocentibus: Vix è materni sinus portu solverant, suo in cruore naufragium faciunt: nimirum hic etiam mare rubrum suo more naufragium est.

Et de victore ac venatore: Orbatas sideribus noctes pluribus victoriis illustravit: venationibus non tam feras qvam otia persecutus, Et il-

lud: Fatis demum succubuit, nulla magis quam meritorum suorum mole laborans: nunquam mortalis creditus, nisi cum reipsa mori visus.

COROLLARIUM.

Modus, leves & obvios sensus efficiendi graves.

Modus hic multiplex est; ego octo proferã.

Primus

MOdus est per aliqvem ex sex modis eruendorum sensuum admirabilium: nempe vel per sensum Paradoxum, vel per aliquem pugnantium nexum &c. Exemplis aliis id declaro.

Primo per sensum Paradoxum v.g si velis miram & diuturnam à cibis abstinentiam alicujus admirabili sensu efferre, diceres instar Paradoxi: Famis per inediam opsonata. vel Famem ille in opsoniis, inter lautitias inediam collocavit, nihil ex divite delicatoq; epulo præter sui victoriam solitus delibare. &c.

Similiter, si illud de Divo Alexio admirabilius efferre velis qvod gloriose latuerit, in Paternæ Domus vestibulo; diceres per Paradoxum & Antithesim Illustrem umbram, & qvod magis claruerit, eo qvod latuerit: Etiam Te Domi qvæsitæ illustrant adhuc tenebræ. Alexi, nec alia Tibi præ illis ad lucem potior via, quando etiam per noctem ad diem itur; obscurior fuisses nisi lucem sic odisses; qværit quippe tenebras, odit publicum solida virtus, nec minus oculos qvam

sol

ansol refugit. Sic & gemmarum nitorem in conchis abdidit natura, & fulgorem auri intra montium venas abstrusit!

Similiter si velis admirabilius proponere: Qvod ex adversis magna sæpe oriantur commoda, diceres: Prodest plerumq; qvod nocet: Non ola felices reddit felicitas, sed acerbis etiam svaia, utilibus noxia permiscentur. Non sic nobis noliuntur exitium, non sic ruinam omnia, ut his elut gradibus non celsius assurgatur Latent lerumq; in adversis solatia, & nubes hæ solem gunt: nucleus latet in putamine, in vili concha guntur margaritæ, & marini fluctus naves hauant, sed fundunt uniones: turbo instructam ad lmina nubium perturbat aciem.

Sic de S Helena tollente Venetis simulacrum: ovum tunc occinit fama; Helenam Veneri adrsam!

Secundo, per pulchram oppositorum congeri- n sensus Admirabilis efficitur ex obvio & simci. v. g. sensus hic est simplex & obvius: Laupile quandoqve est esse severum: diceres aum admirabilius: Non semper corrumpit lenitis gloriam puniendi severitas. Item ille simex sensus: Nemo est sine aliqvo crimine: qvem mirabilius efferes cum Plinio: Adhuc nemo titit, cujus virtutes nullo vitiorum confinio derentur.

Huc illud Claudiani: *Qvæ sparguntur in omnes,*
In se mista fluunt; & qvæ divisa beatos.

Efficiunt, collecta tenes,

Et illud ejusdem: *Hic publica felix,*

Sed privata minus, &c. quem vultus honestat.

Dedecorant mores; animus quem pulchrior ornat.

Corpus destituit: bellis insignior ille.

Sed pacem fœdat vitiis, &c. partitim singula quemq; nobilitant.

Item illud simplex dictum, Tolerabilior est mors miseris quam felicibus; admirabilius proponeres: Quoddam felicitatis genus est, esse infelicem.

III. Per causam commode adjectam sensus obvius attollitur, & admirabilior evadit. Sic simplex ille sensus attollitur: In tua aula omnes probi & timorati: Castigatos aulæ Tuæ mores qui inspexerit, Numæ dixerit Regiam, in qua probitas fixit domicilium; ne sub virtute Domina dispar famulitium pro foribus moraretur. Proscriptam ab aliis pietatem ad Tuas ædes invitasti; solitudinem existimans, ubi pulsis virtutibus scelera oberrarent.

Item: Nec literatos a Tuæ munificentiæ Nilo exclusisti: ne unum sub Augusto Mecœnatem orbis haberet.

Secundus Modus.

Simplicem sensum mutandi in admirabilem per excultam Oratoriè Comparationem.

SIc simplex sensus est: Crescunt scelera nisi ple-

plectantur: sed admirabilius per comparationem effertur: Idem vitibus ingenium est & vitiis exuberant, ni falcem sentiant.

Item ille simplex sensus: Hic homo claris est natalibus, per comparationem splendidius effertur: Cohibe oculos inassveta luci tantæ posteritas: Sapiehani ortus splendorem non qvævis palpebra impune adspexerit: Meredianum hic crede solem, in qvem oculos nemo conjecerit, qvin vindex lumen in palpebra persentiscat, qvasi nec modicam tantæ lucis usuram cælum ferat absq; tributo lacrymarum. Sic & illud Aaronis dictum: Levius auctorem torsit Phalaridis taurus, qvam meus me vitulus: semel ille gemuit, ego semper. Potest ergo esse & comparatio Erudita de qva mox.

Tertius Modus.

Simplicem sensum mutandi in admirabilem.

PEr sensus Synonymos, seu per pulchram similium sensuum congeriem.

Sic §. 4. Supra per sensus Synonymos exornatur illa sententia facilis: Animi pusilli est velle vindictam sumere. Sic & hic in primo Modo exornatur illud Paradoxum: Prodest qvod nocet.

Sic etiam per sensus Synonymos effertur illa Salustii sententia, Nemo per ignaviam factus est Immortalis: Adhuc nemo extitit; qvi solius ignaviæ passibus ad Immortalis gloriæ fastigi-

um evaſerit. Altius equidem illud eſt quam ut illuc teſtudo hæc pertineat: Nec Alpes Annibali, nec juga ſublimioris famæ citra ſudorem ulli patuere Caro emitur nec facile molli committitur ingenio Nomen Immortale, Odit inertem gloria, nec inertiæ manibus bene tanti pretii gemma teritur. Sudandum: nam etiam ad hoc Famæ non intermorituræ Latium per diſcrimina tenditur. Conjurata ventorum agmina non ignavus toleres neceſſe eſt, antequam hoc tam beatum littus teneas, Scilicet absqve meritorum pennis ad ſudum Immortalitatis evehare; Jacent hucusqve & ſitu oblivionis ſqvallent qui delituere otio, deſidia diffluxere. Adeo nusqvam ignavis immortalitas obtingvit, qui Campanis emollire deliciis Sybaritarum luxu virtutem atteri quondam paſſi ſint.

Similiter ſenſus hic ſimplex: Tenax es & avarus; ex hoc fonte ſic mirifice exornatur: Etiamne autem colligis qvod nunquam ſparſeris in commune? Inundat Te aureus Fortunæ torrens, nec ſupereffluis? Domeſticus te Ganges &

- - ſine face pulcher
Rivus inaurat;

tamen inde ne plumbeus quidem rivulus, in miſerorum examina dimanat? Dives ergo Tibi arca, & inops animus: Et ego Te divitum ſyllabo ac enſuerim, cui nihil ad manum ſit, quod alteri largiare. opulentum dixerim, à qvo nil opis,

opis, nil opum expugnandæ aliorum inopiæ impendatur. Tres tantum Parcas numerat Poesis, qvarta est Tua manus: Dum accipiendum est, Briarei manus Tibi vix sufficiant; cum largiendum, sine manibus es. En novum Judicis schema, qvalem Thebani voluere! Hoc demum est custodem esse pecuniæ, non heredem: hoc plane est opus damnare ad tenebras, qvibus unicè caves ne lucem videant.

Item sensus Synonymi illud attollunt: *Vince uam tenacitatem, esto liberalis: Jam tandem enacitati modum pone, cui opum abunde est. Si rophæum Tibi placet, à Te ipso illud exige, & rimam duc in manubiis parcitatem. Unicus ibi hostis sit avaritia, qvam si vincis, pulcherime triumphasti. Alibi hostes fundere, hic opes ffundere palmare est. Imo minus flagitiosum st armis, qvàm liberalitate vinci. Adhæc habis ad instar Philippi depugnet argenteis, qui nevit ferreis: vincat auro, qvi nescit ferro: etiam xtra bella manus triumphat, sicut ibi armis ostem opprimit, sic auro alibi sublevat age-utem.*

Brevior illa Periphrasis Synonyma loco huus sententiæ. Sine stipendiis miles torpet: Elanguit bellatorum virtus, ubi nervus milis vires solidare desiit. nec citius ferri usus displicuit, qvàm ubi pretium ferro deerat. Hebescit hujus acies, si aurum illud non acuat, & virtus manet absqve æmulo, ubi absqve præmio,

Qvartus Modus

Sensum Admirabilem ex obvio efficiendi.

EST per Eruditionem seu propria Nomina appellativis substituta. Sic loco illius: sub Præceptore discipulus, pulchrè positum; sub Chirone altero Christianus Achilles, nescias an plura didicerit, an docuerit.

Eodem modo illud exornatur: Poeta ad hortos digressus: sic enim exponitur: Ab Apolline ad Alcionum, à Pallade ad Pomonam, à Musis ad montiũ fontiumq; Nymphas digressus &c.

Similiter indolem N. inter alios eminentem describeres: Cyrus inter Pastores. Vel rarum ingenium laudares: Anacharsis inter Scythas. Et illud; Herculi suppar non unum suis laboribus fatigavit Eurystheum. Simile illud Stradæ de Belgio; Tot decenniis hæc Troja petitur, nec opprimitur.

Ex eodem Fonte illud de Lesco Albo; Helena Matre natus, tamen neqvit esse Constantinus. Et illud Gvinisii; Pleriqve cum perorandum est, alienam usurpant facundiam, cœteri suo Apolline delectantur & Minerva suâ. Item de bono successore; sunt pro Nerva Trajani, sunt Tibi pro Vespasianis.

Similiter illam sententiam; opes à segete & vellere facile proveniunt, sic effert qvidam recentior; Ceres & Jason non rarò Plutum parturiunt; Similiter illud; Scholæ Polonæ tuo adventu

ventu gaudent, sic exponitur eruditè: Et Minervæ noctuam lux tanta recreat, & minores Aqvilæ solaribus assvetæ radiis: gentilitiæ Tuæ luci svaviter inhærent.

Nescio an non pulcherrimum illud sit Martialis dictum ex eodem fonte, cum loco sententiæ: Cum mors certa ingruit, locus salubrior proinde ac pestilens fatalis est; dicit ille.

------ *cum Mors*
Venerit, in medio Tibure Sardinia est.

[Tibur amænum ac salubre, Sardinia pestilens & graviore Cœlo.]

Huc spectat modus ille alia nomina aliis substituendi: ut:

Cervos ipsos Tu adventus fama Leones effecisti.

Quintus Modus.

Obvios sensus attollendi per lusum in verbis ingeniosum nec levem.

DO hujus exempla non obvia, etsi per illa sensus obvii exprimantur.

1. *De Antiocho; Non homines tantum, sed Elephantos conscripsit, bellum non ratus, nisi bellua decertarent.*

2. *De Infracto in adversis: Dignaves calamo, calamitati non cessisse.*

3. *De arbore Paradisi humano generi fatali: Tantum malum attulit malus illa! beatæ sylvæ fructum dum carpimus, sylvam amittimus.*

4. *De Martyris manu præcisa: Cadit sub se-*

curi secura dextera, & palma illa præcisa palmam rapuit.

5. De Flavio Vespasiano: Ad spectacula theatrum dedit; sed spectaculum seipso nobilius dare non potuit, dignus & ipse spectari.

6. De Aulo Vitellio: se à Fauno originem trahere putavit, sed ille semiferus fuit, hic omnino ferus: Perpetuo Consul, perpetuo inconsultus: fami non famæ consuluit, dum Diis sacra, gulæ Vitellius consecraret. Sed tandem morti in victimam cessit hic vitulus.

7. De Apostolis in Cœna Domini: secundis diutius vacant mensis, quem prima, secundas epulas primi ad posteros transmissuri, quæ non citius finem accipient, quam mundus

8. De Absolone: Lancea illius cordi intentata est, sed invenit excordem, hoc est sine amore Filium.

9. De Elia pluvias dante vel negante pro arbitrio: Jussisti? factum subito cœlum æreum: aliud imperas? repente fit cereum.

10. De Noe diluvio: Quale spectaculum, si superfuissent spectatores! Et de floribus: Aluntur flores dum alluuntur, venustatem præbabent vetustati.

11. De Sancto ignibus exusto: suavius etiam virtus fragrat, dum flagrat.

12. De Gallis jam Christianis classicum olim contra Romam canentibus quidam Polonus: Cave Tibi Roma cave: nunquam Gallus cecinit, quin Petrus floret.

13. De

De Juda Proditore Juglaris: Dæmones fugare potuit, fugere neutiqvam. Ex eodem fonte Lipsius: Nihil regna citius secat, quam multiplex secta. Item de Ludovici XIII. obitu: Nullum libentius solvit debitum, qvam supremum. Item: Docent plerumq; qvæ nocent.

Et ille lusus Alexandri memorandus, qui dum Filium, sui Parentis sepulchrum excolere aratro cerneret, dixit: Hoc est Parentem colere!

Sextus Modus.

Sensum facilè commutandi in non obvium.

PEr insignem Allegoriam vel eruditam, qvæ fit in propriis dictionibus: vel aliam, qvæ in appellativis. Profero Exempla utriusqve. In propriis hæc:

De stipendiis aut præmiis veluti calcar addentibus est illud: Non obstat in Colchidem naviganti mare infestum Jasoni, qvem vellus aureum ad se allicit &c.

Item illud de Parco in milites Principe: Unum Roma Cunctatorem norat Fabium; plures id seculum effudit cunctatores, qvi dum extremum oppugnant Annibalem, adhuc iniqvam meritis parsimoniam domi neqveunt expugnare.

Huc spectat jocus ille in sudantem in pellito amictu: Atlantem Te non injuria qvis jurasset, etsi sub molliori cælo, sub leviori Zodiaco (qvem solius arietis signum collustrat) desudas.

In Appellativis plurima exempla occurrent. Sic illud Bahusii loco ejus; Malo esse lentus qvàm præcox; Tarda qvercus esse malo, qvàm repens cucurbita.

Item illud Gvinisii nondum in qvodam argumento convictum alloqventis: Si nondum vides, expecta fulgur ab auctoritate, qvod animum in nocte ista cæcutientem illustret pariter ac præstingvat. Etiam ab hac oris tranqvillitate time; disces sereno etiam Cœlo fulgurare.

Sic illa sententia: stipendia militis virtutem animant, effertur. Pluvia profecto laurearum fertilis, trophæorum fæcunda, sunt effusa in militem congiaria, non unum Orbi redditura Trajanum, si liberaliter illa Princeps impertiatur de suo. Hos depluat sæpè patrium cœlum imbres, revirescet credo nec ante florem emarcescet virtus militis &c.

Septimus Modus.

Sensus obvii in inexpectatum commutandi.

EST per alium aliqvem Tropum, vel Figuram, aut locum insigniorem. Ex tropis, qvos jam usurpavimus hactenus, præter Metaphoram, Allegoriam, Antonomasiam, servit huc Periphrasis acutior: Qvalis est illa de primo literarum & characteris formandi inventore apud Thesaurum; Nulli adhuc legebantur characteres nisi servis inusti; tandem ille veloci dex-

dextera fugientia verba moratus, calamo in tabella defixit: certavit cum loqventis lingva scribentis manus, novoqve miraculo audiit oculus, qvod digiti præpetes loqvebantur. Qvale portentum in fertili pagellarum æqvore, Musarum agello, nigerrimum notarum semen committi, qvod aratum calamo, sepiâ rigatum legendam doctrinarum Messem festinat.

Et illa: cum alii Serenitate incessus auram accenderent, intra serici auro fluentis vincula vibrarent gressus, argenteis elatis substrata marmora in plausum excitarent &c.

Huc spectat illa Periphrasis de Diva Scholastica, qvæ ut diutius alloqvio D. Benedicti frueretur, pluviam cœlitus impetravit. Sic hoc exprimit nonnemo: Ut longius Divina misceret colloquia, cœli usa patrocinio: pluviam lacrymarum effudit, qva serenitatem aeris extinxit: ad pluviam tacitæ preces evocarunt fulmina, clariùs inter fulgura pietas effulsit, qvid tam mirum, qvàm qvod Soror cœlum armaverit in Fratrem cœli amicum?

Sic loco illius: Facilis est materia laudare D. Thomam Aqvinatem; acutè effertur per Periphrasim ex appicto sole in Divi pectore, sic: Nisi videam hodiernæ debitum laudationi argumentum, solem non videam! qvem etsi terra cœlis addidit, adhuc tamen lucet in pectore.

A Figuris etiam attollitur humilis alioqvin Oratio: ut est Apostrophe, Antitheta, Comparia, Expostulatio, Annominatio, Congeries &c.

V. g.

v. g. loco illius: Deplorari debet heros iste: quam admirabilius dicitur per Figuram: stamus ad invicti Herois tumulum,& adhuc lacrymas tenes,dolor? triumphales plausus meruit; Tu nec planctibus Augustos Manes dignabere? &c.

Item loco illius: Dolendum est qvod tantus victor obierit: diceres admirabilius per Figuras: Ergone post facta Immortalia moreris Dux invicte! etiamne illustres animæ extinguuntur? etiam Patriæ soles occidunt: Legis Parentales taxos,qvi laureis insvevisti? Mori ergo poterat mori nescia Fortitudo?

Item loco illius. Fudisti hostes in Campis, vel ad fluvium; admirabilius Tropo & Figura dicitur: Meminere Varcenses Campi, ubi totidem Tibi laurearum manipuli succrevere, qvot hostiles manipulos messuisti &c. Fluxistis & vos tot magnarum spoliis animarum prætumidi Poloniæ amnes,sæpe non tam vestris intumescentes fluctibus,quam hostili sangvine.

Sic & loco illius: pavent scelesti: pulchre per tropum,cecinit Poeta: semper pavidum est scelus.

Octavus Modus.

Sensus obvios attollendi per Expolitionem aliqvarum circumstantiarum & Adjunctorum loci, Personæ, rei,stemmatis.&c.

SIc Romano Pontifici loco hujus: Colit Te Ro-

Roma; diceres: Novit Te Tyberis & in Tui præconia pleno decurrit alveo: novere septem illi colles & sua Tibi submittunt fastigia: suos Tibi fasces inclinat Romulus. &c. Sic in Dedicatione Thesium Logicarum Illustrissimo ac Reverendissimo D. Andreæ Trzebicki, cujus insigne Olor, loco illius simplicis sensus: Etiam Theses Logicas non ingrate recipies; admirabilius ex hoc fonte deducitur idem sic: Etiam Aristotelis organum, Tuas aures ambiit, Antistes illustrissime: Amicum noverat concentibus olorem, qvos svavior sapientiæ condit ac temperat Harmonia. Si tamen hac svavitate careat, eodem trahet gratiam ab Olore &c. &c.

Similiter de qvodam qui in Belgio & Gallia studuit, dicitur ornatius: Ætatem necdum firmam Leoni Belgico firmandam, vernantes annos Regno liliorum concessit.

Sed exempla ad hunc modum spectantia passim hic occurrent. ego ut cum Claudiano dicam,

Singula complecti cuperem, sed densior instat
Doctrinæ series, rerumq; seqventibus undis
Obruimur:

Imo si velim omnia huc spectantia exempla depromere, merito dicam cum Nasone:

Desinet ante dies, & in alto Phœbus anhelos
Gurgite condet eqvos, quam consequar omnia dictis.

CA-

Caput II.

Secundum non vulgaris Eloqventiæ Fundamentum Mira Eruditio ejusq; usus insignior.

QVantum gemma in annulo, in auro nobiles cælaturæ, purpura in prætexta, in cœlo sidera; tantum Eruditio suo loco adhibita obtinet dignitatis. Admirabilem proinde reddet Oratorem & multiplex Eruditio, & Eruditionis usus non vulgaris. Multiplex Eruditio tum lectione librorum comparatur, tum Eruditorum auscultatione. Ad Eruditionem autem refero Historiam Romanam & Græcam, qvam breviter comprehendit Florus & Justinus: ritus & consvetudines veterum, de qvibus multa in Atticis Bellariis Pontanus: Poetarum Fabulas, qvas in Electis Pontani vide: symbola, Emblemata, Hieroglyphica varia, dicta gravia & sententias, adagia. &c.

Sectio Unica.

De usu Eruditionis non vulgari.

HIc de usu Eruditionum, infra de usu sententiarum agetur.

§. I.

Modi rariores Eruditè scribendi.

VUlgaris Eloqventia contenta est Historiam pro-

proferre vel innuere citra ambitum Oratorium; Admirabilis modos ~~hic~~ usurpat non vulgares. qvare

Doceo I.

ERuditiones posse non vulgariter poni per brevissimam Comparationem rei, de qva est sermo, cum alia re ex Historiis petita, circa tamen usum vulgarium particularum, Qvemadmodum, sicut, ita &c. &c.

Sic de Principe Visnioviecio noster Orator: Staturâ non excesserat Alexandrum, virtute æqvarat. Sic de forti Duce: Te in hostem irruente patuit, non solam Spartam viros gignere.

Sic de profligato hoste erudite alius: Strages illa alteras hosti Cannas, alterum dedit Thrasymenum (locus est cæsæ à Carthagine Romæ)

Sic de Duce invicto ad bellum loco Regis proficiscente alter dixit: Non enim Regum sangvinem opposuit hosti patria, cum alios invictos haberet Duces: sunt nempe pro Theodosiis Stilicones.

Sic: Non in loco, sed more Corybantum ubiqve insipienterqve desipiunt: barbam velut intactum securibus lucum Apollini pascunt & dicant.

Observa hic loco illius Qvemadmodum, ita, vel, non, aliter posse te uti varia circuitione seu ambitu dicendi.

I. Sic si deberes illud exprimere: sicut ad Alexandri adventum sudavit Orphei simulacrum,

crum, ita & nos cogimur ad Tuum: sic potius id exprimeres: Non solius Alexandri adventus Orphei simulacro, sed Tuus etiam Oratorum ingeniis sudorem elicit, quibus lene admoves tormentum &c. Vel aliter: Adventus Alexandri sudorem elicuit Orphei simulacro, ceu in tanti Principis encomio vel elingvis statua desudaret: admirabile id, nisi per miraculum hodie Oratorum ingenia sortiantur.

II. Sic, ut ille Orator Uladislai contra Amurathem sine prælio victoris: Amiserat nomen mundus suo undiq; pollutus sanguine: sibi mundum reddere nescio an duobus [nisi tu alter sis] Imperatoribus contigerit: diu vel in Augusto sangvine requisimus Augustum.

III. Comparatio hujusmodi sic instituatur, ut Panegyristes noster comparat cum Julio Visnioviecium: Habet suæ fortitudinis æmulum Cæsar, qvi non prius hostem viderit qvam viceritit. &c. Habet suos etiam Polonia Cunctatores si morâ opprimendus sit externus Annibal: vel Julios, ubi in celeritate plurimum est momenti:

IV. Fiet per ly Alter tu: vel: Alterum nobis refers Annibalem &c. Sic de Leone Sapieha dictum: Alter tu scilicet videbare Pericles, qvi & in utero Matri & in bello Athenis Leo es creditus. Sic. Exhorruit ceu visa Gorgone ad revelatam Persii Parmam. Vel: Conclamatur perinde ac si ad portas esset Annibal.

Do-

Doceo II.

ERuditiones posse non vulgariter poni per aliquam prælationem vel postpositionem: seu ita, ut res, de qva est sermo, alteri rei ex historia desumptæ, obiter præferatur. Tale est illud de liberali Principe: Pluribus à Te qvam Nili ostiis exeunt congiaria.

Tale & illud: Fortius tua posteros urgebunt, qvam olim Themistoclem Milthiadis trophæa.

Tale & illud: Dictum hoc gravius Te, qvam Telephum Achillis hasta perstrinxit.

Tale & illud de Gentilitio qvorundam Flumine: Tutius huic Flumini commissa fuit toties Polona felicitas, qvam Oceani qvondam fluctibus Fortuna Cæsaris crederetur.

Eadem Prælatio fiet aliter sic: Esset ad qvod Saxum posuisset triumphans de orbe Roma, illud in Te cum togatis miratura Quiritibus, qvod & semper vincere, &, contra quam Annibal victoria uti scias.

Aliter sic: Ibi tu laureas collegisti, ubi cum Tullo Hostilio plerique iterato Pavori & Pallori templa vovissent.

Aliter sic: Eidem telo, qvo grandior ætatis nostræ cadis Hercules, succumbere è non ducimus indecorum.

Aliter sic, ut ille de arcibus oppugnatis nec tamen expugnatis: In fortiorem Trojam illas hosti conversas crediderim, ne decennio quidem expugnabilem.

Item

Item sic. ut, de cujusdam Aula: Castigatos Aulæ Tuæ mores qvi viderit: plusqvam Numæ dixerit Regiam.

Item sic: Præripit palmam Areopago Tua æqvitas: ubi vero liberalitate certandum est, omnem Tito gloriam ademisti &c.

Item sic, ut de cujusdam Consiliariis: Præsto erant, à qvibus responsa peteres, qvalia nec Delphicus Apollo, nec Consus ipse depromere potuisset.

Sic & illud de Zamoysciorum Hastis: Ivere per varias manus Scævolarum dicerem; qvia notæ fortitudinis; sed cum insuper ob cognatam huic sanguin. sapientiam, errare in hoste nescierint, haud occurrit par Nomen: Fabiis certe &c.

Doceo III.

ERuditiones non vulgariter posse inseri per modum Causæ utendo (præter solitas particulas, Ne, Ut) etiam his: Documento, vel: ut Orbis nosset: ne dubitaret orbis: vel credo ne; vel scilicet ne; vel, ut jam pateat.

Sic de qvodam Milite forti dictum est: Ictum lapidis objectu pectoris excepit fortiter: documento; Polonis æqve ac Spartanis pectus pro muro esse.

Sic de Galba Imperatore dicitur: Imperium tribus Libertis regendum dedit; ne pauciores Romam, qvam Avernum Furiæ affligerent.

Sic de Magnanimo Rege; ultra Regni imo & Orbis

Orbis terminos gloriam & Tua promoves trophæa: nempè non solum Macedonia non capit Alexandrum.

Sic de Uladislao IV. Qvod Pompejus jactabat, eventus resqve Tibi servabatur; ne dubitaremus, qvoscunq; Magnos aut Maximos edidit antiqvitas, Te minores fuisse.

Aliqvando & Eruditioni Causa subnectitur, ut: Romanis solenne fuit ut qvotannis coronaturi ora Fontium, Fontinalia celebrarent; credo, indignum arbitrati, negari certa Fontibus, à qvibus vitam qvodammodo hauriebant. Hoc illud est: Qvi aqvam hauris, puteum corona.

Doceo IV.

ERuditiones posse non vulgariter poni per Antonomasiam, ponendo nomen proprium pro Appellativo. Hic vero modus à primo per hoc differt, qvod ibi aliqva fiat Comparatio, hic vero qvædam sit nominis appropriatio. Sic in laudem studiosorum strenue se exercentium dixit noster Orator: omnes hic Theopompos invenias, Ephorum neminem, ad qvorum unum calcaribus, ad alterum freno se Isocrates egere dictabat.

Tale & illud de Ludovico Rege: Thersitem qvemcunqve tui exempli violentia Achillem effecisses.

Tale & illud tritum, sint Mæcenates, non deerunt Flacce Marones.

Sic

Sic de duce ſemper invicto: ſi Tiro non horruit, contemnet Hydram grandior Hercules.

Sic erudite ponitur Phalaris pro crudeli, Stentor pro clamoſo, Ariſtides pro juſto, Protheus pro mutabili, Momus vel Theon pro Mordaci, Pœnus vel Punicum ingenium pro ſubdolo, Verres pro fure &c.

Sic etiam illud: Athenienſium noctuam anſeri Capitolino antetulit. Sic & illud Martialis:

Ardua res hæc eſt, opibus non tradere moris,
Et cum tot Cræſos viceris eſſe Numam.

Doceo V.

ERuditiones etiam conglobatæ, ſeu plures ſimul in unum coacervatæ non modicam admirabilitatem, & non vulgarem ornatum Eloqventiæ concinnavit. Rem exemplis illuſtro.

Primum ſit de tolerantia injuriarum: Rarus eſt, qvi injurias vel Titus aſpernetur, vel rideat ut Tiberius, vel ut Theodoſius condonet, vel ut Auguſtinus etiam remuneretur. Sic diviti peroranti de temperantia dictum: Qvin taces tu, qui dives ut Craſſus, vivis ut Lucullus, loqveris ut Cato?

Secundum: De exercitio corporali ſtudioſorum, ſub ſextiles ferias: Non ſic illi ſtato ſolenniqve Sextilium æſtivorum otio, ut qvondam Annibal Campaniæ hybernis emolliti, ut vel tantum cum Caligula conchas legere, natare cum Macedone, piſcari cum Nerone, obire lucos cum

cum Augusto, sylvas degere cum Academo, colles obeqvitare cum Carolo, metere colla paraverunt cum Tarqvinio, venari cum Domitiano, prandere inter arbores cum Trajano, cum tergeminis Romanorum Horatius certamen ponere, &c.

Tertium : De insignibus variorum: Non idem insigne qvemvis indicat, non idem nobilitat : Athenienses noctua, Persas Aqvila aurea, Canis Osiridem, Justitia Polyxenem, Thebanos Sphinx, Assyrios columba, Dona Fortunæ Demosthenem, Carolum V. Columna, &c.

Qvartum. De titulis qvorundam : In qvæ non nvolavit nomina mortalium ambitio? Attila se dixit Iram Dei, Tamerlanes Flagellum, Fulmen Pericles, Lucullus Xerxem Togatum, Havius Bellatorum Antigonas, Nerva Bonum: Trajanus Optimum, &c.

Qvintum Clemente Alexandrino qvi sic ait : Si qvis Isomacho studuerit, agricola fiet : Si Lamprídi, Nauclerus : si Charidemo, Imperator: si Crobilo, coqvus : si Perdici, Caupo : si Archelao, Saltator : si Chrysippo, Dialecticus : si Aristoteli, Physicus : si Homero, Poeta : si Tullio, Orator : si CHRISTO, ad imaginem Magistri perficietur in carne circumiens DEUS. Hæc ille.

Imo una sententia potest sic conglobatis Eruditionibus mirifice exornari. Sic exornatur illa sententia :

Non omnis fert omnia tellus.

CEdris assurgit Libanus, nulla Cretam fera infestat, non timetur fulmen in Æthiopia, terræ motus Galliam non concutit. Lupos non novit Anglia, lepores Ithaca, Asinos nescit Pontus, Crocodilum profert Ægyptus, Phœnicem Assyria; Tyrus purpura superbit, Corynthus ære optimo, Memphis Pyramidibus: Hymettus & Attica mel in copia producit, odores Arabia, Smaragdos Erythra, Leones Da & Arcadia, Hyrcania tigrides, India Elephantos. Verum & fluminum gloria discrimen admittit; Pactolus auro fluit, Hydaspis gemmeis fluctibus intumescit, mare gemmarum est Patria, Fons Castrius olores educat. Colchis Phasidem, Hydram Lerna, Nilus crocodilum parturit, Strumon grues. Qvid montes? Ætna & Vesuvius flammas evomit, Erymanthus cupresso squallet, lauru Parnassus evirescit: Imolus & Taurario montes vitibus, Anticyræ helleboro, eqvis Thessalia, venenis Pontus abundat. Nec in hominum ingeniis idem vitium odoris aut virtutum amor: Asiatici molles, Persæ otiosi, Syri cupidi, Alexandri derisores, Campani arrogantes, Cappadoces, Cretenses, Cilices mendaciis, Græci dolis assveti, Pœni astu & fraudibus valent qvam plurimum, Thraces oratoribus, Parthi jaculis, Athenæ lingva, Roma plus manu valuit.

Stob. *Nec omne Cœlum prospicit undiq;*
Terras, nec omnis parturit omnia

Tellus

Tellus, & in magnis relucet
Discolor ingeniis vetustas
- - - India nigrum
Virg. *Fert hebonum solis est thurea virga Saburris.*
Hic segetes, illic veniunt felicius uvæ
Arborei fœtus alibi.

Doceo VI.

ERuditiones ita posse poni, ut in sententiæ alicujus sensum trahatur. qvod omnino perelegans.

Sic loco illius sententiæ; sæpe victor hostium momento vincitur, sic erudite dictum: sæpius diuturnis qvæsitam belli lauream, vel Annibali Capua infregit.

Sic & loco sententiæ illius: Matura est qvævis ætas triumphis; erudite dicitur: Nec sola Alexandri trophæa senium, nec sola Cyri indoles ætatem reqvisiit.

Tale & illud est: Rarus Annibal sua caruit Campania.

Tale & illud: sæpe aureus Macedonis penetrat asellus, ubi bellico ariete nil profectum.

Tale & illud: Præstat esse Osyridem, qvam Typhonem (ille sobrius, hic obesus & stupidus.)

Ex eodem fonte illud Terentii: Absq; Cerere & Baccho friget Venus.

Doceo VII.

ERuditiones posse poni per Oppositionem dū

ſcilicet oppoſita ſibi exempla, ut antitheta ponuntur.

Sic eſt illud: Plures ſæpe videas Ægiſtos qvam Hippolytos: Phædras qvam Penelopes. Et illud: Probra literatorum plerosq; non literatos dixeris? Mœnadum choro non Muſarum, Libero non Tullio vel Apollini aptiores. Et illud: Paucos noſtra ætas profert Curios, plures vel in tenuiori Fortuna Craſſos, aut qvi uno hauſtu patrimonia abliguriant Antonios.

Et illud: Non bene convenit Eurytheo cum Alcide: Odit ſecutorem Retiarius, Mirmillo Tracem (ſunt paria gladiatorum oppoſita.)

Doceo VIII.

ERuditiones poſſe poni qvaſi contemptim, & per Oratoriam Rejectionem. Sic illud eſt noſtri Oratoris: Apage ſangvinarium Catilinæ convivium, ubi non plus hauſtum vini qvam ſangvinis. Non hic more barbaro Lapitharum editur, non hic Sybaritico luxu infames cænæ terminantur faſtidio. Certe Cambyſes ut lubet majoribus ſuper menſa poculi, &c. &c.

Sic & illud: Jactent nobiles Thebæ primam alumni ſui Herculis induſtriam, infantili manu ferociam ſerpentum præfocantis: loqventur Seleucum Anchora, miro naturæ artificio illi inſculpta? At nec invidemus Zoroaſtro riſum, qvem natus, uſitatis humano generi lacrymis ſubſtituit; plus Tibi naturæ conceſſum privilegio, &c.

Ali-

Aliter illud de horti amænitate: Qvid huic Hesperidum hortos opponas, ceu veris in hoc Tibure Elisiis fabulæ conferri possint?

Aliter illud: Tace jam Roma Scævolam; certior nec obnoxius errori militis nostri ictus, qvo sternit hostem, trophæum erigit.

Aliter & illud: Liberas eo metu Poloniam, qvo Plinius aliqvando extimuit. ne Romani nobilis nihil pulchrum in Palatiis præter avorum imagines haberent.

reddes, ait, improbe reddes;
non si te ferreus agger.

Ambiat, aut triplices alio tibi carmine muros
Amphion auditus agat, (nam hoc contemptim innuit)

Idem fiet sic: Et qvisqvam mihi prædicet, in ore Stesichori cecinisse lusciniam, cum etiam, &c.

Item sic: Cogor hic vetus castigare proverbium; qvòd non sit qvædam flere voluptas.

Item: viderint Syracusæ, an suo non minus jam tribuant Archimedi, cum Cosrois cernunt molem, &c.

Addo insuper Eruditiones posse necti per Particulas, ne qvidem, nec ipse &c. Ut: Hunc lusum ne ipsa qvidem Svada vel Consus persvaserit: Tale & illud in Utopia Bidermani: Labem animo insperfisti, qvam ne Lua qvidem Mater eluat.

Tale & illud: Vix Ulysses hujusmodi Syrenum insidias elusisset. Huc potest referri obiter perstricta eruditio, ut: Moram in vincendo non

admittimus in tanta præsertim penuria Fabiorum: imo nec in copia eorundem.

Doceo IX.

QVando pluribus exemplis una eademq; Propositio confirmatur, duplex conatus adhibendus, alter in Elocutione, alter in Exemplis nova & nova transitione nectendis. Sic in illa sententia elaboratum vides: Qvisqve suo laborat vitio. Sic enim ab exemplis dilatatur.

Veritatis oraculum, non Plinii effatum credite, ubi censuit, adhuc neminem extitisse, cujus virtutes nullo vitiorum confinio læderentur. Asiæ Orientisqve terrorem recolite Alexandrum: Discrepant adhuc fasti, num ille plus vini qvam sangvinis fuderit, ut qvi æqve trophæis inclytus ac temulentia infamis, cæde insuper amicorum laureas inumbrarit. En ut ne tanta qvidem virtus extra vitii probrum! Etiam tu Trajane non absq; nævo: Plinius te è mortalium cætu eximit, inter feras inscribit cruda in insontes immanitas. Sic Macedonia nobis Alexandrum, Occidens Trajanum objicit, in qvibus virtutis per vitia infuscatæ labem notare liceat. At extra solium & Purpuram probra hujusmodi, & virtutis cum vitio affinitatem vestigemus. Qvinctum Tullii fratrem nobis Roma offeret, in cujus laudibus unam omnes excepere iracundiam. Etiam Tullius fratre qvidem major, sed hic non melior. amo illius eloqventiam, fastum odi, qvi non unam meruit in orbe Philippi-

lippicam. Qvem autem Tullio adjungam? nempe Consuli Romam, gentium regnatricem, sed luxus mancipium. Ego Te, Roma, in armis veneror, orbis exhorruit; at luxus Tibi gloriam exhausit ac ærarium, domestica potentum ambitio laureas ac purpuram temeravit. Nec æmulam Romæ Carthaginem hinc excludam. Unicus Annibal hic esto argumentum. Saguntum ille suis cineribus vidit insepultam, ejus gloriam Campania. Adeo nulla dos animi beatior extra viciniam vitiorum.

Sed hujusmodi argumenta & variam ac miram Exemplorum coacervationem abunde Tibi dabũt Lipsii Monita & exempla Politica.

Doceo X.

ERuditionem afferri posse vel per Protasim cum Apodosi; Historiam solam seorsim, Historice aut Oratorie referendo.

Eruditio per Protasim & Apodosim tractari potest multipliciter.

I. HISTORIAM per Comparationem vel Relectionem fusius referendo. Deinde Materiam propositam ad Historiæ prædictæ Puncta accommodando v. g. Alterum Te hæc ætas suspicit Alexandrum, ne Macedonia suo deinceps insolentissime intumescat, cum & Poloniam non impar exornet Principum Heroumq; fæcunditas. Macedonem illum qvanta gloriæ sitis, qvanta provehendi nominis ac victoriarum incessit cupiditas! is non novit, qvi nec Alexandri nomen

men noverit. Parum illi fuerat Macedoniam à Philippo, & Græciam recepisse, parum totam Persidem imo totum domuisse Orientem, etiam qvos Democritus somniabat, infinitos illi Mundos subigere promptum fuit. Tanta est vel generosæ indolis vel arrogantiæ vis, si qvando alicujus animum pulsavit. Sed taceat Alexandrum Curtius, taceat Macedonia; Major tu mihi etiam Alexandro, qvi non tantum tot hostiles cuneos profligaveris (qvod & Alexander fecisse memoratur) sed insuper teipsum noris vincere, qvod nesciit Alexander.

II. HISTORIA obiter tantum attingi potest, applicatione addita longiori. v. g. Major Tu mihi & longe admirabilior, qvam decantata illa septem Orbis miracula. Nam sive cæcas mortalium mentes in bonæ frugis tramitem reducere sit necesse; Pharus es regendis erronum cursibus accensa: sive Patria munimento egeat; firmius illi præ muris Babylonicis exhibes: sive magnitudine facinorum erigenda Patriæ sit gloria; sua Colossum hic Rhodium deficit magnitudo &c.

III. Potest prius poni applicatio Historiæ posterius ponendæ v. g. Pridem Tuæ propaginis arbor Patriæ succrescit in palmas, flectitur in arcus, assurgit in trophæa: nec nisi in Poloniæ decus crescit, dum summis fascibus pares illi Heroas profert, id qvod olim de sylva Dodonæa creditur, ex qva nonnisi Principum ac Deorum insignia, Ducum Clavæ, victorum trophæa condebantur.

IV. Ex-

IV. Exaggeratur imprimis veritas vel falſitas Hiſtoriæ aut aliqvid ex illa erutum, aut ad eandem pertinens: tum ipſa profertur Hiſtoria, cum extenuatione vel exaggeratione, prout res exigit; ad extremum fit Apodoſis.

Poteſt ergo fieri acceſſus ad Hiſtoriam vel Apologum deſumptus à documento vel ſententia in illis contenta. Oſtendo id in fabula de Ciconia cum gruibus ſegetem depaſcentibus inventa, proinde veluti rea, ab agricola cum gruibus captivati. Sic enim fieret acceſſus ad fabulam:

Rara intercedit cum ſcelere affinitas, qvæ non pariter in nervum abeat. Nempe ipſa etiam innocentia crimen eſt, qvando nocentibus ſtipulatur; hinc & pœna non raro expoſcitur ab inſonte, qvoties illi ſi non improbitas, ſaltem improborum conſortia placuêre. Provoco ad interpretem veritatis Apologum qvam velut putamine nucleum tegit. Age qvisqvis improbis adhæſiſti; periculi te admoneant vel avium infortunia, ac potiſſimum præſens qvod affero Ciconiæ à contubernio infelicis periculum. Alebant famelicam volucrem ab agricola nuper commiſſa terræ ſemina, &c.

Idem patet in apologo de Pavone & grue, qvem ſententiæ præ ipſo limine appoſitæ planius, & ornatius exponunt:

Si cui veſano turgent præcordia faſtu,
Qvove tumet, reliqvis ridet abeſſe jubar;

Hinc ſapiat, Charitumq; mera ſub imagine nævos,
Et radiis umbras credat ineſſe ſuis.
Sors tenues auguſta animas non horret, amicas
Qvin etiam vibret cæca per antra faces.
Qvemqve ſuus commendat honos: nec temnere tutum,
Si qvem ſors tenui figere viſa loco.
Sanciet interpres taciti rem fabula veri
Junonis referens & Palamedis avem.
Dum lautis adhibet volucris Saturnia menſis,
Aerios Proceres Threjiciamq; gruem.
Et bene conditæ miſcentur pocula menſæ,
Dumqve Acheloe, tuis incaluere cadis.
Strymoniam tumidus volucrem ſic Pavo laceſſit,
(Viſa cui Aſſyrium cauda rotare decus,
Et faſtum nutriunt oculatæ ſidera pennæ,
Qvem leve criſtati verticis auget onus)
Qvin mea ſceptra colas pennatæ pubis habenas
Cui dat in aerios edita forma thronos?
Haud tibi par ſpecies: pennam haud nativa colorat
Iris, nec ſimili ſyrmate verrit humum.
Qvæ ſibi conſpicuo radiant in vertice criſtæ,
Surgit inauratus qveis mihi fontis apex?
Cauda mihi vigili magis eſt oculatior Argo,
Qvæ præ millenis ſolibus una micat.
Talia flammato ſecum grus corde volutans:
Et mihi ſors inqvit non inimica viget.
Non Thaumantiadis mentitur penna colorem,
Nec mihi multiplici ſidere cauda micat:

Sum

Sum tamen in pennis alium sortita decorem,
Qvi mage diffuso me sinit orbe frui.
Tu teris agrestes umbraticus incola pagos
Nec super ætheream te vehit ala plagam.
Audiit hæc, posuitq; ales Junonia fastum &c.

Similiter in Symbolo tractando accessus qvæsitus est in illa salutatione qvæ incipit: Te ipso humanitatis descensu has ædium angustias subeunte, rara Tua humanitas magnum illum in Romana Purpura mihi revocat. Barberinum, qvi dum Musis vectigalia Tullioqve limina hospes inviseret, pro Lycei foribus forte hortulum Apellis miraculo vel hyeme herbescentem advertit, solas qvæ illum depascerent Apes expectantem, qvod ipsa indicabat inscriptio: Expectat Apes, &c.

Similiter in alia salutatione non prius de Massinissa Rege Numidiæ protasis affertur, qvod Diis grates habuerit pro Scipione apud se hospite; sed accessu prævio: semper magnitudini hospitum par respondet gaudii magnitudo; adeoqve hæc illius mensura est. Ad Numidiæ Regem provoco.

Doceo XI.

ERuditiones posse non invenuste trahi in acumen pulcherrimum. Patet id in eo qvi lusit in Neronem ardente Roma Cythara canentem:

Vincere Thebani tentat miracula Fabri;
Condidit ille urbem, destruit iste lyra.

Et illud ex eruditione acumen: Tres tantum

Furias qvisqvis numeravit Alane, Uxoris genium nesciit ille Tuæ.

Et illud de S. Francisco Xaverio acerbissimis pomis diu vitam sustentante:

Tum mala jejunum si Tantale mala manerent,
Supplicium majus, si fruerere, foret.

Et illud de fano vel templo Solis succenso: Phaëtontis Pater, Dei sedem affectans, Phaëtontis supplicium tulit & ex fabula historiam fecit.

Et illud de Abassio supra: Furiis Gigas videri potuit nullo hoc nomen magis meritus, qvam qvod cum Jove Sarmatico pugnasset.

Et illud Allegoricum erudite: Est contra vincula nodosq; Gordios gladius Alexandri.

Et illud de Matre filii mortem fortiter ferente: Nioben maternus dolor, Te Constantia duravit in Saxum.

Doceo XII.

NOn vulgaris omnino & doctis ac multæ lectionis viris dignus est ille Eruditionis usus, in Dialogismis maximè, literis & colloqvio familiari; loqvi tum Adagice tum desumpto versu ex Poëta, vel alio auctore, vel alludendo ad aliqvam Eruditionem. Exemplum dabit Lipsius in Politicis, aliiq; Affero & ludicrum, sed ad rem deserviens exemplum, ubi de ludorum genere consulunt aliqvi.

LUDICRUM.

I E ludo venimus; sed libetne ludum repetere, cui pridem insvevimus?

II. Apa-

II. Apage cum ludo; num optas (qvod Plautus ait) ut cottabi in tuo dorso crepent?

III. Qvin ergo tantisper seria ludicris dispungamus? juvat ex Venusini præscripto diem solidum dimidiare, miscendo consiliis stultitiam brevem, & desipere in loco. Ergo nos scrupis molisqve oblectemus.

IV. Num à Plauti primoribus stirpem ducis, cui adeo Pistrinum sapiat; O factum molis trusatilibus circumagendis caput! Næ tu furfurem pro cerebro, pollinem pro Apolline geris, qvi nos ad molas damnare velis!

V. Ego aleæ lusum svaserim. Hoc ludi genus etiam Deæ placet: Fortunam hic veneror, levem illam qvidem, Deam tamen.

VI Ludum svades, qvem nec ipse Census nec Svada mihi persvaserit. Vel si qvovis jactu Venerem ego, aut Herculem Basilicum, si nunqvam Vulturnium, vel canem, semper Venerem aut senionem jaciam, Fortunæ hic litare nolim. O dictum bene!

Ludens taxillis, bene respice, qvid sit in illis;
Sors tua, qvin etiam tua mors dependet ab illis:
Alea, vina, venus, tribus his sum factus egenus.

Brevius noster Emanuel te olim meq; docuit: Aleas fuge, mortem meditare.

VII. Ergo à ludo & calculis vos provoco. Brevi ego qvemcunqve ductu reductuq; calculorum conficiam, eum Crispini familiæ additurus.

rus, dignos Tragædis cothurnos, comicis soccos aptare poterit, &c.

Dentibus antiqvas doctus producere pelles.

II. Galbæ potius vel potius Crasso juratis risui hostibus, lusum hunc svaseris; non Rhetori. Illum is deceat, qvem nativum Saturni sidus affluerit; Me vero æqvior amavit Jupiter, & sereno Lucina cœlo produxit. Qvodsi interiore alveo calculos promovere velis, etiam ibi talorum jactus aleatorem decet non Rhetorem.

III. Ergo latronum prælia ludamus, loqvor cum Nasone; clarius Senecæ Phrasi dixero, abaco & latrunculis teramus diem. Basilicum sane ludi genus, ubi & Regis auctoritas, & Reginæ libertas, & Eqvitum assultus & Flaminum insidiæ, & oppositæ in fronte peditum decuriæ jucundissimam scenam dabunt.

I. Infame ludi nomen; meum mihi sufficit patrimonium. Latrunculis ludere lubeat, cui latrocinari libet. Adhæc horam tantum ludendo insumere velim, non diem.

III. Qvid ergo demum? ergo sine ludo nobis hora effluat? imo ludi materiam ego præbeo. Urbanos nuper institores transieram, unicum ab eis mercatus librum; ei evolvendo si damus operam, erit, qvod etiam ille è Trophonii antro rideat; vel Jalemum recreet id volumen. Parrhasii linteum, uvas Zeuxidis, nec Thimanti laboratas effigies sic depeream, ut rudes hos colorum ductus.

V. Di-

V. Dicendo me prævenisti, non voto; in mea desideria ita immigras ut nec ovum ovo, nec lac lacti, nec nummus nummo sit similior, qvam meum votum tuo.

Doceo XIII.

EXempla & Eruditiones cum ponuntur per descriptionem rei, ut est gesta, postulant brevitatem claritatem & (ne admirationis desit illecebra) elegantiam styli, vel aliqvid ingeniose insertum, prout res patitur. Patet id primo in hoc exemplo Petrasanctæ! Polycratis Tyranni annulus est Fortunæ lusu celebris, qvem utiqve sponte merserat, ut assiduo gaudio lassus sentiret mœrorem; mox vero recepit intra piscis illa, ut agnosceret aliqvando existimari posse argumentum irati Numinis, semper esse felicem.

Patet secundo in hoc: Achates opificium solius naturæ, in Regis Pyrrhi annulo Apollinem cum Cythara, Musas cum insignibus propriis effinxit. Si cantum addidisses & sonum, fuisset vere ibi Parnassus, nec in rupe, sed in gemma.

Patet tertio in hoc: Nonii Senatoris annulus ex luxu enormi retinet famam adhuc aliqvam, sed malam. Hominem Antonius proscripsit, qvem universa Respublica ægre totum ornare satis potuisset; qvandoqvidem pro unius digiti ornatu viginti millium gemmam induerat. tanto pondere manum imo digitum luxus opprimit!

Et:

Et: In aliqva Italiæ parte homo calculosus veros adamantes pretioso ac divite humani corporis vitio ejecit.

Additur & ratio, ut: Romani cor in annuli pala celarunt: credo, ut ejus symboli admonitu, corde præstarent, alii figurabant Amorem insidentem leoni, habenisq; iram ejus regentem; eò qvod fortia qvæq; Amori cedant. Nero Marsyæ effigiem excoriati ad arborem ab Apolline habebat, & congrue: etenim lanienam similem in Principatu exercebat.

§. II.

De usu & formatione sententiarum non vulgari.

Qvoad usum sententiarum.

NOTA I. Pulchrè sententiam Orationi inseri, si non tam ut sententia qvam ut aliqvid ad sensum currentis periodi pertinens usurpatur etsi periodus per se non sit sententiosa.

Tale est illud ad Uladislaum Regem: Te in aciem prodeunte confestim patuit, qvantũ in acie possit galeata majestas.

Sic de Matre pro filiis contra Tyrannum. Male pretium pro filiis lacrymas offers, ubi cladem furor anhelat: male precibus pugnas contra barbaros.

Tale & illud Curtii de Alexandro: Major fuisset, si vicisset superbiam & iram invicta, mala, Alexander.

Tale

Tale & illud de noſtro Rege: Fortunam fortibus in manu eſſe, ignorare neqveunt, ad qvos Tui nominis fama pervenit.

Tale & illud noſtri Oratoris: ſpem ac metum duos conſultantium ſcopulos, inter conſilia & ſubſellia Judicum haud unqvam admiſiſti.

Tale & illud Politicum: Qvi à Tacito arma conſilio temperanda didiceras; cautis potius qvam acrioribus conſiliis potentiam tutius retineri, hoſtem docuiſti.

Deniqve ex eodem fonte illud: Augebat hoſti Sarmatico ferociam modo perjurii conſcientia, veniæqve deſperatio: qvæ duo qvantam ſervilibus qvoqve animis vim & audaciam ſuggerant, meminit Roma: ſed qvi à vincendi libidine non longe abeſſe ſolet, furor infelix agebat præcipitem, ut Tuis demum vinculis conſtringendus videretur, qvi ſic inſaniret.

NOTA II. Etiam illum Sententiæ uſum eſſe non vulgarem, ſi cum qvodam Epiphonemate acclametur veritati ſententiæ, qvæ periodo currenti includitur. Patet id in illo exemplo; Didicit tandem orbis infortunia raro incedere ſolitaria, dum poſt luctuoſum Principis noſtri obitum nova in Regnum detonuit belli procella. Patet idem in hoc: Diſcant jam barbaræ Orientis legiones, virtute hic rem geri decerniqve, non numero: Diſcant non confertas gregariorum turmas rem in bellis conficere; ſed qvandoqve parvis in copiis ingentes animos, mentemq; magno exercitu majorem,

Pa-

Patet idem in hoc: Nil mite aut lentum agitabat Osmannus, adeoq; totam in nos exciverat Auroram: Tanti est semel iram in consilium admisisse, & qvæ in transversum agit præcipites, late regnandi libidinem!

Patet & in illo: Ottho Sylvius & Nero sibi etiam crudeles mortem conscivere: Adeo malis si desit carnifex, sibi non desunt!

NOTA III. Sententiarum usum elegantem esse, dum in locum Causæ substituuntur, idqve potissimum per illas particulas, ut ferme: vel, documento; vel, arbitratus. vel ut constaret: vel non ignarus: vel nimirum, nempe, qvippe. Affero exempla præter allata sup.

I. De Sapieha: Bellanti semper affueras majestati, armorum gloriæqve comes; ut ferme semper magnis stipatur nominibus galeata majestas.

II. De qvodam genere ac meritis illustri: Non solo antiqvitatis pretio, sed gestorum etiam nobilitate, laudem Tuam constare voluisti, scilicet miseram arbitratus vel felicium conditionem, ubi nihil moribus, omnia majoribus, omnia sangvini tribuuntur.

III. Ipso ætatis vere Casimirus exhibuit qvod vix alius in Autumno: sterilis argumentum ingenii existimans, sola diu spem alere in herba.

Et illud: Neqvid in te fatorum vis posset, illud ab armis, qvo præire fortunam non seqvi soles, præsidium comparasti, æqvè impium ratus,

arma

arma injusta & justitiam inermem bello committere.

IV. De Uladislao: Ne qvid in Te Fatorum vis posset, Tibi ab armis etiam præsidium comparasti; æqvè impium ratus, arma injusta, & justitiam inermem bello committere.

V. De liberali in egenos: Miserorum vota occupas, precariam perosus gratiam; non ignarus, illud inter beneficia Principe loco reponendum, qvod gratuito qvis elargitur.

VI. De cultore B. V. Sic Tu inhærebas Domino, ut Ancillam qvoq; Domini à cultu non exclaseris & affectu. qvippe non recte vitam diligit qvi non diligit vitæ Matrem.

VII. De Joram: Ad regnum sublatus fratres sustulit: nempe Tyrannus sangvinem sitit, qvem timet, nunqvam lætus, nisi dum canit exeqvias. Similiter de eodem: Rogo demum caruit, non tumulo, igne fraudatus qvem meruit. nimirum Tyranno maxima pœnarum est, post obitum non lucere.

NOTA IV. Posse aliqvando ita referri sententiam, ut apte alia sibi opposita refellatur. Tale illud est: Palinodiam canet qvisqvis hucusq; senserat, plurimum in celeritate situm esse momenti; Cunctatorem illi Fabium mora invictum opponam qvi lento Pænum moderamine lusit (Manil.)

Et: Error interim Plinii, cui in magna Fortuna occultum nihil, veniam apud Te qværit, in qvo &c.

Tale

Tale & illud: Sentiat deinceps qvi volet, iram cotem esse virtutis; at mihi tacente etiam Claudiano,

Diis proximus ille est,
Qvem ratio, non ira movet.

Tale & illud: Aliud jam pace Tua Romane Orator sentire cogimur.

Et: Tace jam Macedo; jam Regnum capit duos: tace & Tu Tacite, qvi pacis interesse dictitas, si ad unum omnia referantur.

NOTA V. Sententiæ usum in Oratione elegantem reddi per sensus Synonymos; si similibus sententiis etsi sub diversis Allegoriis confirmetur breviter, qvæ etiam Allegoriæ ab Exemplo obiter insinuato duci possunt. Exemplum hujus habes supra in Corollario Capitis primo sub tertio modo, ubi sententia illa elucidatur aliis synonymis sententiis: Nemo ignavia factus Immortalis Item illa: Animi pusilli est vindictam sumere.

Huc spectat ex hoc Fonte ducta à Juglare exornatio illius sententiæ: Pleriq; sibi perniciem educant in clientibus & alumnis. Sic: Lactamus sæpe catulos miseræ Matres, qvi nostra post ubera depascantur: Rigamus assiduo sudore Cicutam, qvæ mox in culmum adulta nos perimat; Et in nostris incudibus ferrum acuimus, qvo cadamus, adeoqve non unum suus torqvet vitulus Perillum.

NOTA VI. Sententiæ alienæ vel proferuntur suppresso auctore ut hactenus ostensum; vel

cita-

citato; & tunc Auctor sententiæ non sine insigni accessu, eoq; vario pro sententiarum varietate citabitur. Aliqvando illo accessu uteris: veritatis illa non Sallustii vox fuit, consilii sanitate salutē Reipublicæ constare &c. Simile illud: Clementiæ illa, non Adriani vox fuit &c.

Aliqvando hac. Ita te veritas amet, Romane sapiens, qvam vere censuisti primos in acie vinci oculos. Vel: Assentiri & Tibi cogimur Romane Orbisq; Orator, cui Parsimonia magnum vectigal &c. Vel: Hinc qvis vati Mantuano non subscribat, qvo judice &c. Vel: Effatum Julii Cæsaris audiimus, suos milites etiam ungventatos pugnare bene posse. Nimis hoc ille tumide, & ex victoriæ genio insolenter. Vel: Sensit idem Roma vetus, qvæ à suo didicerat Livio, nihil non aggressuros homines si magna conantibus magna præmia proponantur. Item: An & Satyricum audire placet, &c.

Aliqvando, qvod potissimum in expositione Chriæ vel ejusdem Testimonio fieri poterit, ipsemet Author Sententiæ per Prosopopœiam induendus, elucidans suam sententiam. Sic factum in sententiæ Sarbievianæ expositione: Is auro bibat, qui dulce ferrum est: Erigite mentes, ac è tumulo suimet oraculi dignissimo Interpreti auscultate: Facessant, inqvit, facessant imbelles animæ, qvi cum omnia sangvini & fortunæ tribuant, nihil meritis, adhuc tamen auro fulgent, nitent Purpura &c. Non hos ego fascibus honorariis admoverim, &c.

NO.

NOTA VII. Cum plures ſententiæ diverſorum Authorum aſſeruntur eidem propoſito ſervientes, varia tranſitione & ipſimet authori ſerviente, ſi poterit, ad qvamlibet utendum: nunc Apoſtrophe; nunc Admiratione, &c. Et qvælibet ſententia explicanda ornatius.

Patet id in Teſtimonio ad prædictam Sarbievii ſententiam confirmandam allato: Sic & Principum majeſtas, tuam ſancit, dum factis aſſerit ſententiam, Caſimire Sarbievi! ſic aureæ Regum mentes eam probant, dum reipſa approbant; Qvidni ſapientum exedræ venerentur, qvam adorant & ſolia? Qvidni teſtentur calami, qvod ſceptris regalibus manus Principum adnotarunt? Tota plane vetuſtas præmiis militaribus plurimum detulit, perinde acſi nova in Patriam cumularet merita, ſi bene meritis præmia decreviſſet. Senſit id Roma vetus qvod à ſuo didicerat Livio in qvo velut lacteo mari honoratæ virtutis delibaverat ſvavitatem. Senſerat ille (qvi etiam ſenſus veritatis eſt) Nihil non aggreſſuros homines, ſi magna conantibus magna præmia proponantur. O vere dictum! ipſiqve ſuppar oraculo! habent nempe ſuam præmia, habet aurum illecebram, nihilqve tam acceſſo arduum eſt, qvo virtus aureis concitata ſtimulis non penetret, qvo auri opumqve afflata radiis non emicet. Addis præmia virtuti, non mediocre calcar ſubdidiſti, &c. An & Satyricum Aqvinatem audio? &c.

Po-

Potest subinde Auctoris sententiæ acclamari v. g. Id orbis audiet nec ad luxum sui seculi erubescet? effati venustatem suspiciet, nec auctorem dicti venerabitur?

NOTA IIX. Sententia potest afferri ex aliqvo Auctore per qvandam Rejectionem, de qva vide Doctrinam octavam de Eruditionibus.

NOTA IX. Cum oratio sententiosa gratiæ multum habeat, nec tam Oratio, qvam qvædam tunc oracula fundi videantur, si graves & rotundæ argumento insint sententiæ; ideo juvabit passim hæc lumina inserere, & hypothesi venustius exaggeratam thesim freqventius permiscere. Exemplum accipe in Oratione filii Regis Cimmeliorum post obitum Parentis:

Parentem noster ad sceptra natus ternio, solium nuper amisit Principem Grandis utrinqve jactura, sed nostra pensetur orbitas seu publica, ut ferme fata Principum raro incedunt solitaria, vel absqve cognatæ domus sceptriqve vulnere, nec statim obducitur, aut facile mora temporum coalescit tam livida cicatrix. Plerisqve Principum funus Justa fortunæ peragit, & inter parentalia Patrum Patriæ, privatæ publicæq; spei præsagia tumulantur. Nec liberis tanti est felicitas solii, in qvod naturæ suffragiis enituntur, cum non beatius sit regno, qvam parentum obtutibus frui, nec corona potior, qvam eorum vita. Mæret proinde regia, ubi hæ fatorum vices Regum atria pulsavere: Mærent provinciæ,

qvi-

qvibus viduata Principe potestas luctum & sqvalorem indicit, &c.

Qvoad formationem Sententiarum.

IMprimis brevi ambitu conclusa, sensu prægnanti sit sententia, qvam figura vel tropus exornet, nimirum synecdoche, &c.

Hinc gratia illi sententiæ apud Statium: Primus in orbe Deos fecit Timor Item: Nil falsum trepidis. Item: semper pavidum est scelus. Item Paterna Prolem fortius allicit urgetq; virtus. Et illi apud Senecam: Facile provocantur mala absentia. Item illi: Male respondent coacta ingenia. Item: Langvet absqve æmulo virtus. Item: Arma bello milites pace franguntur.

II. Allegoria exornantur Sententiæ non vulgariter. v. g. ubi virtutis cultura accesserit, nihil sterile est. Item: Multorum capitum ambitio nunqvam in unum corpus coalescit. Et: unum Reipublicæ corpus uno animandum est spiritu. Et: Avarum munus est, vitæ autumnum DEO dicare, non florem. Et: Inter Ledæos ridetur corvus olores. Et: Impia sub dulci melle venena latent. Et: Tranqvillas etiam naufragus horret aqvas.

III. A simili etiam non incongrue ducuntur Sententiæ sic: Qvod DEUS universo, sol cœlis, Phœnix avibus, idem Regnis Reges sunto. Item: Vites & vitia ni falcem sentiant, latiùs ex-

excrescunt. Et: sic humili fluit è fonte Tybris, &c. &c.

IV. Sententia pulchre secunda Persona effertur. Sic Sallustius: Anteqvam inceperis, consulto: postqvam consulueris, mature facto opus est. Et illa: Qvod scelere paraveris Regnum, instabile est.

V. Admittunt & Annominationem pulchriorem sententiæ sic: Festiva non sunt, qvæ festina. Et: semper formæ formido est affinis. Et: Speciosum malum est species. Item: Docent qvæ nocent. Et: Thus dum flagrat, fragrat. Item admittunt sententiæ Figuras: Traductionem, ut: Regnare qvi vult langvida regnet manu. Compar, ut: Pleriqve in castris feroces, in acie timidi. Correctionem, ut: Frangas potius, qvam corrigas qvæ in pravum induruere.

VI. Ab aliqva oppositione lucem desumunt. Sic illud Juvenalis: Rara est concordia formæ atqve pudicitiæ. Sic & illud: Crudelitas lenis est, qvæ vitia palpat non curat. Et illud: Medico nunqvam est bene, nisi cum aliis male. Item: Bonis nocet, qvi parcit malis. Item: In bello illi maximum periculum est, qvi maxime timet: audacia pro muro habetur. Sallust.

VII. Ab Eruditione sumuntur insignes sententiæ. Talis illa: De armis coram Achille Thersitem disserere indecorum est. Item: Etiam nunc citra fabulam Mars Veneri fœderatur.

Item: Ignis non unam ubiq; Trojam effecit. Et: Val Max. Fabio non dimicare, vincere fuit. Et: Nolim te Athenienſibus ſimilem, qvi qvæ recta ſunt approbant, facere detrectant. Et illud Juven. Mirum eſt, ſi Clodius accuſet mœchos, Catilina Cethegum.

VIII. A ſenſu & experientia, ut: Prima in acie oculi vincuntur. Item: Furor arma miniſtrat. Et: dabit ira vires. Et: Ingenio ſtimulos ſubdere fama ſolet. Et illud Barclaji: ſæpe temeritas & fortuna felicius judicat, qvam inter momenta prudentiæ incerta laboransqve ſolertia. Et Pacatus: virtuti addit forma ſuffragium.

IX. Ex ſcientiis & artibus variæ ducuntur ſententiæ. Sic, Etiam ſolem ſuæ deformant maculæ. Item: Linea recta linea breviſſima. Item: Nec inter ſidera omnia ſunt primæ magnitudinis, &c. &c. Item: Nullum caruit exemplo neſas.

X. Sententiæ acutæ unde ſuum acumen ſumant, ſeqventi Capite dicetur.

XI. Sententiæ admirabiliores ſunt, qvæ non vulgari ſed docto contextu rem alioqvi obviam efferunt: vel rem non obviam adhuc miro colore adornant Allegorico, vel reconditum qvid ſpirante. Sic in Pentecoſte dictum: Ardentiſſimus Amor ignem fervido menſe perpluit. Amoris enim pluvia Ignis eſt. Et de Paulo B. Stanislaum Koſtka, inſeqvente: Fruſtra cum fuga illius certamen init furentis fratris qvadrigarum

rum cursus : velocior est pedes, Amor qvam Furor auriga. Et: Fugientis impetus, qvi terris non potuit cœlo debuit terminari. In cœlitum ergo sedem igneus transfuga demigravit: Ignis enim fuga in sublime est. Fugientem meta & præmium excipit cælum. Et de Pilato: Nudam non agnoscit veritatem, & innocentiæ candorem. Scelestissimi Judicis non ferunt oculi, Cruentum colorem amat crudelitas, artifice laniena induendum.

XII. Sententiæ Adagicæ hoc spectant. Ut illud tritum: Nec Dares contra Eutellum. Et: Nanus in Colosso Gigas sibi videtur. Et illud dictum Alexandro à Cytharædo: Aliud est sceptrum aliud plectrum.

XIII, Mire exornat sententias, si ut Paradoxum efferantur. ut illud: Nil prodest, qvod non lædere possit idem. Et S. Chryst. Nemo læditur nisi à seipso. Et Gaspar Ens: Placentini Veronensibus potiores.

XIV. Gratiam sententiæ conciliat opportunus in verbo lusus. Ut Non qvantum cupis, sed qvantum capis hauriendum est. de qvo in qvinto.

XV. Pulchre in sententiam trahuntur carmina Poetarum. Ut: illud in subdolos: Timeo Danaos vel dona ferentes. Et illud: Rode caper vitem, tamen hinc, dum stabis ad aras,

In tua qvod spargi cornua possit, erit.

Et Virgilii istud comminatorium:

At sperate Deos memores fandi atq; nefandi.

Caput III.

Tertium Cultioris Eloqventiæ Fundamentum Acumen Oratorium.

ITa jam fert ſeculum, ut nihil ferme avidius audiat qvam qvod argutum: tanto illi admirabilior, Eloqventia qvanto acutior, & qvæ plurimum hac ſeſe oſtentantis ingenii pollet illecebra, qvæ acumen eſt. Nec ipſe aliud ſentio, ideo tertium id mihi Admirabilis Eloqventiæ Fundamentum, qvod ut optime collocem, ſit.

Sectio I.

§. I.

Leges Acuminum Oratoriorum.

I. Aliqva acumina Epigrammati potius qvam Orationi deſerviunt, eo qvod illis aliqva levitas inſit, qvam ut Epigramma, vel Epiſtola, vel Colloqvium Familiare non ſemper refugit, ſic gravitas Oratoria non admittit. Qvis enim Orationi acumen illud Mureti de Naſuto inſerat?

Si tuus ad ſolem ſtatuatur naſus, hiante
Ore, bene oſtendet dentibus, hora qvota eſt.

Vel illud: Malo ego diphthongum, vocales tu Lyce, binas.

Vel illud in Surii nomen: Aere gaza tibi turgeat, ære mihi.

Una

Una tibi pulchrum corrumpit litera nomen
Nimirum Surius diceris; es ſpurius.

Vel: Attale ſalſus homo es, cur? qvia multa bibis.

Vel illud de barbaro nuper è pugna profugo:

Hircum barba probat, nuperrime te fuga Cervum.
Ergo merum nobis Ens rationis eris.

Et in rudem: { Doctior & Muſis, & Phœbo doctior eſſes,
Si foret ex omni ſtipite Mercurius.

Vel illud de Otthone Sylvio, ſibi ante mortem oculos eruente:

Dormire vult, ideo claudit feneſtras alludendo ad illud qvod ſomnus ſit frater mortis.

Et illud Mart: { Nos bibimus vitro, tu myrrha Pontice, qvare?
Prodat perſpicuus ne duo vina liqvor.

Econtra: Illud Plinii qvam graviter acutum! vidimus humeſcentes tuos oculos, demiſſumqve gaudio vultum, tantumqve in ore ſangvinis, qvantum in animo pudoris.

II. Acumen Orationis frigide affectatum cavè. Tale videtur illud de Angelo in caſtris Sennacherib 180000. dormientium hoſtium perimente: Per tenebras cæcutiente Angeli gladio Aſſyriorum millia 180. ſomnus conſignavit Sorori, id eſt morti. Tale & illud eſt Hegeſiæ qvi in Alexandri laudibus nati ea nocte, qva Dianæ Epheſinæ templum conflagraverat, di-

conflagraverat, dixit: Minime mirandum, si Dianæ templum tam gravi incendio arserit: qvippe Dea in ipso Olympiæ partu, qvo Alexander editus, obstetricandi laboribus districta, ignem non valuit restingvere. Qvod acumen Plutarchus tam frigidum censuit, ut illud incendium restingvere potuisset.

III. Lex. Acumina sint argumento Orationis & Personæ accommodata: ita ut si gravior sit & seria, gravissima tunc usurpentur acumina. Gravia illa sunt Legatorum Darii ad Alexandrum apud Curtium: Vide qvantum post te reliqveris, intuere qvantum petas: Periculosum est prægrave Imperium: & difficile est continere, qvod capere vix possis. Et nostræ manus expeditius rapiunt, qvod continent. Nescio an Darius non ideo multa amiserit, qvia nimiæ opes magnæ jacturæ locum faciunt, &c.

§. II.

Fontes Acuminum seu Argutiarum potissimum non vulgari Eloqventiæ deservientium.

DIxi, Potissimum; nam etiam aliud dicendi genus ad se hinc plurimum derivare potest: Moneo tamen Acuminis & argutiæ nomine intelligi dictum qvacunq; Sententia comprehensum. qvod ingenii plurimum præseferat, tum res etiam inter se dissitas maxime combinantis, tum rerum ac eventuum causas, & qvaslibet cir-

circumstantias subtilius penetrantis, & abditum aliqvid indagantis, eruentis aliqvid inexpectatum, ac in omnes partes oculati.

I.

Fons Acuminum Oratoriorum.

PUlcherrimæ sunt argutiæ, qvæ ex contrariorum vel qvasi contrariorum pugna & dissimilibus aut secum pugnantibus eruuntur. hinc qvibusdam Acumen nihil aliud est nisi concors Discordia. Ex hoc fonte dictum illud de Caligula Cæsare: In castris, id est, Mortis vestibulo, vitam hausit: nondum puer, jam miles: prius gladium vidit, qvam Solem. Sed præposteram vixit ætatem, nam ut Mavors natus, ut Bacchus vixit, fortior infans qvam adultus.

Sed hæc opposita debent habere aliqvam Admirabilitatem ex eo qvod sint præter spem & opinionem adhibita. ut illud de Divo Chrysost. Securitatem qvam daret aliis, rapuit sibi. Vir in omnibus aureus etsi ferreum probarit tolerantia; veram invenit Patriam, cum in exilium properaret.

Hæc qvasi opposita Compar pulchre exornat: ut de Diva Agnete Ambrosius. Mori adhuc nescia, sed parata; nondum idonea pugnæ, jam matura victoriæ, certare difficilis, facilis coronari, & qvæ non habuit, qvo ferrum reciperet, habuit, qvo ferrum vinceret.

Huc refer Antitheta Oratoria ut illa de Stirpe Jagellonia: Gloriosum magnis Heroibus,

bus, in pulvere prius & Sole, qvam in Solio Patriam tueri. Nimirum in Regnatrice hac domo natos isto maxime indicio agnoscit Orbis, qvod non prius sceptrum qvam hastam in manus admittere soleant, neq; coronæ prius qvam galeæ caput submittant.

En qvam varie nostri & osculum Judæ per hunc modum efferunt: A signo pacis exorditur bellum: osculo amoris internuntio & blandimentis abusus amicorum. Item: Inter amicos osculorum anhelitus odii venena despumans, amicitiæ symbolum vertit in tesseram proditionis. Et Instrumento pacis, charitatis pignore vulnus infligit; amoris tessera hostili servit odio. Nimis noverat ex Amoris castris barbarus transfuga, nullis Amorem armis gravius vulnerari qvam suis.

Ex eodem fonte illud: A vitiis exorsus, in virtute confecit ætatem, miserandus, qvod ita inceperit; mirandus, qvod ita desierit; non idcirco postea innocentiam minuens, qvod ætatem augeret. Virtutum iter qvando alius inchoasset, absolvit.

Item de Duce religioso in Cœlites: Hostem dejicit, dum manum erigit; hosti etiam gravis, dum amicum sibi Cœlum inermi prece expugnat.

Et de S. Martino: Dei beneficia provocans suo, parte chlamydis, totum emit Empyreum. Item de impuro libro: cur est hic effrons, etsi multorum capitum liber?

Recur-

Recurrunt ad hunc fontem & Poëtæ: Hinc Bahusius:

Stultitiæ laudes scripsisti primus, Erasme;
Indicat ingenium stultitia ipsa tuum

Item illud de Poetarum Entheo: Poeta tum maxime sapit cum maxime furit. Et illud in præcox ingenium Trochaico:

Curre curre Magne Vates me juvat lentum seqvi,
Tarda qvercus esse malo qvam repens cucurbita.

Et illud Claudiani: - Diligimus pariter pariterq; timemus Ipse metus te noster amat, &c.

II.

Fons Acuminum.

EST causa ingeniosa & inexpectata alicujus effectus & dicti præcedentis. Eruitur hæc tum à loco intrinseco vel extrinseco, cum figuris qvibusdam, potissimum Annominatione, Antithesi aliis in causam tractis & per modum causæ enuntiatis.

Patet in illo: Aulæ gravior, (qvod levis esse nollet.

Et de Domitiano: Fratrem sustulit, ut se attolleret.

Item de proculcatis Coronis: Qvin etiam auri præstigias duas decepta mortalitas non videt: qvod aurum in capite, atqve adeo in oculis ferat, calcando despexit.

Et de Nativitate Christi: subiit suburbanum antrum paritura Virgo sanctissima comite Josepho: nondum enim urbes Virginitas & sanctitas incolebat.

Et illud de Uladislao IV. Adscivisti in hujus Societatem Victoriæ Serenissimos Fratres Alexandrum & Casimirum: sive ut Patria sacro Heroum ternione redderetur inviolabilis, sive ut hostis victorem sibi liberali optione deligeret: fuitqve hoc admirabile Fatorum opus, ut tribus cederet victoribus qvoniam ter cadere non posset.

Et illud de Probo: In corrupto seculo ille integer: ut scias magna inter vitia magnæ Virtuti locum esse.

Et illud de Caino: Urbem primus condidit, & merito; ut si campis securitatem depulerat, carcerem sibi moliretur. Sed nulla impiis tuta est latebra, &c. &c.

Nec illud omittam Elogium sepulchrale fortium, Eheu: Stanislaus Zolkievius ibi vitam amisit, ut Patria inveniret, victurus nisi vincere maluisset. Ibi Carolus Chodkievvicius victorem effudit spiritum, ut Patriæ inspiraret: ibi tot strenui Bellatores, daturi uberem gloriæ messem è campo sangvinis.

Ad eundem fontem spectant illa de Caligula Cæsare, qvi primus aurea corona usus.

Primus Apollinea commutas fronde metallum
Cæsar, & aurifero stringis in orbe caput:
Insano capiti fragiles per tempora frondes

Non

Non sat erant : nodo te meliore ligas.

Et : *Sæpe genus jactas Romanum Trossule : credo*

Nam Roma multos legimus esse Brutos.

Et in Paulum Eremitam foliis Palmæ vestitum :

Totum te Palmis vestiri, Paule, necesse est :

Namq; Tui toto corpore victor eras.

Et : *Hæc ego jure sales Epigrammata dixero : qvare ?*

Nempe sui faciunt sæpe relecta satim.

Eruitur secundo Causa Ingeniosa è sententia vibrante : sic illud acuitur ; utrumqve Judex testem seorsim de criminis loco scitatus, utrumqve discrepantem invenit, & mendacium mendacio detectum ; dulcius nihil radiat, qvam veritas, cum nubem fregit:

Et illud : Tot inter mortes mortem reperies; miserius enim est misero animam trahere qvam tradere.

Et illud : In Patriæ incendio & ille rogum invenit ; nam qvi sceleribus inclaruit, sola rogi luce indiget qvam meretur.

Et illud Uladislao IV. Tua solius trophæa sunt, qvas intranti obvias moles vides, Tuo bellatoris ferro non cælo artificis elaboratæ : non eget hederis alienis qvem suæ ornant laureæ.

Et illud : Lingvam Martyri præcidi jubet; nam prima Tyranni cautio est in lingvas.

III.

Fons Acuminum Oratoriorum.

EST cum alicui dicto seu Sententiæ, subnectitur alia præcedentis destructiva. Sic de Impio Rege: Clarior fuisset si fuisset obscurior: regna meritus si non regnasset.

Simile de Miecislao II. Poterat felicior dici Boleslaus nisi secundum hunc genuisset.

Item de qvodam: Vir in omnibus aureus nisi qvod avaris non placeret.

IV.

Fons Acuminum Oratoriorum.

EST lusus in verbis qvi vel est Traductio, vel Annominatio, vel nomen Æqvivocum vel locus Conjugatorum, vel Notatio Nominis. Ultimum seorsim ponam, interim moneo, Admirabili Oratori lusus hos gravi sententia esse temperandos, ne ad confinia levitatis deflectant. Adverte. Etsi ad secundum Fontem hinc aliqvid derivari posse dixerim; tamen hoc loco aliter adhibentur, ibi autem tantum per modum Causæ.

Lusus in verbis à Conjugatis Traductione, & Annominatione ducti.

Talis lusus est ille de corrupto seculo: Ætatem vitiis anteverterant homines, nondum adulti, jam adulteri. Non diligenti manu mittenda erant fulmina, qvæcunqve caderent. in scelestum casura. Hominem inter homines nul-

lum

lum reperisses, sed vel Angelos vel belluas, vel ara Deorum dignos, vel hara pecudum.

Tale & illud Tullii in Verrem: Qvæ ista cum cognovisset novus Astrologus, qvi non tam cœli rationes qvam cælati argenti duceret, &c. &c.

Tale & illud de Clementia Principis: Non superest qvem metuas hostibus metuende Princeps. unum hoc times, ne timeare, animorum victor pariter & armorum.

Tale & illud de Uladislao: Cessit impar tanto æmulo mundi terror Amurathes, ne caderet; si non hoc ipso prostratum orbis videt, qvod supplex Tibi veniam ac pacem orans prociderit, &c. Moscoviæ tellurem vix pede presseras cum oppressisti.

Tale & illud de S. Gregorio Thaumaturgo: Difficilius sæpe montes moveri, qvam mentes expertus.

Et de S. Joanne Baptista? In deserto etiam disertus, qvi urbem fugerat, Urbes ad se traxit.

Et illud de Tito: Exuit ferocem animum, cum purpuram induisset.

Et illud de qvibusdam in Panegyrico non commemoratis ob scelera: Novo igitur supplicio scelera ulciscitur, dum tacet scelestos: calamo ponis, qvos expungit, totq; capita obtruncat, qvot truncat nomina.

Et de Divo Martino: In solo miserorum amore eo usqve constans, ut facile pateret eum sub Constantio meruisse.

Et

Et de Boleslao Audace; Et tamen interrogare ſuam audaciam debuerat, cœlone oppugnando par eſſet? ultra nominis audaciam progreſſus fidem ſuo fecit nomini.

Et illud Ferrarienſ Hactenus perluſtrationem illuſtriorem advena Xaverio qvam nativo ſole Indiam, hoc eſt è Poetarum mente ultimum Solis cubile: ſed non qvieſcit Xaverius ubi ſol cubat, per invia avaritiæ, pervia charitati ſpatia excurrit.

Deniqve huc illud ſpectat: Illis modulantibus in furorem acti hoſtes, inter ſe digladiantur, paribusqve momentis illi canunt illi cadunt, chordarum concordia cordium diſcordiam irritante. Riſit Mors Muſica imbellem numerum, cadere ad numeros, & lyram inter arma numerari, ut inter aſtra.

Hic multi Poetæ: magis ex hoc qvam è caballino hauriunt. Sic illud ad Hæreticum: Ore manuq; canis, caneres tamen aptius, Aule,

Si ſe tot fidibus jungeret *una fides*.

Et: Cur aurum inſtabili nomen deduxit ab aura?

Fluxa nimisq; fluens eſt utriusq; fides.

Et in ſenem divitem:

Fine coronari dicuntur cuncta; vovetur
Hæc etiam vitæ Plute, corona Tuæ.

LUSUS in verbis ex nomine Æqvivoco, vel qvaſi æqvivoco. Talis ille luſus eſt: Incipite Principes qvæ præcipitis; Male imperat, qvi imperat tantum.

Item

Item de læto obitu: Nullum libentius solvit debitum, qvam supremum.

Item illud de Nave Noëtica: Hæc neqve velo acta neqve remige, semel omnes mortales in novum orbem trajecit.

Item de Christo hortum ingresso; Alter Alcides hortum ingressus non ut sumeret, sed ut absumeret mala. Et de Adami esu; Tantum malum orbi attulit prægustatum Adæ malum.

Hinc & Poetæ sæpius. Sic illud in malum Oratorem:

Qvis neget orando populum te, Flacce, movere;
Orantem qvando concio tota fugit?

Item in illum ære alieno obrutum:

Mercator jacet hic, cujus mihi nomina longum
Dicere; nam moriens nomina mille habuit.

Item illud de damnato: -- *ô qvam velles*
Interdicta forent ignis & unda Tibi. (qvod est supplicium exulum)

Et: *Convenisse suis dicebam nomina rebus,*
Cum porrexisses tam mala, mala mihi.

V.

Fons Acuminum Oratoriorum.

EST varia Eruditio ab exemplis, Historiis, fabulis, ritu & consvetudine gentium desumpta: item ab iis, qvæ ad alias spectant scientias: si tam illa, qvam hæc ad rem tuam ingenio

genio moderante detorqveas non ſine illecebra venuſtatis.

Sic acute, illud de urbe in mari ſita ſtupris infami, dictum: Nec loci genius à bruta libidine alienus: nempe Venus in aqvis nata ibidem renaſcitur,

Et in Aqvilinum fulmine petitum: ſolam hanc Aqvilam fulmen petit, non in aliorum duntaxat, ſed in ſuum etiam caput Jovi fulmina miniſtrantem.

Et illud de Oratore inter Cardinales adſcripto; Vaticanæ Purpuræ Patribus adlectus, ne ſuus Mercurio galerus deeſſet.

Et illa acute de Divo Thoma dicuntur Eruditione à Mathematicis deſumpta: Cælum in paginam tranſtuliſti; nullum in eo micat, niſi primæ magnitudinis ſidus, & qvæ Tibi luminum copia eſt, viam lacteam vel ipſo exprimis atramento: qvæ argumenti felicitas, inveniſti in Stellis ſingulis plura ſigna, cuivis ſuperbiam factura Zodiaco.

Etiam id Poëtis familiare: Sic illud:

Dum fugis ex acie, fruſtra culparis, Alane.
Pugnam Parthorum more, modoq; cies.

Et in bene capitatum:

Una Jovis cerebro, tibicum ſit grande cerebrum,
Ex illo naſci bina Minerva poteſt.

Et illud: Alter Ariſtoteles noſtro jactaris in ævo,
Illius Euripos Eunomiane cane,

Et

Et illud: Sit nox centoculo qvamvis oculatior Argo,
Plus uno cernit lumine lusca dies.

VI.

Fons Acuminum Oratoriorum.

SI res efferatur per sensus reconditos & profundos, nec obvii ingenii sed docti specimen referentes, distinctos tamen à superioribus fontibus Sensum vero hujusmodi desumes (ut supra dictum) à nova rerum combinatione, vel contraria experientiæ ac effato, sensuiqve communi, vel hæc superante; vel ex aliqva rerum Analogia ac Sympathia combinationi ingeniosæ deserviente.

Tale est illud: Sacrificium prætendens templum diripit: deerat hoc miseris, Regum pietatem timere. Vide plura exempla in sensibus Admirabilibus.

Et Poëtis hic fons familiaris. Sic illud in Monoculum:

Non patitur geminos Soles illustris Olympus:
Cum cælo qviddam frons Tua moris habet.

Et illud: Candide, venaris lepores, sed prædia perdis,
Actæon canibus sic eris ipse tuis.

Et illud: Si non vis blæsus, si non vis balbus haberi,
Do tibi consilium, Pontiliane tace.

Et

Et illud Sarbievii in malum Poetam de sanctis Magdalena & Afra scribentem: Digna fuit lacrymis Magdalis, Afra focis. scilicet Poema de istis sanctis.

VII.
Fons Acuminum.

ISqve locupletissimus circumstantiæ & Adjuncta rerum, Personarum, loci, Temporis. Adverte adjuncta rei potissimum esse sex: Locum, tempus, occasionem, modum, facultatem, instrumentum. Adjuncta Personæ secundum Ciceronem duodecim: Nomen, natura, virtus, habitus, fortuna, vita, affectio, studia, consilia, facta, casus, oratio.

Acumen ex circumstantia nominis.

DEducitur hoc vel investigando Nominis etymon, vel ex eo aliqva inferendo, vel nominis proprietates expendendo; vel illud cum aliis nominibus comparando, vel ad illud Eruditionem accommodando.

Patet id in laude Divi Maximi: Maximus capacissimi nominis mensuram factis exæqvans, etiam in minimis se Maximum exhibuit, sua magnitudine illum oculis omnium prodente. Maximum tamen se negavit qvod se in dies studeret facere majorem. Sed magnitudini tantæ cum telluris obstarent angustiæ, cui capiendæ sola cæli immensitas par esset; hac sola tandem meruit comprehendi.

Pa-

Patet idem in Epitaphio Margaritæ Principis N.

En qvo Margaritas oſtreo Mors includat! Frugalem qvis male fingat Mortem, plebejo non eſt contenta cibo, Cleopatræ ferculis aſſvevit, dum Margaritas ut ſorbeat in pulverem atterit. Væ mundo ab ingluvie canti monſtri! pretioſæ dapes acuunt novam famem.

De Leone Sapieha eſt illud ex nomine: Invicta hæc Domus Leones ſemper generat; nunqvam Cervos. Usqve adeo Elizabeth gratiæ olim partu celebris, Hoſtium terrorem parturit & Leones: Te tamen poſtremum edidit, ceu de grandiore partu diffideret, cum Leonem edidiſſet.

Brevius luditur à nomine in Filium Tullii degenerem: Paterni nominis nihil habuit præter ſyllabas.

At de Miecislai Uxore Rixa: Admirandus omnino Princeps, qvod cum Rixa pacifice vivere potuiſſet. Fuit hæc vere ſui nominis, cui fidem fecerat innata ſexui affectuum impotentia Pacis publicæ perturbatrix. Felicior illa Mater qvam uxor qvod filium Regno dederit componendis civium diſſidiis natum, adeo ut Rixa Matre genitum negaſſet.

Et: Barbariem mentitum in Barbara nomen. Huc ſpectat laus Trajani apud Plinium de accuſato Patris Patriæ nomine: Nonne his tot tantisqve meritis novos honores & titulos merebare? at tu etiam nomen Patris Patriæ recuſabas;

bas; Qvam longa nobis cum modestia tua fuit pugna? qvam tarde vicimus! Nomen illud qvod alii primo Principatus die receperant, tu eo usqve distulisti, donec tu qvoqve benefactorum tuorum parcissimus æstimator, jam te mereri fatereris. Itaqve soli omnium tibi contigit, ut Pater patriæ esses, anteqvam fieres, hoc tantum cæteris major, qvod melior. Eras enim in animis nostris, eras in judiciis nec publicæ pietatis intereat, qvid vocarere, nisi qvod ingrata sibi videretur Patria, qvod te Imperatorem prius vocaret, cum Patrem prius experiretur.

Etiam Poëtæ ex hoc fonte delibant. Sic Bidermanus de S. Clara.

Præsentem gestas ipso præ pectore Solem,
Hinc bene te Claram dicere qvisqve potest.

Et Bahusius de S. Ursula: Ursa minor majorqve vale, mea carbasa posthac
Ursula cum sociis virgine luce reget.

Item Senatori sic qvidam precatur:

Grande Senatoris tibi nomen adhæsit; ô ergo
A senio nomen tale, Senator, habe.

Acumen ab Adjunctis seu circumstantiis Fortunæ.

ADjunctum Fortunæ continet. Genus, Stemma, Honores, &c.

I. Acu-

I.

Acumen è Natalium claritate.

Generis ſplendor proponitur acute, vel ſic:

Vix pulchrius coloratur nunc Oratio, qvam imaginibus majorum; vix cuiqvam ſvavius ineret Eloqventia, qvam ceris avorum; qvaſi non ilius laudes Heroum ad maximum deducat, am ſi à Majoribus ordiatur.

Vel ſic: Avitos ejus fulgores non qvævis palbra impune adſpexerit; meridianum hic credelem, in qvem oculos nemo conjecerit, qvin ndex in palpebra lumen perſentiſcat. Perinxiſſet olim oculos Poloniæ tanta Serenitas, ſi in Aqvilam incidiſſet non ignaram, ad ſereius aſtrum cæcutire, noctuarum id eſſe non Avilarum. Item de alio: E Rege natus nunqvam Regem credidit, niſi cum ſe ſubjiceret ſibi. Et ud Genere & ingenio laudatiſſimus Princeps, Solem originis ſuæ ſe vix natus explorans, os Heroas referebat in nomine, eosdem reſtiere ſtuduit in virtute. Rapitur nempe excelns indoles in ſimilitudinem ſuorum.

Et illud in funere prænobilis adoleſcentis: At ,Parentalis Dolor, gentilitiam inprimis ejus oriam perſcrutare. Creſcet hinc luctus materi, ubi à tam nobili ſtirpe, plantam noveris recim. neqvit non eſſe luctuoſum, eos extingvi, vibus tam ſplendide naſci contigit, æqve triſtior ccaſus afficit, ac ortus ſerenior recreabat.

Se-

Secundo, Ad Natales acute deducendos juvat Digressio de Majoribus in particulari, ut est in Panegyrico qvi inscribitur Rosa Pstrokoniana, & aliis.

Tertio virtutum & meritorum radiis lucem Natalium auctam ostendunt. Sic illud: Avorum claritatem, armorum fulgoribus illustravit, ne tanto minor esset, qvod Majores tot haberet. poterat Auctor hujus splendoris esse, nisi hæres fuisset.

Item: Non otiosus Majorum fuit sudor, dum velut suffragiis posterorum gloriæ laborabant. Tu vero nisi à Majoribus senio qvodam ac sacra canitie venerabile genus accepisses, fecisses; dum tantum familiæ addis splendoris, ut non ita ex illius claritate Te æstimem qvam illam ex Tua. Sic enim ancillante Fortuna pulchre Tuum confundis genus, ut intra Majores Tuos esse merearis, illi intra posteros Majora illa, qvæ Tibi debes, nec munera censeri possunt fortunæ, qvæ una Tecum erigis.

II.

Ex Stemmate Acumen.

I. IN Svada Civili plurima de Stemmatibus affero, hic aliqva propria hujus loci. Eruuntur hic acumina vel ex Adjunctis rei in Stemmate depictæ: Sic de Avido Lubomirsciorum flumine Orator: Ab hoc Tu amne stare inscio, qvin bono Reipublicæ devolvatur, in largiendo celeritatem didsicisti. Illius nomen dulcedinem

nem nec inter maria amisisset. At idem ut Patriæ fida semper tranqvillaqve statio, ita barbaris Myoparonibus inevitabile naufragium. Qvoties ille rubuit cruore barbarorum? qvoties ingenio ad candorem revocato, crystallo purior fluxit?

Sic & illud: Inhæret capiti mucro; ut jam inde Patriæ nonnisi armata prodeant consilia.

Sic de tergemina Cruce Potociorum alius: Non unam Poloniæ lauream ominatur tergeminum Potociorum insigne, qvando victrici Crucis signo non solius est vincere Constantini. Ne vero ab illa stirpe unicam felicitatem speres, tergeminam crucem vide. nempe nimium felices haud decet felicitatis in commune Parsimonia.

II. Vel ab Eruditione ad Stemma accommodata, qvam habes in Svada Civili. Ut de avitis Samoysciorum hastis: Pallas ipsa non alias aut erere sagata vellet, aut togata regali desigere monumento: non alias Asiæ Victori Lysippus le pro fulmine in dextra collocaret. Ivere per rias manus Scævolarum dicerem, qvia notæ ortitudinis, sed qvia errare in hoste nesciunt, aud occurrit par nomen.

III. Vel ab Allusione ad Gentilitiorum armorum colorem. Sic de Rosa Pstrokeniorum: candidam ne mirere; cur enim erubesceret hanus, nil invenit. Longa illi ætas hos induxit nos, ut simul induceret recurrentiam. aro ætates hæc vivit integras, non æstates, & ve-

venustati adjungit etiam vetustatem. De eadem est illud:

Cur Rosa Pstrokonidum pura nive purius albet,
Concolor est Domini moribus iste color.

IV. Vel à Comparatione rei ejusdem cum alia. Sic de avita Navi Czarniecii: Vexit hæc Argo totius Poloniæ Fortunam, dum ille fabuloso major Jasone, non tam vellus aureum qvam veterem Polonæ fortitudinis gloriam repeteret, &c. De eadem est illud:

Jasoniam cœli spatiis depellite Navem,
Digrior his fuerit Czarnieciana ratis.

Illud de Luna Daniloviciana;

Exuit ingenium Lunæ tua Luna, vicesqve,
Nam præter nomen cætera Solis habet.

Et de Gentilitio qvorundam Eqvo:

Curre vel immensæ Sonipes per Olympia Famæ:
Nam Tibi pro meta Fama perennis erit.

Et de qvorundam insigni, qvod est Ursus cum Virgine coronata:

Ursus & augustæ radians in luce coronæ
Virgo, tuæ condit nobile Stemma Domus,
Cum sic Virgineo tuus emicet Ursus in auro;
Urso cœlestis fit minor ursa tuo.

Alluditur etiam ad Auctorem Stemmatis & causam ejusdem.

III.

Acumen ex plurium Stemmatum combinatione.

SIc sensus ille: *Felix hisce Heroibus Polonia;* acute per Allusionem ad plura Stemmata efertur: Qvoties Accipitrinorum vel Olorum pennis in altum provecta Poloniæ felicitas, qvoties Lunæ Stellisq; cœlo Patrio perenne affulgentibus illustris, avitis Pilavæ Crucibus consecrata, in Agni vellere Jasonis cariore conspicua, in Leone flammas eructante inaccessa & formidabilis, cum argenteis Szrzeniavæ fluminibus late gloriam diffundens, in muro Leonis septo excubiis inexpugnabile nacta munimentum, in Urso Cœlesti Cynosura jubar augustius, in Uri Capite sortita Capitolium Bonæ Mentis, in Rosis perpetuum sibi Ver afflantibus vere floridum nacta sedulum Gentilitiæ qvorundam fasciæ nodo (cui serius Polonæ gloriæ omen, qvam Gordio Asiatici spem Imperii fata innecterent) Fasciæ inqvam nodo splendide cincta, Tauro velut victima solennis honorata, deniq; armata sagittis, munita Soleis, sculta vomeribus, Acervis vallata, &c. &c.

IV.

Acumen à Circumstantia Honoris.

IUxta illa qvæ in Svada Civili habes de Gratulatione Honoris Acumen potest desumi tum ex honorum insignibus, tum ex Muneris præ-

ſtantia,tum ex meritorum fulgore, qvibus evectus,tum ex nomine Muneris, ſi acumen patitur decorum,tum à Modeſtia honorati.

Sic luditur ex inſignibus Regiis:

De Coroua: in aliis non raro præter aurum nihil in vertice coruſcat, ſed tua hic mentis immenſæ capacitas coronatur, nec majores coronato Capiti radios affundimus quam diffundas. Coronæ aliis coronis gloriæ ac honoris ſunt, tibi primordia, non qvod tibi ſatis gloriæ non fuerit ante Coronam, ſed qvod in glorioſe geſtis nullam, ignarus termini, coronidem patiare. Nec impreſſum capiti pondus aureum ita mentem opprimit, ut hæc in rem boni publici non ſubvolet. Et pondera nempe morum imprimunt, niſi qvod Baſilicum id regalis coronæ pondus, qvantum nos infra Te deprimit, tantum te ſupra vulgi Procerumq; capita attollit,adeoq;unus inter omnes non ſecus eminere indicio Coronæ comprobaris, ac aurum inter metalla. Expalleſcit hoc aurum, ſe, fæcundum conſilii caput unica exornare gleba unde ſerenius ipſa eluceſcit

De Sigillo Cancellarii: Majoris annuli curam qvam gemmæ adinſtar Tua illuſtrat virtus, ſuſcepiſti. decuit hoc tandem ſymbolo immortalia merita inſignirio & Tuis initiatam laudibus æternitatem hâc veluti arrha deſponſari. Honorarius Regis anteambulo factus docuiſti ut præire Fortunam non ſeqvi ſoleres,niſi qvod ſe cum vitream aliis, Tibi gemmeam præbuiſſet, minoris

Annu-

Annuli gemma Tibi consignata. Macte! hic te Annulus æternitati insinuat.

De Clava Ducis: Erit cum in virentes tibi laureas effrondescet & Imperialis Clava, non minus hosti Patriæ fatalis, qvam Herculis Clava monstris.

De Principis Trajani Modestia: Est hæc natura sideribus ut parva & exilia validiorum exortus obscuret, & sæpe aliorum adventu dignitas inumbretur: Tu tamen major omnibus, sed sine ullius diminutione major, &c.

Item: Recusabas imperare; igitur cogendus fuisti. cogi porro non poteras nisi periculo Patriæ & mutatione Reipublicæ. Obstinatum enim Tibi non suscipere Imperium, nisi servandum fuisset, in magnâ vi, magno terrore modestia Tua vincenda erat.

Et illud ex eodem fonte: Consulatus ipse sibi tuis humeris attolli & augescere videtur, qvem suscipiendo gerendoqve majorem facis. Tu quidem ut maximum recusasti sed hoc persuadere nemini poteras, nisi aliquando & non recusaveris. Doces futuros Principes non ideo tantum velle Consulem fieri ut fuerint.

Idem sentiendum de Adjunctis doctrinæ, virtutum, ætatis. Ut in illo patet: Longe à proposita brevitate Oratio declinaret, si tuam Infantiam qvam æternitas suis jam involvit fasciis, senescenti orbi in solatium revolveret. Et: In immensum crescceret Oratio, si viriles annos in ætatis flore exhibitos, &c. &c.

V.

Ex Proprietatibus seu Adjunctis.

Artis vel Scientiæ Acumen.

ARtes intellige tum liberales illo contentas Versiculo:

Lingva, Tropus, Ratio, Numerus, Tonus, Angulus, Astra, id est Grammat., Rhetoricam, Dialect. Arithmet. Musicam, Geometriam, Astrologiam, tum etiam illiberales, inter qvas est Ars militaris: item scientias tum humanas, tum Divinas; ex harum enim notitia & vocibus inibi usitatis, ac in tuam partem non inconcinne translatis acuetur Oratio. Exempla passim in aliis videre licet, hic sufficiat.

Salutatio Areopagi Sarmatici à Mathematico dicta.

NEc Mathesi salutandi officia licuit detrectare, ubi novatori Patrii sidera illuxistis. Nova post exortum in Cygno & Cassiopea Phænomenon sese hic offerunt Astrologo raræ magnitudinis lumina cujusvis Zodiaci radios extinctura, nisi qvod fixarum indolem Stellarum haud præseferant. Nec Arithmeticæ inter Judicum subsellia non satis fit. Subtrahi è dierum calculo peroptat, qvoties foro vestri orbitas inducitur, qvoties sedem hic figitis, addi & multiplicari in immensum. Non aurea potior illi regula, qvam leges aureæ, qvas fovetis. Qvodsi ad tubos assveta est Opticos Mathesis; etiam citra telesco-

ſcopii uſum Urbis augeri videt anguſtias, qvoties huc deflexiſtis, vel atomos aſſurgere in molem veſtra imperat magnitudo. Qvæ hic ſpecies non ſvaviter oculis illabuntur? qvanta radiorum à veſtra luce reflexio? qvanta refractio in obliqvum? vix ullus nempe in orbe ſqvallet angulus, qvo veſtra ſerenitas non pertingat. Nec Staticam veſter non hilarat adventus: ponderibus librandis intenta, nullum grandius qvam judiciariæ auctoritatis repetit pondus, æqvitatis bilancem in vobis, & nullis partium ſtudiis circumactæ mentis æqvilibrium venerata. Ubi autem horarum ſpatia è lucis ac umbræ mortio internoſcimus, horas æqvamus ſeculis, ubi alia qvam tot novorum ſolium, qvot Procerum luce dierum ſpatia capimus dimetiri, &c.

VI.
Acumen à Circumſtantia Temporis.

ALludi ſolet hic ad proprietates temporum, dierum, menſium, imo & ad ſigna cœleſtia qvæ tunc Sol ingreditur.

Sic de Ludovico XIII. mortuo in feſto Aſcenſionis Chriſti. Duos una pompa dieſqve in cœlum Reges extulit: alter, Deo Cœli Capitolium conſcendente triumphi comes aſſumitur.

Ad Autumnum alluditur in funere Sereniſſimi Principis Sabaudiæ tunc extincti: Pluvius vobis, ô Cives, autumnus eſt, ſerenitate ſepulta:

Ulciſcimini fletibus præteritæ felicitatem æſtatis, Octobri vindemiam lacrymarum offerente, Adeo Autumnum neqviit evadere ſumma Principis maturitas! & Sole libram ingreſſo decreſcere lux magis hominibus cœpit qvam diebus.

De quadam Principe ſub Autumnum ſublata illud: Cœlo matura concidit in Autumno, & October qvi eam dederat thalamo, dedit & tumulo; ita ludente cum hominibus Sole, ut illis idem qvandoqve dies contingat funerum, qvi fuerat nuptiarum.

Et alius, Sol ipſe tanti admirator funeris, in libra etiamnum hæret, qvaſi non alia dignius lance poſſit explorari jacturæ hujus magnitudo, qvam Cœleſti. Ergo in libra Cœlum examinat noſtra infortunia?

Ex hyemis conſideratione eſt illud de obitu cujusdam; Ita vel in hyeme tua felicitas autumnavit, idemq; Tibi æternitatis, qvi anni menſiumq; initium Menſis fuit, aliis faſces novos, Tibi æternitatis faſciam impertitus.

Et illud de Principis obitu: Infenſa floribus hyems eſt, Februarius Hyacinthos non tolerat. tam mites animas, non alii qvam immaniſſimi ſuſtulere dies. Sed jam tandem extra contagium hyemis eſt, ubi amænius ver perennat.

Mortem Czarniecii qvæ ultimo Antecineralium feriarum die contigit, ſic alius expendit; Amiſere tunc nomen ſuum Hilaria, triduumqve illud diris potius deſtinatum qvam lyris, qvod intempeſtivo tanti Ducis funere communem

con-

confudit lætitiam, & lacrymas expressit Poloniæ. Jocularis Bromio Naumachia tunc placuit in lacrymis, qvibus & pocula dilueret & gaudia. Poesis illum & India velut Numen agnoverat. Jupiter est, at Feretrius, bacchantium plausus, planctibus, luctibus luxum permutans.

Huc spectant acutæ Allusiones ad festa in Orbe Christiano celebria de qvibus in Svada Civili.

VII.

Aeumen a Circumstantia Loci.

ITa de mortuo ad S. Faustinum: Ubi autem felicior Tibi mors obtingeret? qvam ubi Faustinus suo nomine portendit faustitatem?

Ita de S. Cypriano supra; Hic ut Africæ geminaret, ardores natus in Africa suum etiam Carthagini Tullium dedit.

Et de Eusebio: Non ad unius gloriam Provinciæ natus, in Sardinia animam, in Latio fidem; in Insubria Palmam accepit. Roma se dignum non putabat, ejus incola, nisi addictam spectaculis niteretur novo spectaculo pascere, virtutes omnes in se ceu in theatro circumferens.

Et de alio: Patria non moribus Asiaticus, etiam in Asia fortem nasci & ali præposuit.

Et illud de Chrysostomo: Sylvescere metuens secessit in sylvas; exuturus inter feras si qvid inter homines ferinum induisset; felix, si qvam a feris expulerat feritatem, in hominibus non vidisset.

Et de alio: In eremo innocentiam, qvam inter homines amiserat, qvæsivit. Vel: qvi viveret inter homines, didicit inter feras.

Et de Hilario: Relegatus in Phrygiam, novum Solem ab Occidente in Orientem reduxit.

IIX.

Acumen ex modo rei tractandæ qvandam novitatem præseferente.

PAtet id Primo in Valedictione Delegatis Regni judicibus in fine judiciorum dicta. Adhuc vobis una superest, qvam forum hoc discutiat, causa Æqvissimi Legum Jurisqve arbitri. Sed novam judicii formam inducimus, utpote contra judices acturi apud judices. Eundem hodie reum & Judicem forum accipiet. Nimirum de vobis placet conqveri coram vobis. Effusæ in Urbem humanitatis rei hactenus, vestro jam jam appetente abscessu, luctum eidem indicitis! Haud leve piaculum est, non consciis noxæ mænibus inducere orbitatem. Solatia dolore confunditis, qvibus per vos adimitur æternitas, dum in Urbem immigrat solitudo. Qvid? justitiæ dare justitiam, nec ultra tueri velle jura æqvitatis: cavere ultra nolle, ne metu supplicii exulante, securius regnent vitia sine freno timoris: ad hæc urbi Solem (sic enim Justitiam & recte vocat nonnemo) Solem Urbi, imo tot Soles eripere, an piaculo vacat? deniqve supplicia reis qvi hactenus irrogastis, jam insontis urbis animos vulneratis. En qvot reos crimi-

num

num facit Proceres, hoc qvod adornatis iter, Agite, & qvod alibi vix concesserim, vestris vos aut absolvite sententiis, aut ad longius hic demorandi spacium damnate. Si tamen sic rei Urbem deseritis, vel alio saltem insignes titulo eandem postliminio revisite Hospites, vel cum eadem Themidis securi, qva illam hactenus muniistis.

PATET II. In objurgatione Encomiastica Albriccii apud Jugl Si laudes Modestia respuit, Tolerantia qverelas admittat. Qvod in nullo accusari valeas, reus es. Avocas ab optimis animos, qvando exhibes meliora. Mortuo Tullio aures obstruimus, ex qvo cæpimus redivivum audire, cujus excitasti memoriam, gloriam extinxisti. Cum sine crimine dicas, Te nemo nostrum sine crimine audiat, utpote qvi cogamur illico vel desperando vel invidendo peccare. Pascendis auribus natus es: dubium tamen an earum magis acuas, an mitiges famem; cum eas nunqvam sine Tui fame dimittas. Qvo diutius dixeris, eo magis cogimur timere ne desinas. Id unum non amamus in Te, sine qvo vix qvidqvam amamus in cæteris, Parsimoniam Orationis. Auditores Tuos dicendo beaveras, qvoties svavitati adderetur æternitas. Minarum horrorem ita confudisti deliciis, ut magis à Te argui qvam laudari à cæteris peroptemus. Qvod degere cogamur Infantes, crimen Tuum est, qvi ita totam exhauseris Eloqventiam, ut extra Te nulla supersit. objurgare tamen te maluimus

qvam laudare, cum ab eo uno laudari pro meritis possis, à qvo uno non debeas.

PATET III. In Diris ac Imprecationibus Panegyricis fixi in Cruce Religiosi firmatis per Renovationem tribus Votorum Clavis. Næ tu diras mereris, felix Cruciarie! Ergo si Professus Modestiæ encomia recusas, Sectator tolerantiæ meritas admitte qverimonias: jam te sic devoveo; Obstinatus huic immorere Cruci: Tuorum hic votorum meta esto; Æternum hic affixus hære: hic te thronus Regem affectuum: hic fessum laboribus torus excipiat; sic qviescat, qvi plumam odit! Indignus es, qvi terram vel calce contingas, supra illam sic emine. Si Rhetor es, hæc Tibi qvadrat suspensio; æternum te voluptas horreat, oderit te Libertas; Cruciarius es, nec desine. Utinam te vita prius, qvam Crux hæc destituat! meruisti; causas accipe, reus es qvòd hanc speculam ascendens, ex qva humanæ profundum Inconstantiæ metuens, Te supra eam efferres. Mundum calce proteris? pulcher hic fastus, sed Mundo gravis. In Delicias cor hostile geris? in Crucem abi, & lene hoc tormentum. Qvid si etiam ideò dies Veneris in Crucem Christum egit? Latebras Religionis amas, ut ex insidiis Mundum adoriare! Hic ferve, ut orbem novus Phaëton vitæ integritate in æmulationem accendas! Adhæc rides innumeros Democrite, qvi seqvuntur, qvæ solus fugis; sic unus tu scilicet sapis; sic seculum desipit? seqvi paucos in opti-

optimis Tibi bonum est; nec pluralitas hic concludit? Qvid plura? At qvæ isthæc ambitio, per egeni titulum, in cæli Principum titulos involare? Item juratæ inopiæ nihil deest, & Centuplum adhuc expectas? Hem mihi pauperem! & siderum sceptra capit, Olympi hæres? Hem Pupillum! Cui egestas, Dives Mater, cui Pater Deus ipse! A cœca Dea nil exigis, sed à DEO qvi totus oculus? Nulla Tibi res propria, tamen totum Cœlum rapis Proprietarius! Qvid Satellitium loqvar? Nunqvam incomitatus prodis, Algor, Ardor, Fames, comites latus claudunt! qvantæ insuper id inconstantiæ? Orbem fugis, & orbem pervagaris! Imò angustus Tibi Orbis hic est, Antipodas qværis & subigis! Lucem refugis; & Indicem Orientem revisis: Pondus terrenum excutis, & Æthiopem succollas? At qvod arrogantis audaciæ id genus? Homo æmulum Te angelis candore opponis, inter homines non homo sed Angelus! qvod id arrogantiæ genus, nolle parem esse terrigenis, velle cælicolis? Cæli ingenium, telluri velle inscribere, transferre in mores, Spirituum Innocentiam? Adhæc, delicatus tu nimirum, qvi rosas inter & lilia tantùm degere velis! Item, Cùm Spinolæ sis affinis, Eqvitem te jactitas Liliarum! cùm sis Orthodoxus, puritatis studio te novum, etsi non qvoad fidem, exhibes Puritanum. Adhæc incredibilia ais agisqve, id tuomet testimonio assecutus, ad qvod ambigui Sarmatæ Mundusqve

hæreat! Juratæ servituti veram libertatem inclusisti! in servitute liberrimus, in libertate mancipium: cum sis in nullo non maximus imo (qvod persvadet demissio) & non minimus, dubium in qvo major esse possis! Liber es, & vinciris, tui ipsius Regnum alteri gubernandum tradere, omnibus Regnis nobilius reputans: verbo, non alius Tu, qvam natus es: vivere satagis Dei solius famulus, cætera liber. Ob hæc novam objurgationem, superiores diras meruisti. In Crucem iterum, in Crucem, perennis Cruciarie, qvod nulli hac in parte displicere possis, Reus es.

Sectio II.

Qvatuor Species Acutæ Dictionis ad Eloqventiam non vulgarem pertinentis.

PRæter Epigramma, qvatuor dictionis acutæ assigno Species: Orationem, Elogium, Inscriptionem, & Dialogismum. Distingvo hæc; nam Elogium latius patet qvam Inscriptio; & Orationis partes illas notissimas, Exordium, Propositionem, Confirmationem, Confutationem, &c. non reqvirit Elogium de qvo hic. His tribus adjicio Dialogismum, in qvo inducuntur plures acuta miscentes colloqvia, ut fit in Dramate, vel inter Collocutores scenicos & Declamatores, qvales in Declamationibus Senecæ. De singulis hic.

§. I.

§. I.

Prima Species Acutæ Dictionis,

Oratio Acuta.

NOn vulgariter Acuta Oratio duplex est: Alia longior, qvalis est in Panegyricis, ut est Panegyricus Trajani, Orationes Ferrariensis, Arcus Pacis, &c. Alia brevior, qvales sunt Orationes Officiosæ, Salutatoriæ, Gratulatoriæ, &c. Utriqve huic generi Orationum Acutarum, ego nunc leges non præscribam, qvia id non est hujus loci; sed tantum exponam, qvæ ad earum acumen admirabile attineant, seu unde & qvomodo acutæ reddantur.

I.

Oratio Acuta longior.

REqvirit Inventionem & Propositionem Acutam: Dilatationem & Elocutionem acutam.

Ad Inventionem Acutam pertinet tum excogitatio Propositionis non obviæ sed ingeniosius erutæ, tum argumentorum non vulgarium.

Propositio acuta & ingeniosa sumi potest

I. Ex non obvio Oppositorum nexu, ut est illa de tribus Religiosorum votis: Libertas in vinculis. Et in Panegyrico de B. Stanislao Kostka, cujus argumentum & Propositio est: Pia in Parentes impietas. Item apud Ferrarium de eodem Propositio: Ex fuga victor. Item de Pentecostes die; Beatum Incendium. Item illa Propo-

positio de Honorum Mundiq; Contemtu in B. Francisco Borgia: Sol ab occasu serenior. Item de S. Alexio: Illustris umbra.

Huc refertur illa: Conviva DEUS, id est Christus patiens & moriens, alludendo ad illud: Saturabitur opprobriis.

II. Propositio acuta sumitur ex Paradoxo, qvod in proposito aliqvid non vulgare sonat. Sic est illa Propositio de flammis Piacularibus seu Purgatorio igne die Animarum anniversario: Æstas in Autumno. Item apud Gvinisium: Cometæ felicitas. Et illa de Immaculata Conceptione,& contrito à B. V. Capite serpentis, Propositio: Contritio sine Pœnitentia. Item de B. Francisco Borgia: Oriens in occidente: ubi exponitur, ut ex umbris, qvas sibi ultrò obtruserat, clarior emerserit. Sic de B. Stanislai Seraphico amore in Deum Zona torrida in Aqvilone. Et de eodem gestante Infantem Deum: Deus Captivus. Item illa Propositio de S. Andrea Zoroardo 40. nucibus sub Qvadragesimam victitante: Fames per inediam opsonata. Sic in Festo Theophoriæ: Cibus Ambulans. Sic & Sacri Oratoris: Beneficium DEI minæ. Item: Jejunium Atlas Orbis.

III. Propositio acuta sumitur ex accommoda Scholasticarum rerum vocumqve ad Propositionem translatione: Sic illa Propositio de S. Francisco Xaverio ejusqve indefatigabili tot orarum decursu: Motus perpetuus in Divo, Orbi exhibitus. Item illa Propositio de Im-

ma-

maculata Conceptione: Sol ſine maculis. Item illa de Incarnatione Filii DEI in Annuntiatione B. V. Metaphora in Verbo. Item illa: Solennis Chriſti ad corpus receptio. Item de S. Franciſco Xaverio: Nova Gigantomachia. Similiter in Annuntiatione B. V. Propoſitio: Logica Cœleſtis ſeu Concluſiones de Verbo in utero Virginis concludendo.

IV. Propoſitio ſumitur ex Analogia eventûs in Oratione pertractandi cum alia re ſimili. Sic illa Propoſitio de 40. Martyribus in frigido lacu demerſis; Felix Naumachia. Item victori: Arcus Pacis. Huc ſpectat ſymbolum virtutis vel vitii, hinc ſumitur illa Propoſitio, in qva Allegoricè proponitur B. Aloyſius: Eqves Liliatus vel Lilium Caſtilionenſe. Sic de B. Franciſco Borgia; Phœnix Occidentis per Alluſionem ad Cineres Iſabellæ, ex qvibus hic Phœnix.

V. Propoſitio acuta ſumitur ex Honoris inſigni accommodato ad Panegyrim. Sic illa, in Panegyrico Mareſchalci Victoris. Scipio ſeu Inſigne Mareſchalci in laureas efflorescens. Huc & illæ propoſitiones pertinent, qvæ ex inſignibus ad Divorum ſimulacra appictis deſumuntur, ut ex Rota Catharinæ, Anchora Clementis, Remo Adalberti. Sic ex Corvo, qvi S. Vincentio appingitur, Propoſitio eruta: Felix augurium.

VI. Propoſitio acuta ſumitur ex generis inſignibus ſeu Stemmate ad Propoſitionem inflexo.

Sic

Sic ex Regio : Luna in Solem versa. Sic ex Czarnieciana navi & Stephani nomine : Argo Coronata. Sic ex Gentilitiis Turribus : Pharus Lechica. Sic de B. Aloysio : Aqvila ad Solem. Item etiam ex Regni, Provinciæ, vel Civitatis insignibus.

In gratiam Polonæ juventutis refero hic insignia Palatinatuum & aliqvarum Civitatum in Polonia, refero autem cum aliqvo acumine.

Insignia Polonica.

I. Insigne Poloniæ est Aqvila alba in Campo rubeo cum Corona aurea. Et ales hæc sublime qvidpiam portendit, & color alitis est boni ominis: qvod si campus rubet, id gentem ad bella & triumphos natam decuit : Nec imbellem feroces progenerant Aqvilæ.

II. Palatinatus Cracoviensis, in Vexillo Aqvila Candida cum Corona aurea in Campo rubeo; in alis extensis linea aurea. Si Aqvila in Cœlis; qvidnî & in Regnis effulgeat? ubi ad amussim auream, generositatis decora explorantur.

III. Urbis Cracoviensis insigne tres Turres cũ una Porta, in qva Aqvila. Alibi si ferunt Aqvilæ fulmina contra turres; hic pro turribus, etiam hic Porta Triumphalis.

IV. Palatinatus Sandomiriensis Scutum, in qvo à medio tres Campi rubei, tres albi; in altera parte Campus Caruleus cum tribus Stellarum ordinibus. Hoc plane insigne Armat & ornat, imo qvoddam Orbis Compendium est, qvod sideribus terram.

Illu-

Illustri fœdere jungit.

V. Sandomiriæ insigne Rex in Solio, & Aqvila. Sic neq; terrenum Jovem

-- sua deserit ales. Rex alibi hospes, hic perennis incola.

VI. Palatinatus Lublinensis Cervus in Campo rubeo, in collo aurea Corona. Belliger est potiusq; Leo; -- nam cervus sitit iste cruorem: at nec Coronam unqvam timidi meruere.

VII. Lublini insigne Caper. Hic si Cœleste Zodiaci signum est, qvidni & insigne Urbium, perpetua Cœlo victima?

IIX. Palatinatus Posnaniensis, Aqvila Candida sine Corona in Campo rubeo. Sic sine aurato pondere.

-- hæc celsius volat ales.

IX. Posnaniæ Tres turres, in porta duæ claves decussatim positæ Decuit gemmam Urbium - gemina sub Clave reponi.

X. Palatinatus Calissiensis insigne Caput Bisontis, inter cujus cornua aurea corona, per nares circulo transeunte. Campus instar alveoli albus & ruber. En ut abacus triumphat: nec triumpho desunt victimæ Coronatæ.

XI. Calissii insigne Porta in muro nigra, & duæ turres, inter qvas tubicen inflat cornu. Nec ista Urbs absq; Cornucopia, ejusq; nomen late canit hæc buccina.

XII. Palatinatus Siradiensis Leo ruber medius & semiaqvila nigra in Corona aurea, flavo Campo. Et sub dimidiis hic integra virtus, & dignæ coronis.

XIII.

XIII. Siradiæ, Tres turres cum porta, in media turri Aqvila. Sic turres & Urbes optime communit celsa indoles.

XIV. Territorii Vielunensis Insigne Agnus cum vexillo & calice in campo rubeo. Sub hoc signo vince; fortior hic Agnus qvam alibi Leo.

XV. Palatinatus Lencycensis Semilio ruber in albo Campo, semiaqvila alba in Campo nigro, in Corona aurea. Si sic dimidius regnat, qvid integer?

XVI Palatinatus Plotensis Aqvila nigra in Campo rubeo in pectore P. nativus hic Aqvilæ placet color, qvem ne alienum ab Aqvila Polona putes, adjectâ litera sibi vendicat Polonia.

XVII. Palatinatus Ravensis Aqvila nigra in Campo rubeo, in pectere R. Non solius Romæ Aqvilas hostis timeat, sed & Ravæ.

XIIX. Territorii Dobrzynensis Caput humanũ, Cana barba, cornutum, in Campo Rubeo, desuper & infra habet Coronam: Caput hoc Moysis miracula præfert, nec sanum gerit in cornu sed aurum. Pogonatum insuper crederes coronatum.

XIX. Ducatus Lithuaniæ & Vilnæ, insigne Eqves Cataphractus

-- currit per Olympia Famæ;

nec sociatas sibi Regni Aquilas ita prævolare sinit, qvin volucri ac æmulo passu seqvatur & assequatur.

XX. Palatinatus Smolenscensis Vexillum rubrum in qvo Scipio aureus griseo campo. Sub hoc signo militat fortuna, militat æther.

XXI. Smolensci insigne Eqves armatus. Eia

Eqves

Eqvés strenue, arma capesse, & Tauri Moschici jugum excute.

XXII. Palatinatus Novogrodensis insigne Angelus niger in Campo rubeo; in altera parte vexilli Eques armatus. Hic tuta omnia, ubi & arma præsto, & arma Cælum sociat; nec pictura terreat, nisi hostem, cui noctem & tenebras hic Genius minitatur.

XXIII. Palatinatus Brestensis Eqves armatus amictu cæruleo campo rubeo. Campestres bene Sarmatæ campo bella gerunt. Sarb.

XXIV. Præstæ insigne Arcus intensus cum imposita sagitta, semper feriet hic si

-- qvando minabitur Arcus.

XXV. Palatinatus Russiæ Leo flavus in Corona aurea, Campo cæruleo. Hunc nec terruerit Claviger Hercules, & Zodiacum recipere non puderet. Nec aurum virtutem opprimit, qvam coronat: Leo est, & se Leonem semper meminit.

XXVI. Terræ Haleciensis Monedula nigra in Corona aurea, Campo albo. Nigra pedes, nigris velata Monedula pennis (Ovid:) olim par Aqvilis, regumq; insigne; nec corona negat.

XXVII. Terræ Culmensis, albus Ursus inter tres arbores virides, Campo viridi. Nec Aqvilonem Lechicum -- sua deficit Arctos, Ursa Cælesti Clarius Urse Micas.

XXIIX. Terræ Premisliensis Aqvila biceps coronata in Campo cæruleo. An & hic Cæsarum sedes: ubi & Imperialis Aqvila?

XXIX. Palatinatus Belzensis Gryphs albus in Corona aurea Campo rubro. Auro alibi tantum, sed hic Gryphs & ferro amicus, nempe Campus in arma vocat.

XXX. Palatinatus Podoliensis, Sol cum radiis in Campo albo. Hic Oriens Lechicus, sunt hic cunabula Solis.

XXXI. Urbis Camenecensis S. Georgius in Eqvo draconem interimens.

-- at pro Te militat æther
Cælitumq; Phalanx.

XXXII. Palatinatus Braclaviensis Crux alba in Campo rubeo. Munit & consecrat hæc sacra decussis. Idem insigne Volhyniæ,

XXXIII. Prussiæ Aqvila alba in Campo rubeo, in Collo gerit Coronam, è dextra ala prodit manus hominis gladio armata. Et volat & in hostem involat, nec lapsum timet Corona.

XXXIV. Palatinatus Mazoviensis Aqvila alba in Campo rubro. Qvi candor sit genti, color hic alitis adumbrat.

XXXV. Palatinatus Podlachiensis Aqvila alba Campo rubeo, ex altera parte Eqves armatus. Sic Lechica tutior ales.

XXXVI. Samogitiæ Niger Ursus albo Collari, Campo rubeo. Extingvit famam Erymanthides Ursa.

XXXVII. Palatinatus Kijoviensis Ursus in Campo rubeo; ex altera parte Angelus in rubeo Campo. Ni metuas Ursum, Hostis, Cælites timeminas.

XXXIIX. Gedani Duæ Cruces una desuper alteri imminet: & supra has Corona aurea. Crucem diadema coronat. Est suus hic etiam Crucibus honor.

VII. Propositio acuta sumitur ex Eruditione. qvod fit aut præferendo, aut Comparando unum cum alio, vel innuendo qviddam tacite non sine qvæsito colore & luce Propositionis eruditæ. Sic de B Stanislao propositio: Amoris Olympia, seu Cursor Amoris. Sic super Nata Deipara Vaticinia Sacra, ubi Orator consulit Sibyllas more Romanorum de prodigioso in terris exortu. Sic & in Festo Conceptæ sine originali noxa Virginis à qvodam Oratore instituta Salutatio Auroræ more Romanorum, more Atlantium, more Tyriorum: Tyriis enim matutinæ lucis aspectus Regni fuit Auspicium: Atlantibus populis infensior, utpote Solis & æstus diurni initium: Romanis aliisqve gentibus amicius hoc sidus est. Sic die Parasceves Orationis materia Ferrario: Parricidium. ubi alludit ad Romanos Veteres, qvi diem infamem cæde Julii Parricidium vocarunt. Sic de S. Francisco Xaverio utriusqve Orbis Thaumaturgo illa Propositio erudita: Octavum orbis miraculum. nam alia 7. Orbis miracula satis vulgata sunt. Item de Sanctis Martyribus palo infixis sub Nerone, Propositio: Nova Memphis Roma tot colossis inclyta qvot Martyribus. Sic sacer etiam Orator in laudem sacræ à cibis abstinentiæ, Jejunium Atlas orbis.

IIX. Acuta Propositio fieri poterit sumpta occasione ex aliqva circumstantiarum supra recensitarum seu Adjunctorum. Sic occasione verni temporis tunc incipientis Propositio de S. Benedicto: ver inter spinas Benedicti reflorescens. Sic de Sanctis omnibus: Autumnus Divorum ferax.

Item ex eventu & prodigio. Ut de S. Xaverio Ferrariensis: Vir lingvarum omnium. Et ex nomine S. Stephani: Infantis Dei corona. Sic etiam ex lingvis igneis in Pentecoste: Æstas Amoris vel Pluvia lingvarum. Sic etiam sacer Orator: nam ex concursu Evangelii de flente Christo super Hierusalem & festo S. IGNATII. de qvo Breviarium Romanum, qvod templis nitorem, Sacramentis reverentiam reduxerit, formavit nomen & Propositionem Panegyricam: IGNATIUS Christi Paraclitus, Consolator

IX. Ex varia rerum combinatione. Sic nonnemo considerans plures in Polonia familias in gentilitio insigni præferre caput Leonis vel Vitulum, alias Ursum vel Sagittas, &c. Videns eadem in Cœlo signa à Mathematicis describi, hæc in Panegyricum Poloniæ combinando, Propositionem illam eruit: Polonia terræ Zodiacus. Neqve hic modus coincidit cum 4. qvia ibi reqviritur similitudo inter combinandum, hic non; sed etiam inter dissimilia, & qvæ vix aliqvam habent proprietatem inter se, sed ingenii ope vel conjunguntur vel disterminantur.

X. Eti-

X. Etiam per se tenuior Propositio reddi potest admirabilior, si Metaphora vel insigniori Allegoriâ ejus attollatur humilitas, ut est de Sanctis omnibus: Cœlo donata terræ sidera. Et de B. Aloysio: Eum æqvè virtutum ac Honorum tenuisse Principátum. Vel si ex offerente se opportuno in verbis pro re nata lusu acuta eruatur Propositio. Sic de B Aloysio Ferrariensis: Coronatus Coronæ Contemptor. De hoc Puncto plura Capite 9.

Hæc qvoad inventionem Propositionis Acutæ.

Qvoad Argumenta non vulgaria per qvæ trahatur Oratio acuta hæc adverte.

INprimis facile obvia seponantur vel saltem contextu Allegorico vel sensu singulari illustrentur. v. g. Consolatio ægri, Morbus te lecto affixit? habes unde tolerantiæ Coronam decerpas. pedum usum amisisti? fugæ turpitudo Tibi haud timenda. Vel colore aliqvo aut Eruditione aut lusu illustrentur: Sic commendat qvispiam monstra & feras: Nec monstra sine commodo aut gloriæ censu. Herculem Theseumq; aspicite, cui monstra cessere in trophæum. nunqvam eo gloriæ Heroes hi pertigissent, ni Minotaurum Theseo Creta, Ursum Herculi Erymanthia, Aprum Arcadia, Leonem Nemeæ objecisset saltus: qvid feræ aliæ? horres in Panthera feritatem? at ejusdem pelle non minus qvam Hercules Leonis exuviis insolenter superbis

bis triste lupus stabulis ? sed te contra hyemem obarmat. Ex lusu in verbis illud: Ferro simul ferimus & ferimur; propugnat id vitam & expugnat; perit persæpe iisdem armis, qvibus qvis hostem ferit.

Deinde Causæ ingenii aliqvid præseferentes excogitentur. qvo juvant imprimis cum graves Sententiæ; Sic illud: Etiam hostilis tibi prodest rabies, qvando hæc gloriæ Tuæ seges crebro extitit. Laurea tibi non obrigit, nisi hostilitas illam necteret; erigit Tibi Colossos & trophæa, dum in Te hostiliter assurgit: adeo ab hoste seu cadas fortiter, seu strenue cædas, gloriæ destinaris. Nemo vires suas in pace probavit. Si bella desunt, virtus experimento caret. Tum Adjuncta & circumstantiæ expensæ, de qvibus toties.

III. Si Proprietates rei in Allegoriam assumptæ, cum aliqvo acumine ad propositum detorqventur; ut Orationis dictæ in Annuntiatione B. V. Allegoria fuit, Metaphora in VERBO: ubi in contextu Orationis, Metaphoræ proprietates sunt expensæ: utilitas, necessitas, voluptas; & illa qvod non debeat esse freqvens, & qvomodo à longe petita, non obscura, non humilis seu tenuis, qvæ omnia cum acumine ad præsens argumentum, sunt derivata, ut videre licebit in ipsa Oratione. Deniq; argumentis addes admirabilitatem ab Elocutione admirabili.

Qvoad Elocutionem Admirabilem & acutam, hæc habebitur si ad selectiores Acuminum fontes supra indicatos recurras, & juxta doctri-

nam

nam Capitis I. Sensus Admirabiles passim usurpes; inspersa Eruditione hinc inde, juxta doctrinam Capitis II. gravibus item aut vibrantibus sententiis, qvæ omnia videre licet tum in Plinii Panegyrico, tum in plerisq; Neotericis. Juvat etiam præter hæc, qvæ de Oratione acuta hactenus dicta, videre Caput 9.

II.

Acuta Oratio Brevior.

BReviores Orationes Acutæ sunt in usu freqventi, ut in adventu & recessu Hospitum in Gratulatione, Petitione, Gratiarum actione, in Lustricis, Epithalamicis, Funebribus, aliisq; officiosis, imo & in Svasoriis, &c. De his toto fere libello in Svada Civili te instruximus. Hic omissis qvæ ibi fusè asseruntur, tantum leges tunc acutæ dicendi accipe.

Prima.

ALiqvando hæ Orationes ita scribentur ut una Propositio sit, ad qvam collimetur, sed ex pluribus Adjunctis ad illum aliqvid acutum referatur. Patet in illa Gratulatione natalis Christi, cujus hæc Propositio: Loqvi hodie non decet; & decet; tamen proloqvor & gratulor.

Gratulatio Natalis Christi acuta.

ELoqventem hodie pudet esse, cum & Deus ipse Infans est: ut neqve styli decet maturitas: tum Deus ipse Puer. Sed tamen ad Infantis

etiam Dei cunas, omnis maturescit Eloqventia; nec lingvam obtinet verborum sterilitas, cùm & uterus VERBUM parit. At nec silentio locus est, ubi vel inter noctis silenria vocalissimo vagitu Verbum loquitur. Sileat is, qvi lætitiam, suopte ingenio loqvacem esse ignorat; me ubi cœlitum cantus & pastoritium provocat in plausum melos, etiam obmutescente Verbo tacere non decuit. Solus hodie Delphis obmutuit Apollo, eò qvòd conspectum natæ Veritatis pati neqveant mendacia potiùs qvàm oracula. Sed hic ubi verior affectus perorat, abest obmutescendi periculum, nec Orationis lumina ad Te peroraturo desunt, cui nova Bethleemitico Sole lux affulget; cujus Orientis afflatus radiis, hâc prævia, hâc comite ad Te venio non sine liberali voto, ut qvam hodie sparsit in commune liberaliter oriens sub carnea nube Deus, vitalis lucis copiam tibi qvàm diutissimè affundat.

Idem patet in hac Salutatione Ducis cujusdam ubi hæc Propositio, Illustrem nacti sumus te hospitem.

Salutatio Ducis cujusdam ad Regem Poloniæ properantis.

TE ad Solem Lechicum (nam Regum serenitas hoc Solis indit nomen) properante, vel ipsa novam repentè lucem hauriunt ingenia; fulgor illis oboritur, sed qvi coruscantibus latè per Urbem radiis viam ad Te patefacit. Sic qvocunqve ingentes Animæ divertistis, copiosa lu-

minum

minum Vos copia circumstat, adeoqve Urbibus novum invehitis Orientem. Etiam minores Aqvilas, qvæ intra hæc primæ indolis formandæ adyta in spei publicæ Solem educantur, lux hæc afflat & recreat, etsi vix oculis delibata, vix oborta in qvendam præmaturo abscessu properet occasum. Sed juvat illam in transcursu vel obiter delibare, qvam Heroica Tibi mens circumfundit, militari gloria innutrita:

- juvat usqve sacro
Hærere vultu, raroqve Ducis spectaculo beare oculos, qvibus ubiqve ad plausum splendidas illustres ad æmulationem scenas exhibet. Eidem in Tuæ virtutis admirationem alitem Polonam excivisti, cui summum Tibi armorum regimen, virtutis suffragia ingessere, ubi tu meritorum mole nos pænè obruis, dum hostem (si lymphaticus in suæ cladis documenta temere te lacessat) Tuorum luce armorum opprimis. Nec minor in Te à Principe redundat serenitas, cui fidissimus semper Achates etiam sub inimica virtuti tempora adhæsisti, mirante Polonia (qvod de Petro dici noverat) etiam in Paulo tunc (*Paulus huic Duci nomen*) fidem non deficere, ut semper hæc eluxit in sereno Patriæ statu, sic in turbido enituit, ne unqvam in Patriam, in Principem fluctuavit. Sed ne moram injiciat Oratio, qvam Regis imperium vix patitur, sic Te hincabire tantisper patimur, ut reducem votis calentibus exoptemus. Ibis tu qvidem; qvò te boni publici impellit ardor, sed abeuntem

votis animisq; proseqvemur, ut Te digna meritis, votis omnium non impar ubiq; felicitas comitetur.

Secunda.

ALiqvando brevis, tamen acuta Oratio ita scribitur, ut non una Propositio per totam Orationem deducatur, sed variæ nexu tamen ingenioso & cum circumstantiarum innexa perpensione: Exempla ejusmodi Orationum passim hic occurrent.

Tertia.

ALiquando possunt breves hujusmodi Orationes ex una circumstantia multiplex acumen deducere, acumine ex fontibus supra datis derivato. Sic de Divi Joannis morte sub convivium natale & saltus Herodis etsi hæc una tantum circumstantia, tamen vario politur acumine à Juglari: Affinem suis semper initiis finem esse didicimus à Joanne, qvi vitam à choreis in utero auspicatus, eandem perdidit in chorea. Nempe nulla dies magis funesta virtuti, qvam qvæ neqvitiæ natalis est. Nescit hæc convivia dare, nisi qvæ vitam perimant. Ergo cessat vini sitis, incipit sangvinis: fit convivium belluarum, qvod erat hominis; conceptam inter aras victimam lictor immolat, non sacerdos. sapuisse dixisses Herodiadem, cui missus hic feralis sapuerit; qvæ Joannem Regni dimidio prætulisset malletqve illum non integrum qvam Fortunam Regni divisam. Et eguerat plane Capite, cui omne

mne ingenium fluxerat in pedes. Sed jam è ferali cœna, Hospes, te, proripe: Extincta Lucerna est; jam nihil hic dignum luce expecta.

Qvarta.

ALiqvando brevem Orationem velut acu Phrygia contexit multiplicis acuminis junctura ex pluribus circumstantiis. Patet id in subjecta Gratulatione, qvæ ex circumstantiis pluribus acuitur.

Gratulatio Nominis dicta Joanni N.

IN lucem hodie prodit Gratia: prodeant & gratulantium certatim officia Præivere nobis, credo, alii, nec unus hodie præcursor est, ubi ad Te animorum votis ceu passibus ad Gratiam excurrendum. Sed neqve tarda respues obseqvia, qvi perennia meruisti, nisi qvod hæc tanto minora sunt, qvanto major ille, qvi in Te colitur, utpote qvo major haud assurrexerit. Muros hactenus fuisse haud mirabere; Clamantis Vocem nisi montana proferant, elingves efficit nomen Tuum. At nunc lingvas in plausus & præconia laxamus, qvando muto etiam Joannis Parenti tacendi necessitas relaxatur. Pudet elingvem esse hodie, qvando vel ipse mutus eloqvens est, &c.

Placet idem illustrare in Materia Philosophica de spatiis imaginariis, ubi Præfatio ex vario acumine, puta Philosophico, Poetico, Oratorio contexitur, est autem hæc

Præfatio Philosophica.

De Deo in spatiis imaginariis.

PRovocor in certamen, Auditores Spatium imaginarium arena est, in qva Vetustis Gigantum in Jovem præliis qviddã æmulum contempler. Exesse inde cogitur Deus, nec ultra spatii realis terminos ditiones sinitur promovere, nihil extra hunc, qvem novimus mundum, esse complures volunt, ne Deum qvidem, Tam anguste hi immensitatem definiunt, ac si cœlo ultimo illa caperetur. Agmen ducit Gabriel Vasqvez robustum & natum in prælia Nomen, nempe pridem Angelica Nomina oppugnare DEUM (etsi Doctor hic tantum à spatiis imaginariis illum excludat) didicere. Sed arma, arma Socii: immensitas coarctatur, pulchrum est pro Numine arma capere, & ademptas illi restituere ditiones, illisqve DEUM. Sit, inqviunt illi, ubiqve DEUS, at non ubi nihil est, alioqvin esset etiam in Chimæra. Chimæra his auctoribus illudit? Chimera illis pro scuto est! at noverint Bellerophontem etiam Chimæram expugnasse. Ego Chimæras non timeo. Ergo Deus non sit, ubi nihil sit aliud præter DEUM? Qvomodo, inqviunt, Deus sit, ubi nihil est. Scilicet aliqvid aliud necesse est esse, ubi est Deus! Quid ergo in hoc spatio, ubi nunc Mundus est, ante conditum mundum Deo coexstitit? an illum hic fuisse ante Orbem conditum neges? Neqve ad Chimæram provoca, ni rideri velis

qui

qui ſpatium imaginarium cum Chimæris confundas. Nec volo coexiſtere Deum ſpatio imaginario ut reali alicui; hoc enim reqvirit actu eſſe utrumq; extremum eo exiſtens; Sed tantum exiſtere ibi Deum, ubi nihil aliud eſt niſi Deus, aſſero, nec aliud unquam perſvadebis. ita me Immenſitas & cælis excelſior Majeſtas, &c. &c.

§. II.

Secunda ſpecies Acutæ Dictionis.

Elogium.

ELogii nomine nunc intelligitur non tam laus qvæcunqve, qvam quoddam conciſæ & acutæ Orationis genus, ſeu referta acutiſſimis Laconismis Oratio, qvæ poſſet qvidem dici libera Poëſis, & qvoddam Epigramma continuum, & multiplex, ſed lege Poetica ſolutum; niſi reqvens Epigrammatis levitas ab hoc illam nomine abſolveret.

Elogii proprietates hæ inſeparabiles: Brevitas, non Orationis ſed ſtyli, & Acumen, ſine qvo hoc rara linea, Sæpe hic qvidem unaperiodus eſt ab alia independens ſuo contenta acumine (ſicut & in Oratione unum argumentum ab alio non dependet) tamen omnes ad idem pectant argumentum. Acuminis nomine intelige etiam argutiores Sententias, & luſum in verbo rariorem. Acumen id ex dictis ſupra fontibus hauriendum. Excellunt in Elogiis Theſaurus & Juglaris, & Maſculus; ab his Ideam ſume legendo.

Triplex Modus Elogii scribendi.

Primus.

CUm Elogii totum Acumen consistit in sensibus Admirabilibus, ac ingeniosis qvibusdam Paradoxis, Oppositis, Contrariis, gravibus, acutisqve & doctum spirantibus sententiis, nec non grato verborum lusu, comparibus, similiter cadentibus, Antithetis. Hunc modum tenuit in Elogiis Emanuel Thesaurus, & in postremis Elogiis variis Juglaris, præter Elogia Dei hominis. Idem stylus est in Elogiis 12. Cæsarum Exemplo Unico rem declaro.

Elogium Sigismundo III. in Colosso Varsaviensi inscriptum.

SIgismundus III. Svecis à Natura: Polonis à libera populorum suffragatione, utriusqve a Deo datus Rex, è vetustissimo hinc Gottorum, hinc Polonorum, utrinq; Regio sangvine natus, A Patre regnandi, à Matre vivendi artem edoctus; ita vixit ut regnare; ita regnavit, ut vivere eum diutissime Reipublicæ interfuerit. Regnavit à pueritia. vixit ad senium. Semper bonus supra suorum vota: Semper felix supra Patriæ merita: Bello invictus; victoria mitis; pace justus. Nil unquam magis timuit, quam bellorum causas: nil minus, qvam eventa. Bellavit sæpe; vicit semper, triumphavit nunqvam; Qvod diceret: Regum rationem ita demum constare, si illis labor, Reipublicæ fructus, Deo gloria

hoc

hoc est, sua cuiqve reddantur. Vixit annos LXVI. qvod Regum non multi: regnavit XLIV. qvod pauci: ubiqve inculpatus & sua laude innocens, qvod vix aliqvi. Fama cave, Livor fide: Posteritas mirare; ego magnos Manes veneratus, similes orbi terrarum Reges precor, & lacrymans abeo.

Secundus

MOdus Elogii scribendi est, cùm materia una vel multiplex decurritur acutissimis Conceptibus, caùsis ingeniosissimis, &c. Qvare non tam à sensibus admirabilibus, oppositis, paradoxis, concisis, comparibus venatur gratiam & admirabilitatem hic modus, qvam ab acumine laborioso & multiplici. Aliqvando autem unam tantùm rem plurimis acuminibus describit, aliqvando pluret v. g. totam Historiam.

Exemplum primi habes in Juglare, ubi de hoc tantùm acutè agit, Cur nova stella in Christi ortu exorta: sic ergo respondet per multa acumina. 1. Sine novo Phosphoro oriri non decuit novam diem. 2. Pulchritudinem suam in terras miserat Deus; ejus proinde spectandæ gratiâ novum Cælo oculum condidit. 3. Plebejus potuerat Princeps luminum natus haberi, si venisset ad tenebras sine face. 4. Procedens ut è thalamo sponsus, Hymenæos suos adducta è cælo tæda nobilitat. 5. Hâc fugitivum in terras Numen accensa lucernâ Superi vestigant. 6. Ex qvo Solem habetis in terrâ mortales, vobis, ul-

tro sidera Cœlum cedit.7. Loquitur lingva ignea pro tacente VERBO perorans. Simile exemplum habes apud Ferrerium die Pentecostes, Cur tempestas hæc ignea, seu Amoris æstas missilium lingvarum innocenti prodigio fulminat? An qvia Amoris fulmen lingva, amabiles flammas ad cor facile jaculatur? an qvia prodigus Amor suum erga nos Amorem sat profusum neqviret nisi ardentibus lingvis explicari? an quia VERBI Divini munus aptissimum, cœlestes lingvæ sunt,&c.

Similis modus tenetur in Elogio ubi acutæ rationes afferuntur: Cur Palatii Imperialis pars exusta proxime ante obitum Ferdinandi III. Imperatoris.

Melior cadit Phaëton, qvidni orbis Imperialis ardeat? sic soles hi etiam dum occidunt, coruscant,& videri desinunt, non lucere; nisi forte vel Europæo credas Alcidæ rogum sic excitari; vel navigaturo ad Insulas Cœlitum Fortunatas hanc prælucere Pharum; vel Domitori tot hostium, ignes accendi triumphales; ne non serenior sit in occaso qvam in ipso vitæ ac Fortunæ meridie. Usqve adeo Menti splendoribus innutritæ Palatinus splendor pretiosis ignibus parentat, ceu parum etiam Augustal niteat, nisi cum nativæ lucis dispendio flammas augeat à favilla. Sed absint fatales basilicis ædibus faces, adhuc Aulæ fumigant dolosis ignibus, mox fumum & cineres daturis: fumus lacrymas ab imperiis elicit vectigales.

Ali-

Aliqvando plures materiæ acute decurruntur, ut passim videre licet in Elogiis Juglaris & aliorum. Affero tamen unum Elogium hoc stylo scriptum, in qvo vita S. IGNATII describitur.

Elogium S. IGNATIO Societatis JESU Auctori & Parenti.

ORbem inflammaturo nomen igneum fons sacer indidit; & facilè flammam concepit cùm natale præsepium illi fœnum obtulisset Nec imbellem probavit militia, qvâ arcem primò propugnavit, ut mox oppugnaret orbem Principium illi roboris casus dedit ac melioris militiæ fastigium: recepit in vulnere sanitatem & concusso pede stare firmiùs cœpit; nam & debilitato crure (ut fermè in virtutis curriculo animus generosior non claudicat) & læsâ tibiâ pervenit, qvo Deus. Vidit Hierosolymis Christi vestigia, qvæ deinde exprimeret. Socios, qvos hic è milite Imperator sibi adlegit, JESU nominis (qvorum dives patrimonium Deus) hæredes instituit; qvasi non aliâ tessera IGNATII filios discernere debeat, qvàm qvod DEUM referunt. Qvid deinde? Rudis adhuc, orbem docere non metuit; novâ in Gymnade animos exercens: nempè ad hos illustrandos, satis eruditus est, cui DEUS affulget, & qvi Deo calet. Digito Dei usus, scripsit legem igneam: Deum alicubi exulem, revocavit. Gemuit hæresis, dum hic extulit arma Cantaber, erroribus gravis, Orci terror. Sed

dum orbem per suos incenderet, non minùs urbem suis accendit exemplis, ne torperet charitas in Christi Regia, in conversarum Cænobio Amorem extinxit. Indixit & ruditati bellum, qvam publicis proscripsit literis. Totus tandem Divinis cùm nec Odorem terræ sustineret, Cælum rapuit: Cœlestis animi vestigia stellas relinqvens in ossibus.

Tertius.

MOdus scribendi Elogium est mixtus ex primo & secundo. Et hunc modum tenuit in Lechiade Ines.

§. III.

Tertia Species Acutæ dictionis.

Inscriptio.

INscriptiones aliæ sunt sepulchrales, & lugubres seu Epitaphia: aliæ qvæ Arcubus triumphalibus, Colossis & pyramidibus: item primo lapidi templi, Hortis, aris, Templis aliisqve promiscuè inscribuntur.

Hæ omnes brevitate & aliqvo acumine gaudent, qvare earum hic Exempla afferam.

I.

Inscriptiones sepulchrales Acutæ.

HÆ seu fiant in Lapide sepulchrali, seu in tabella argentea tumbæ affigi solita, seu in labaro seu vexillo; acutè & breviter alludunt ad stirpem & genus demortui ad facta officia, honores, & statum vitæ, & si qvid in eo singulare; deni-

deniqve ad mortem mortisqve diem. Tamen hic parcius aliqvi utuntur acumine ac sententiis, qvàm in Elogio. Acumen tamen potiùs maturum qvam floridum, esse hujus loci videtur. Exemplis declaro.

Inscriptio I.

Perillustri Domino, STANISLAO TRZEBICKI.

ETiam in hoc marmore perennet Fama Perillustris Domini Stanislai Trzebiecki. Ætatem hic attigit, qvam rarissimi: Circumtulit merita, qvæ Optimi: Prima illi ætas ingenium acuit, maturior, in hostes Patriæ ferrum. Binas annorum decades in armis exegit & trophæis, Patriæ impendens, qvod literis ademerat. nempè præliari seculo potior est acies ferri qvàm ingenii. Stephano Batorio tunc Rege stipendiarius bellicis excursibus ac victoriis magnam orbis partem peragrans, ubiqve strenuus, bellandi & vincendi artes perdidicit: Plurium gentium lingvas meritus, qvas optimè calluerat. Nec fortiùs in hostem agere noverat, qvàm pati, apud Thracas mente liberâ qvadriennio captivus. Redux è vinculis meliori sorte usus, à Janussio Duce in Ostrog. beneficiis auctus, qvæ meruerat, nam hæc svavius libantur, dum in illis non plus relucet gratiæ qvàm mercedis. Per bina dein connubia in plurium familiarum gloriam influxit, non meliùs spartam privatam domi, qvam publicam foris adornans. Tandem meri-

tis ac ſenio gravis eodem ſemper vigore ad canos virtutem perduxit, meritis in Patriam immortuus Anno ætatis ſuæ 94. Ejus gloriæ ſuperſtes filius N. Saxum hoc ætati poſthumæ parentis gloriam locuturum poſuit Anno, &c.

Inſcriptio II.

Illuſtriſſimo D. GEORGIO Lubomirski S. R. I. Principi. Comiti in Wisnicz Supremo Regni Mareſchalco & Exercituum Duci, &c.

E Heu! hic mortales poſuit exuvias GEORGIUS Lubomirski dum viveret Princeps, Mareſchalcus, Dux: nunc cinis! Fortuna illi non infra genus; honores non infra merita; Cognatio cum ſummis, affinitas cum ſupremis: Paternum genus è Palatinis in parente, Comitumqve ſplendoribus, illuſtre: Maternis natalibus in Ducum Jaroslaviensium gloriam influxit, è regio ſangvine derivatam (Tam ſplendidè terras ingredi amant Heroum animæ!) Per Maternam Koſtkarum lineam etiam Divis conſangvineus. Nec in umbra primam ætatem egit, ſed in Sole; nam ſola inertia odit publicum. Ergo mentem exteris limandam Muſis, & Leoni Bavarico limandum commiſit, reliqvam ætatem honoribus exegit & trophæis, ſeu Patriæ hoſtes vincere, ſeu Fortunam. At rarior qvi Fortunæ non ſuccubuis qvàm armis. Eluxit ejus in Principem fides ſub Sveticos tumultus, qvem & Patriam ſibi non tam ære obſtrinxit, qvàm auro,

Regni

Regni insignibus tunc in tuto collocatis. Rakocium dum neqviret consiliis, igni in Transilvania, armis in Patria fregit. Defixit & Aqvilæ Imperialis in se oculos, dum Legatione ad Ferdinandum III. splendide functus, Imperii Princeps rediit: qvippe foris etiam triumphat, qvem domi viventes, adornant laureæ. Contra immissum Torunio robur Sveticum, armorum regimen Dux obtinuit. Clava hæc Imperialis mox illi in laureas effronduit, qvæ in Cudnoviensibus campis succrevere, cæsis fugatisq; inibi Moschorum 60. rebellium millibus 40. Sed non sic de Patris meritis, ut non etiam de cœlo, Clarum Montem, suis muneribus reddidit clariorem, tot votis ibi propitiata Cœlorum Regina Gratiam apud Patriæ cives collegerat, qvam Optimus Patriæ Civis. Tandem æqve bellis ac telis Fortunæ infractus, Cedere tempori jussus è Patria? etiam cessit è vita; Ac ut ætatis Jubileum attigit, extra Patriam meliorem invenit Patriam, & è Srzeniava Gentilitio prænobilem Cœlo intulit aqvæductum. Vixit Vratislaviæ Anno Christi, 1667.

Inscriptio III.

Generoso Domino Krzycki.

CAve siccis oculis hoc marmor videas Viator pro sanguine da lacrymas Alberto Krzychi, qvem fidei litavit & Patriæ. In eo summa omnia præter ætatem. Indoles par optimis, ultra ætatem merita. Vernantes annos amænioribus studiis; succrescentes Martiali gloriæ consecravit,

vit, ibi Apollinari laureâ, hic Martiâ non indignus. Venerati in eo Duces præmaturam Ducis prudentiam, collatâ ei peditum Præfecturâ. Expavit Martialem ejus Spiritum hostis, qvi fatalem illius manum expertus, sinistram globo appetiit. Fluxit de illo vulnere, plus gloriæ qvàm cruoris, cujus effusionem victor animus est secutus. Vincere vivereqve desiit anno ætatis 22. contentus se tamdiu vixisse, qvantum ad immortalem gloriam satis esset.

Inscriptio IV.

Serenissimo Principi Poloniæ Sigismundo Septenni.

LEge in his cineribus excidium Spei publicæ, Viator, in ipsâ herba peractum est. Magnitudinem jacturæ pensa ex nomine. Sigismundus Uladislai IV. Filius, Pueritiæ bullam induens, exuit vitam; vix septennio Princeps! Illusit nefastus Aprilis ejus ortui: ver orbi aperuit, Principi tumulum! nam Cæcilia Renata qvid pareret nisi sceptro aut Cœlo natos? Expectas de eo judicium Uladislai? illo expirante hic examinari cœpit. Tanto Principi, tantum crescere licuit in Augustum! Invidit hic Mensium Cæsar Regni spem Sigismundo. Indicavit Cœlum qvid adimeret, magnæ ruinæ maximum fragorem antevertens. Sceptra messuit, dum aristas; nec antea has qvàm Principem superbâ sanè messe in avitum Jagellonicæ stirpis manipulum collegisset. Tandem febrilibus exustus igni-

Igniculis cum Laurentio laurum petiit. Tu o Sarmatia ad Coronatum Principis bustum ne fleveris, nihil ille in vita egit dolendum, nisi qvod spei publicæ omnia fatis anteverterit, qvæ factis alere jam cepisset.

Inscriptio V.

Ex Jugl. & Ines.

TEgit hic lapis, Viator, qvem non una Tibi reteget Historia N. N. cujus venerabere cineres, si mores agnoveris. Majores hic sortitus, qvos tales decerent posteri; fulgorem natalium claritate facinorum geminavit, dum idoneam tropheis ætatem ad arma transtulit. Aureo tamen homini fuit omnis ætas ex ferro! nullus illi Mensis non Martius: arma tractavit vel cum ferre vix posset, nulli labori non impar, seu in Belgio ageret militem, seu in Italia Ducem. Obsessus à Rege, pro qvo præter virtutem tempus & Fortuna pugnarent, omni tentatus ariete, nullo fractus, sui admiratorem dimisit, qvem hostem acceperat. Fortitudinis stigmata gessit in vultu. Tandem ita avidus Immortalitatis ut non videretur amplius memor Mortis, Patriæ dolores maturo licet funere auxit.

Illa brevior Inscriptio Thomæ Mori: Hic Thomæ Mori est nihil.

Inscriptio ludicra Heluoni.

ADesdum, & mihi propina, hospes: Salutem mihi precare, non reqviem: nam & post fata sitio. Vixi qvidem, sed ut Philosophus ille

in

in dolio: nec Philosophus tamen, qvod vacuum fieri posse docerem, in populis; nec Grammaticus, qvod casus, qui crapulam comitantur, declinare nescierim. Imo extra Philosophi morem, vicissim credo Centauros & Lapithas, si crateribus certandum foret. at victorem non aliud sertum melius coronasset, qvam hedera. Sed qvousqve te siccus alloqvar? huc pocula, &c. &c.

Ænigmatica Inscriptio Adamo Primo Parenti ex Thesauro.

SIste gradum, Viator, mira leges. Hic ille jacet per qvem omnes jacent: Cœlo natus sum ex cœno; nec orbus nec posthumus fui, sed patris Matrisqve expers. lignea nutrix sine lacte virum me genuit. Rex ego sine urbibus, dives sine auro, ludum aperui, tot nactus Auditores, qvot homines. Heu stolida Sapientiæ fames! cum omnia scirem, ut plura scirem, desipere cœpi! Virorum sapientissimus dementor à fœmina, qvam male svada! Pomum cœlesti interdicto circumscriptum attingens, beatæ sylvæ fructus dum carpo, sylvam amitto. Itaqve ex Rege agricola, qui Numinem non colui, terram colui, tamdiuqve secui terræ Matris uterum, donec utero me recepit. Uxor ergo me Immortalem peremit uxorem ego, uterq; omnes. Ah quam de minimo periimus! tantum malum attulit malus; cujus frondibus obvolutus angvis, venenum vomuit, omnes hauserunt. Tuus ege genitor, sed non

nunqvam visus, te peremi, anteqvam gignerem. sed ô lætas malorum vices! ligno eodem reparatus, qvo perii; indidem venenum traxi & medelam.

II.

Inscriptiones Promiscuæ Acutæ.

IN aliis inscriptionibus qvarumcunq; rerum, Brevitas etiam & aliqvod Acumen ex rerum variisqve Adjunctis, ac Fontibus acuminum peritum reqviritur. Exempla insinuo.

Inscriptio Templi Corporis Christi, Taurini.

OCcurrite Cives tanto hospiti: apud vos iterum Hospes Christus est, non antiqvate beneficium; qvod qvia æternum est, semper est novum.

Alia Inscriptio Ejusdem.

ABite procul hinc bestia, præoccupavit Urbem hanc Deus Pacis, Adeste Cives, & Pacem, qvam non invenitis in terra, è Cœlo qværite. Nam apud vos non hospes est Christus: jus Civitatis acquisivit: Populares suos Princeps Pacis inter arma non deseret: tueri vos potest, qvia Deus vult, quia Civis.

Inscriptio Sacelli Votivi S. Josepho.

VIvitas hæc eundem dum moreretur experta Patronum, qvem Christus dum viveret, Patrem; Sopita peste, voti rea Sacellum hoc posuit.

In-

Inſcriptio Organi in Templo Taurinenſi.

COmes Philippus N. amans in concentibus, qvam profitetur in moribus Harmoniam, cum optime de ſe merito Numini dare grates una ſat voce non poſſet, effuſo in mille ſexcenta guttura Spiritu, multiplici modulamine, multiplicem charitatem aſſidue voluit hoc in templo laudari. Hic plumbum manſveſcit in concentus, & qvod alibi occidit, hic occinit. Stet ſemder ingens Paci præſagium, DEO ſacrificium, Auctori præconium, Societatis JESU Patribus ornamentum.

Inſcriptio Arcus Triumphalis

Eminentiſſimo Card. Cæſari Montis Mediolanum Ingredienti.

ASſvevisti victoriis, aſſveſce & triumphis. Et Cæſarem & privatum eſſe non licet, ad primæ Romæ regimen per ſecundam aſcende: ad Te ſublimia qvæqve referuntur, ut ſuccreſcant. Eminentia titulus eſt aliis Monti etiam natura. Si virtuti præmia non reſpondent, merentis gloriam crede, non temeritatem debentis. Ingredere igitur & Inſubriam hinc felicem crede, qvod iterum Cæſaris ſedes ſit.

Inſcriptio laureæ Coronæ Uladislao IV. Victori.

COllige & colliga florentis ævi meſſem, nunqvam ſeneſcens virtus. Qvod guttis Mo-

ſchu

Tschoviticus cruor Arctoam rubefecit canitiem bellante Uladislao, tot pullularunt laureæ, tot palmæ Victori. Hinc serta necte virtus : ne tæniam qværas, cape æternitatis orbem.

Inscriptio Colossi Triumphalis.

HIc furoris Othomanici limes æternus esto, Bustum Barbariæ est qvod calcas, Viator. Cecidit in hac valle Osmannus, clade sua qvam Imperio orbi notior. Nec procul abest impermistus profano cineri Heroum sangvis. Eheu! Stanislaus ille Zolkievius ibi vitam amisit ut Patria inveniret, &c.

Inscriptionem calami dicati B. V. Matri vide apud Lipsium.

Fiunt & aliæ minores etiam symbolicæ, acutæ tamen.

Pulchra illa & brevis Inscriptio Horologii obiati Clementi IIX. Romano Pontifici : semper prima, nunqvam ultima.

Et illa Symbolica Inscriptio præclara, bombyci intra ergastulum laboranti qvæ est modesti animi Symbolum : Operitur dum operatur.

Et illa Soli Liberalium Symbolo : Non exorabus exorior.

Et illa Inscriptio non displicet inscripta ferro militari ex Sarb. Is auro nempe bibat, cui dulce ferrum est.

Inscriptio Gladii potest desumi ex Poëtis. v. g. ex Seneca :

Nec temperari facile nec reprimi potest stricti ensis ira: Bella delectat cruor. Vel

Vel ex Sarbievio: Ferro res eget & manu, & magnis animis: hæc tuleris tria, dicam Geryoni parem, &c.

Vel ex eodem: Formosa fortes arma timent viros, Frangiqve nolent.

Inscriptio primi Lapidis

In Templi structuram consecrari soliti.

INscribitur huic titulus Templi, Auctor seu Fundator, Tempus, Dies, consecrator: Pontifex, qvi eo tempore Ecclesiam rexit, Imperator Christianorum, Rex.

Sic Templi Brestensis primus lapis inscriptus.

DEO Opt. Max.
Et SSimo JESU Nomini
Divoq; Principi ac Regni Indigeti
CASIMIRO.
Primum Templi Lapidem posuit
Illustrissimus D. Casimirus Leo Sapieha
Procancellarius, M. D. L. Capitaneus &c.
Consecrante Illustrissimo ac Reverendissimo
Domino N. Gembicki,
Luceorienn & Brestenn Antistite
Romano Pontifice Innocentio X.
Imperatore Christiano Ferdinando III.
Rege Poloniæ Joanne Casimiro
Die 14. Julii Divo Bonaventuræ sacrâ,
Anno DEI Hominis, 1653.

Eadem Inscriptio sic acutiùs data.

HOc qvod terræ impactum vides Marmor, mo-

monimentum Pietatis in Deum Divosqve, Munificentiæ in Soc. JESU minimam (nempe is mihi munificus, qvi nec minimos à beneficentiæ influxu removet) à Casimiro Leone Sapieha Procancellario M. D. L. Cœlo semel exhibitum, terris perenniter occultatum: satis illi est vel semel Cœli oculos meruisse. Idem Lapis Basilicam Sacrosancto JESU nomini & Divo Casimiro sacram sustinet. Adeò vel tantorum Nominum illi gloria tutò insistit! At tu Casimire Sapieha, ne tuo nomini umbras metue; postqvam sic Divinum à situ & umbra vindicas, dulcius & Tuum in fastis sonabit, svavitate à dulci nomine delibatâ. Unus Tu magnum alioqvi nomen docuisti templo posse capi: Altissimi nomen adhuc admotis Cœlo Basilicis altius posse erigi: admirabile, structuris mirabilius reddi. Qvæ tibi Cœlum præmia destinarit, sacer Divo Bonaventuræ dies prædixit, qvo primum Lapidem Angulari Lapidi consecrasti; Qvem ne solum erigeres ad terrorem, Terribili Dei titulo, gratiam mutuasti à Liliis Casimiri. qvippe cum Casia & Myrrha svaviter fragrat effusum Oleum. Deniqve Basilica hæc & Divini nominis erit, & cui perenne posteris monimentum.

Huc pertinent & Librorum Inscriptiones, qvæ non parum gratiæ libro conciliare possunt. Acumen earum sumitur vel à non vulgari combinatione materiæ cum aliqvo Analogiam invicem habente, vel ex Principali Persona (ut Tragœdiæ) vel ex Principali Propositione, seu fine

libri,

libri, vel ex Eruditione; vel certe si liber Orationem continet, titulus eruatur ex iisdtm Fontibus, qvos immediatè de Acuta Propositione indicavi. Sic Orationibus Puteani data Inscriptio Erudita: Svada Attica nempe per Oppositionem ad Asiaticam & robustam Eloqventiam. Sed horum exempla in promtu.

§. IV.

Qvarta Acuti Styli species, DIALOGISMI.

ACutus Dialogismus est. cum duæ vel plures Personæ inducuntur colloqventes, reiq; ac materiæ sensus admirabiles congruos, sententias gravi judicio elimatas, & profundioris internuntias ingenii inter loquendum permiscent. Horum omnium fonten supra aperui. Hic exemplum affero in Manlio Dictatore qvi filium contra suum edictum cum hoste pugnantem & vincentem securi subjecit. Sic ergo Victor Filius.

DIALOGISMUS I.

MAnlii filius. Qvem exploratorem dimiseras, victorem accipe, Dux & Parens invicte. Vici tuis filius auspiciis; virtute, qvæ Manlii filium decuisset. Habes spolia Latinorum Duci, manu hâc detracta; ea Jovi Capitolino, Tibi Victoriæ cedo gloriam, Grandioribus Tuis minore prælusi laurea. ominari licet, ut prima belli auspicia cessere, sic fore deinceps universa. A me unus tantum accepit Metius, à Tua manu omne Latium cladem ultimam præstolatur.

Man-

Manlius. Periisti: vincere non licuit, ubi nec pugnare. Exploratorem Te miseram, ac ut hostem videres eminus, non vinceres.

Filius. An vero Tu victoriæ nomen intra crimen rejicis? an victam maluisses Romam, qvam Victricem?

Manlius. Nolim Victoriam, qvam violata edictorum authoritas dedecorat, nec illa placet laurea, qvæ de militari disciplina vel modicum decerpsit. Præstat non vincere qvàm vicisse turpiter.

Filius. Turpe ibi detrectare victoriam, ubi turpius pugnam. at me illuc impulerat Fortuna, ut & possem vincere, & deberem. Hostem mihi Fors inopinato obtulit & Victoriam.

Manlius. Ergo Tibi Ducum imperiis fortuita potior Victoria?

Filius. Aggressorem qvæ unqvam lex occupare armis vetuit?

Manlius. Illene aggressor, cujus minas eludere potuisses? Metius pugnam tibi obtulerat; at ego vetueram.

Filius. Ergo probrum Romani nominis placuit?

Manlius. Etiamne tu parere probrum putas?

Filius. Insultante viresqve etiam Romanas ridente Latino, injuriam armis haud vindicare, probro vacat?

Manlius. Adeone tuo cavisti, non item Consulum probro qvorum Imperiis derogásti? Eodem ictu & hostem confodisti, & Imperii reve-

rentiam! Frustra es, supplicio Victoriam elue. I lictor, securim expedi, manus colliga,

Filius. Etiamne Victori?

Manlius. Etiam legum Contemptori Victoria nulla est, ubi pulchrius non vicisse.

Filius. Ergo securi me subjicis?

Manlius. Te ipsum subjecisti, capitale noveras decertasse.

Filius. At Parens es?

Manlius. Etiam legum vindex: male vero auctoritati legum caveretur, si plus daretur sangvinis.

Filius. Si fusus fugatusqve, si castris exutus fuissem, an aliter facinus rependisses?

Manlius. Causæ utrinqve æqvitas necem distingveret, uti imperaret. Frustra agis, disce Manliana Imperia venerari.

Filius. At precibus locum & aurem, Parens, dabis!

Manlius. Non aliam, qvam apud Metium sui vindicem habuisses.

I lictor, manus ad palam deliga, virgas & securim expedi.

DIALOGISMUS II.

SIt de pueritia Alexandri Macedonis, in qvo nulla pars ætatis laudum vacua, etiam tunc ille magnus, cum magnus esse per ætatem neqviit; nec major fortasse Vir, qvam puer. Referat ergo hic præconium pueritia, qvæ dum prudentiæ morumq; qvoddam senium attigit, pueritiæ me-

tas

tas transiliit. Qvod qvidem eo libentius affero, qvod hic sensuum eorum sit copia, qvi ad elucidandam doctrinam initio hujus libelli de sensibus admirabilibus traditam spectant; & præsentem de dialogismo doctrinam illustrant.

PUERITIA
Alexandri Macedonis.
§. I.
Alexander cum aliqvot ephebis.
Alexander.

TRiumphos mens agitat, & crescere piget absqve laurea. Alexander non sum, nisi mihi supplicem in genibus Orbem pono. Promovit parens regni terminos; sed nescit terminum nostra virtus. Frustra es, Philippe; Macedonia me non capit, nihil tuus à te accipit Alexander, si Orbem illi non dedisti. Immensam gloriæ sitim patrii amnes haud restingvunt: Oceanus Orbem terminans qværendus est: is mihi pro meta gloriæ, vel si qvid ultra Orbem excurrit. Nec obstat ætas, ubi virtus ætatem supplet, & in puerili corpore gigas est animus. Ætas mihi non ultra Pueritiæ terminos est, sed animus adolevit. trophæa malim, qvam annos computare. at ubi trophæa qvis molitur, virtus in censum abeat, non ætas. Deses nimium manus est, qvæ annos computat ad triumphum. Is mihi demum victor, qvi vincit etiam dum vix potest; & laureas prius numerat, qvam annos, Imo simul mens cum

viribus maturescit, & ipsum animi robur corporis vires consolidat. Qvin ergo jam Philippum refero, nec maturioribus præludo præliis? semper mihi promptum vincere, qvamdiu expeditum est vivere. Parentem opperior; armorum regimen is ubi mihi dederit, Orbis time. ultima terrarum & Orientis lustrare armis mihi certum est: Macedonum signa inferam, qvo nec Macedonicum Nomen pertigisset.

Ephebus Primus:

Tempora votis, ô Princeps, hæc - non viribus istis Conveniunt - - nec tam Puerilibus annis. vota hæc ultra ætatem, etsi non infra hanc indolem. tantisper expecta, dum Corpus cum viribus coalescat: annis grandioribus id gloriæ reserva: stabit intra gloriam, etiam nunc velle sic vincere. Interim bulla Pueritiam ornet, arma virum.

Alexander.

MAgna molientibus mature incepto opus est. Maturius cursum inchoat, cui immensa famæ spatia decurrenda. Velle vincere illi eludat vota gloriæ, cui magnificum nihil superest nisi velle; at ego trophæa velim, non desideria trophæorum. bullam Puer induat, arma Alexander. plus mihi ornamenti in galea, qvam in corona vel adolescentiæ insignibus. Nec purpuram amo, nisi qvæ hostium tabo erubuit. deniqve idonea Manus pugnæ, qvæ adulta victoriæ.

Ephe-

Ephebus Secundus.

ERit, cum victoriæ tibi dies continuos distingvent, & Solis excedet vices tua gloria; sed nunc potius ludis animum relaxa, & curas animo per ludicra disjunge. Si tibi dulce victoris nomen, certamen offero, & una hæc juvenum manus: habes hic pugiles concertaturos strenue, seu discum, seu luctum malis & palæstram, hastiludium si lubeat, vel mihi annulum hasta induet: sic hostile latus tua qvondam hauriat. Qvodsi, tu cursu vales qvam plurimum, in Olympicum procurris stadium, præsto sum: alibi tibi laurea, sic mihi obtigerit oleaster.

Alexander.

LUdicro hæc victori svaseris; at mihi ludicræ non placent laureæ. Orbis mihi meta est, nõ annulus: excurrere in hostem, qvam in Olympia potius in votis est. Sed neq; magis pernicitate pedum, qvam manu valeo. Securus sum ubiq; laureæ, si digna Principe contingat ratio pugnæ: adhæc, ut velim vincere; qvem vincam, parat non occurrit specie hostilis experimenti pugil: reges mihi oppone, & Olympia decurrant. Lanivet absq; pari æmulo virtus. illa mihi laurus non indecora, qvæ nobili, de hoste decerpitur. Nec vallem petunt fulmina, nec leo in agnum ruit, nec Viro prostrata imbellis infantia Deus parit. Paribus congredi speciosum; minoribus extra laudem est. Rex sit oportet, qvi mihi insum offerat: Regibus colludere tantum libet.

§. II.

Nuntius, Alexander, Legatus ex Perside.

Nuntius.

ADsunt ex Perside legati, ô Princeps, tua petunt alloqvia, qvando Cheronæa Philippum detinet. Illum opperiri sui Principis cogunt imperia; & moram, causæ momentis posthabent. Cultus illis, qvi barbaros decet: itineris causæ in aperto: incertum, pacem an bellum ferant. Sed Philippum reqvirentibus, etiam Alexandri conspectus in votis est.

Alexander.

PAtet illis regia, patent aures. Viderim gentem, cui (ut jam præsagit animus) fatalis olim erit gladius Alexandri. Vos illis comitatum præbete hospitalem. Cum Regibus vel Regum legatis agere id demum Principe non indignum: pulchrius mihi sic animum, qvam cæstu vel cursu distrahere.

Legatus ex Perside.

ATtigimus tandem, qvo nos Oriens destinavit. Princeps Inclyte, Philippum reqvirimus, sed in te Philippi sangvinem reveremur. Nescit metam vestra gloria, qvæ Asiam late pervagatur. Philippi armis intremuit nuper Thracia, Tygris & Euphrates inhorruit. Ad eum nos Rex Asiæ Darius destinat, moram tantisper, dum redeat, tuo conspectu levaturos.

Ale-

Alexander.

AB itinere fessos qvies & Subsellia excipiant. Hic Philippi reditum præstolemini, dum vincat: spatium illi victoriæ concedite, aderit ille, nec laurus differet, nec responsa Græciæ illum arma distinent, cujus clades proseqvitur in Bœotia, qvas alibi auspicatus. Sed Darii res an in turbido? oleas metat an laureas? pacisne artibus magis studet qvam trophæis?

Legatus:

AB armis agit otium: arma ponere pax alta jubet. olim infesta nobis Græciæ signa, tunc fœderantur. Habet tamen, qvos opponat etiamnum Persia, si qvis virtutem temere lacessat, nunqvam militaris cessat exercitatio: etiam pacem in armis agimus.

Alexander.

QVod vero Persici exercitus robur? numerone plus valeat an virtute? qvæ gentes arma sociant?

Legatus:

VIrtus an numerus in milite superet, in medio relinqvo. Numerum vix ineas, qvem Sociæ gentes conflant. Xerxes alius Septingenta millia de regno armaverat, trecenta millia de auxiliis: exhausta tunc flumina & carinæ. At nunc etiam Virorum abunde est. Asiam & Asiæ populos animo percurre, & numerum militis iniisti. Mitto immortales copias è decem millibus conflatas, qvæ mori nesciunt, qvin par

numero ſuccreſcat robur. Regiam item arma circumſtrepunt complura, in præſidiis hærent plurima. amat nempe pares excubias ſumma poteſtas.

Alexander.

AT imperii qvæ vaſtitas? qvæ opes? qvæ commeatuum ratio imperium tranſeunti?

Legatus:

OMnes prope auroræ populos noſtra ditio comprehendit. Aſiam imperio coercemus: qvidqvid inter Helleſpontum & Halym, qvidqvid Tygris alluit & Euphrates, Regni Perſici munimenta crede: Ægyptum nobis Nilus fœcundat. Hydaſpes non aureis inundat fluctibus: nobis aureum Bactra tributum debent: Hircania, Media, & Indorum accolæ atqve ad Caucaſum & Tanaim vix ipſo notæ nomine parent gentes. Seneſcendum foret id terrarum obeunti. Opes imperii tot aurei torrentes fundunt: fortunas felix Arabia ſubminiſtrat. aurea ibi ora aureum ſemper parit ſæculum. Commeatuum ratio expedita: agri fertilem glebam alunt: mira frugum ubertas, meſſes opimæ, ferax vindemia, armentis campi vix ſuppetunt.

Alexander.

ODignum me Principe imperium, niſi univerſum Orbem malim. nam tanta etiam tuo liberali præconio Perſia minor eſt, qvam ut me impleat capiatve cui vix orbis ſufficit. Pudet ibi curſum Victoriarum ſiſtere, qvo illas commu-

nis

nis pluribus armorum ſelicitas promovit. Nondum pulchram gloriæ famem totus Oriens implebit, ſi extra captum etiam Euphratem & Gangem aliqvid capiendum ſuperſit, qvo vela gloriæ explicem ac convertam. Sed qvalis in hoſtes Darius? qvalis in Cives: an tyrannide omnia, an benevolentia coercet?

Legatus:

VIvit cum Civibus, ut parens cum liberis, hoſtes armis, cives benevolentia devincit: ibi ferro, hic auro plurimum poteſt polletqve. Tyrannidis ne nomen qvidem audiimus. etiam viliſſimi ſangvinis pulchra inibi parſimonia.

§. II.

Nuntius, Alexander, Parmenio.

Nuntius.

BEne habet, Princeps Maxime, vicimus, totæ jam vires Græciæ concidere, qvas ad Cheronæam effuderat. Numerum hoſtium ex clade conjice, qvæ Græciæ Imperio finem attulit tanto fuit opus apparatu ad tantam ſtragem! Tantum ibi datum hauſtumqve ſangvinis, qvantum nec Athenæ vellent, nec Thebæ crederent. Crevit Bœotiæ vico nobilitas conſcio tantæ cladis & triumphi. Sic pereat, qvisqvis Macedoniæ arma infert. Non alibi pulchrius qvam hic tuus triumphavit parens, vix Ducis Græciæ nomen è tot ſpoliis ad ſe pertinere paſſus, cum jam Græcia Regem dixerit. Satis illi ad nominis decus vicisſe:

vicisse: tantumq; imperium tanta delevisse ruina. pulchrius Victoris illi nomen, qvam Regis.

Alexander.

A Deone Parens me per imbellem pueritiam domi deside profert laureas? sic arma ubiq; victricia solus circumfert: jam Thessalos attrivit. jam Thraciam palmari ferro domuit: fractis demum Græciæ viribus, qvid mihi parandum gloriæ, qvid vincendum superest? Meis adimitur trophæis, qvidqvid accedit Paternis; nec modica mihi pars laudis interit, qvæ ab alio præcerpitur. At ea mihi gustulum proritat gloria, qvam nemo inter cruda ferri opsonia delibavit. Parens certe qvot oras Victoriarum cursu peragrat, tot mihi præcipit. Mea fuissent, qvæ incendiis populatus vel in plana submittit. Paruissent mihi, qvos fudit in acie; tulissent me cogente jugum, qvos ferrum oppressit.

Parmenio:

E Tiamne ad Parentis gloriam, Princeps, ingemiscis? an malis victricem Græciam, qvam victorem Philippum? ergo te illius cruentant laureæ, victoriæ dehonestant? Attrita Græcia num Orbis imperia concidere? nihilne ferro domandum superest, ubi Athenæ corruunt? Arcte verò natura definisset Orbem, si extra Thebas Athenasqve nihil reliqvum protulisset. Vicerit ergo Græciam Philippus, nondum Orbem, qvi tuis armis superest, & jugum jam Alexandri expavescit.

Ale-

Alexander.

VIctum qvidem Parentem nolim, qvia nec illius amo dedecus; sed nec meum. mihi vero probrum feritur, qvoties triumphi prærepta materies triumphos minuit, vincendi præcludit industriam. Vinceret Philippus; sed Alexandro signa inferente. Græciæ amo vulnera, sed meis armis inflicta: ruinam ejus haud ægre tulerim, si mea manu concidat. Neq; hæc invidiæ vox est; sed mihi auferri gloriam, cum minuitur, ægre habeo. Meæ fortunæ author esse malim, qvam hæres. mallem, à me potius Parens, qvam à Parente Græciam recepissem. Eqvidem si mihi in fatis est Orbem vincere, nec Græciam detrectassem.

§. IV.

Ephebus, Anaximenes, Aristoteles.

Ephebus.

ORator tuus regiæ gradum admonet ô Princeps, credo, eloqventiæ pensum exacturus.

Alexander.

ID qvidem meditatum & multa, qvod ajunt, cruciatum lima, industriæ mihi primas, ingenii deferet non postremas.

Anaximenes.

UTut nulli tributo velit obnoxium fortuna Principem, ab ingenii censu non eximitur. Stylum reqviro, qvem literariæ Principi leges indixere.

Alexander.

ID vero tributi pendere mihi extra probrum duco. Impera tributum grandius, feres: impone gravius; feram. En laboratum ad lucernam opus: non semel id mihi, ut Apelli linea, in spongiam incubuit elimatum. Argumentum est: consilia Principi ubiq; in bello maxime arcana esse oportere. Mœonius item vates mihi in deliciis. Sub pulvino Homerus tantum & gladius: is me regit, ille tuetur. Huic vati institi, ac Etopœiam Ajacis pro armis Achillis contra Ulyssem ad Eloqventiæ leges excolui.

Anaximenes.

EGregium vero & dignum hoc calamo argumentum! Eqvidem Consilia tamdiu tuta, qvamdiu abdita, tum illustria, cum lucem nesciunt, nisi cum in apertum fatorum violentia cogit erumpere, Sint hæc ut oracula, qvæ tum ex abdito panduntur, tum abstrusa oratio perplexius mentem innodans, eis nubem & reverentiam intendit. Hostem non exterrent consilia, qvæ ex notitia pondus minasq; amisere. adimit illis metum arcanis obliqva garrulitas. dolus etiam doli rationem amittit, nisi astu colas. Sed en Aristoteles se huc infert.

Alexander.

VEneror summum scientiarum Antistitem. tempori venisti: Philosophari tantisper libet, & Rhetoricen disceptatione interpungere, qvam mihi nuper per aures in animum, in memoriam transmisisti.

Ari-

Aristoteles.

QVando Principi etiam tunc parendum, cum defert imperia, pareo, & disceptandi argumentum è politicis eruo. Qvod vero tu Imperii genus terris aptius ducis? an plurium regimen, an unius? Monarcha tibi potior in imperio, an Optimates vel populus? Nam hujusmodi species ex regia gubernatione prolabuntur in tyrannidem, ex Optimatibus in paucorum potentiam, è populo in avaritiam magistratus. potestatem ergo unius improbo, non qvod Principes oderim, sed tyrannos, in qvos hæc gubernandi ratio sæpe degenerat. non tam hi premunt hostem, qvam opprimunt subinde civem; aut eundem furorem, qvo in hostes detonuerant, amoliuntur in subditos, & ut ait ille, laurum polluunt sævitia, dum fusis hostibus in populares fæda populatione grassantur. Adhæc solitaria potestas vix naturæ congruit: vel enim ex similibus coalescit Respublica; & sic jus omnibus ad idem regimen: vel ex diversis; & sic non unus inter hos eminet, cum tamen unus præponatur. Imo nec semper qvi eminet, fasces capit. Qvare lex potius dominetur, qvam unus Civium.

Alexander.

INgenium in omnem circumactum partem in te suspicio, non tamen id efficit, ut Principatum unius reprobem, qvem te Magistro semel multiplex ad rationis solem expensa ratio ap-

probavit, ſenatus enim populiqve imperium ob certamina potentum & avaritiam Magiſtratuum, ut tu & veritas aſſerit, eſt ſuſpectum: duorum Principum electio, Civilium eſt bellorum fax & origo, qvid plurium? Omnia ergo ad unum referri, pacis intereſt Unus Solunus Princeps. nec duobus ſolibus regi cœlum, nec orbis ſumma duo imperia ſalva terrarum ſtatu possunt conſiſtere. Natura commenta eſt Regem in apibus: at hic unus eſt. Elephantorum gregem excelſiſſimus ducit, utiqve unus. Divinior inſuper hæc gubernandi ratio, qvia ſic Deus, qvem ex te unum didici, gubernat univerſa. Nec obſtant, qvæ in contrarium opponis. nam tyrannis irrumpit, ubi unus omnia ex libidine regit, non ex legibus regni, qvas ſuppono. Tyrannidem item dicimus, dominatum unius ad proprium commodum intendentis; at Principi respublica curæ eſt, & illud vitium non Principatus eſt, ſed malignioris ingenii. Nec leges melius ſolæ gubernantur. nam hæ tantum in univerſum provident, non de ſingulis, qvæ accidunt, jubent.

Ariſtoteles.

BElle tu qvidem de regimine ſolitario, utinam tibi ſic uni dominium orbis contingat, qvam ſolide imperium unius adſtruit. Sed Phyſices adhuc exprimentum placet ſumere, Qvid tu ex me de terræ ambitu? de Mundo?

Ale-

Alexander.

UNus est, sed plures cum Democrito vellem, ne in arcto imperem: unum tamen ex te audita evincit ratio. Terræ ambitum melius explorabo, dum terras victoriis emetiar.

Aristoteles.

SEd en educator Principis Leonides graduum accelerat: cedimus tantisper, dum grandior Chiron nostrum Achillem instruat.

§. V.

Leonides, Alexander.

Leonides.

NIhil usqvam proficis Alexander, nisi Deos etiam rite colis. morum tibi frustra formator sum, nisi Divinis etiam mentem imbuo. Dii fovent ingenia, qvæ pietas simul excolit & doctrina. Princeps es? ut diu & feliciter sis. Diis supplica. cadunt imperia, qvæ religio non fulcit. Ergo Diis sacrifica, & thure illos pro Macedonia, pro teipso placa.

Alexander.

PRæsto sum, nec Deos invitus colo, in qvorum familiam nos auctor generis nostri Hercules inservit. Absit etiam hæc cum Divis cognatio; adhuc præter sangvinem, est qvod in Diis colam.

Leonides.

ERgo huc ad aras. en acerra: ei thus ingere, & Deos rite coluisti.

Ale-

Alexandro thus liberaliter ingerente, Leonides:

TU vero liberalius Deos colis, qvam ipsi velint modico illi thure placantur, & minor illis placet hostia, non tantum gravior hecatombe. Inter Macedones sacrificas, non Sabæos, qvorum hæc nativa messis est. tum demum odores prodigalius accendes, cum Arabiam & odorum regna capies triumphator.

Alexander.

AT ego parsimoniam odi, ubi Diis aliqvid dandum est Magnis colantur Maximi. Probro non vacat, eum parcius habuisse, cui omnia accepta referas. Refluant in Deos, qvæ à Diis fluxere liberaliter. An amnes velis mari, ex qvo occulto meatu scaturiunt gratiores? olim tibi etiam plenas Sabea messe naves transmittam, nunc Diis tantillum negem? Ignosce, ô Leonide, hic me vix habeas obseqventem. Parcius agerem, si Leonides essem. Sed liberalitas hæc & Deos addecet & Alexandrum.

Nuntius: Ab Cheronæa Philippus rediit victor, Princeps Max:

Alexander: Qvin procurrimus obviam, & victoris aspectu fruimur?

§. VI.

Philippus, Alexander, Commilitones.

Philippus:

DIdicit tandem Græcia, qvem illi æmulum in Ma-

Macedone fata objecerint. Adorare cogitur Macedonum virtutem ultima ſui ruina. Vix unqvam Orbis pronius illam adoravit, qvam Græcia ſic cadendo. Utinam pro Patriæ tam ſtrenue hoſtilis egiſſet rabies, qvam olim pro Helena. Trojam melius oppugnare noverat alienam, qvam propugnare ſuam. Dolis Græciæ qvondam, qvia virtute nequiit, Troja corruit, ipſa noſtris oppreſſa armis concidit. Thebas ſibi in vincendi fiduciam adjunxerat, ſed illas par interitus ſociavit. Nec illam ſua Minerva, neqve has tutelaris Hercules defendit. Erit, cum inſuper Thebarum mænia, qvæ ad carnem coaluerant, inter lugubres excidii leſſos diſſolventur. Si fata conatum præripiant, idem tibi, Alexander, impero, in te habeo; qvo vel poſt fata Thebis noceam & in emortuis cineribus vivere probem odia. Alexandrum relinqvam; & hoc ad Thebarum cladem ſufficit. nunc ſub communi cum Athenis clade ingemiſcant.

Commilito I.

NOs vero & Macedoniam te Rege perbeatam! vix totidem prælia recenſet, qvod triumphos; ita palmam victrici dexteræ virtus inſerit, qvocunqve arma triumphalia intuliſti! laurum induit, qvidqvid palpas calcasve. Theſſaliæ vix regale veſtigium impreſſeras, cum hoſtem oppreſſiſti. Gemit tuo ſub jugo Thracia, obſcurior futura, niſi ſuis cladibus, tuis inclaruiſſet trophæis. Victoris nomen pridem apud

te

te novitatis nomen omisit. Sic vincere, aliis prodigium, tibi ludus. intentare tibi pugnam, est offerre lauream. Cogis hostem arma ponere, cum tua extulisti. imo fama subjugas, qvibus manu parcis, securus victoriæ, ubi consciam virtutis aciem explicasti. deniq; hostium inclinantur acies aut sternuntur, ubi tu insurgis: dum irruis, illæ corruunt; tuæqve virtutis mole obruuntur. Sed tamen id unicum de te dixisse sufficiat, filium habes Alexandrum.

Commilito II.

UTrobiqve tu Magnus, Philippe, domi forisqve, nisi qvod grandior ab Alexandro. Neqve hic te posthabeo: tibi imputa, qvicqvid in Alexandro æstimatur. Redit ad Auctores gloria, & in majorum decus redundat, qvidqvid laudum congeritur in nepotes, ominari licet grandia de Magni filio. Ejus tu victoriis prælusisti in Græcia, qvas ille immisso in Asiam bello adornabit. Crescit jam in ejus perniciem, & bella continuaturus & trophæa. Ipsa illius indoles mihi non unius præsagium est triumphi: animum etiam nunc gerit dignum, cui Orbis succumbat, nil in illo præter annos puerile: indoles Marti peridonea, ultra ætatem ratio; responsa, qvæ à senio vix expectes, animus orbe major bellorum avidus, triumphi cujusvis non incapax, Martialis gloriæ studium & famæ perennis cupiditas vix terrarum omnium imperio explenda. Id unum ergo de te dixisse sufficiat, Filium

lium habes Alexandrum. Pulchrum tibi victoris nomen, Parentis gloriosius.

Philippus.

DIgnam & ego Orbis fascibus duxi indolem, qvam amatis talis gignendus erat, qvi orbem vinceret. Me vero te filio fortunatum Alexander? qvod te regni, qvod trophæorum hæredem relinqvam, id mihi ad immortalitatem sufficit. Tibi Græciam, tibi Thessalos Thracasqve vici: relinqvo tibi imperium, qvod ab Amynta non accepi: Macedonia primo fuit, dum regnum caperem; nunc centum & qvinqvaginta sunt Provinciæ. Auge tuorum gloriam, & tibi parta tuere.

Alexander.

EFficiam ut nec dati te imperii pœniteat, nec me accepti. Modicum tamen est, qvod tribuis nec pro meæ mentis immensitate. Macedonia mihi etiam sic aucta non sufficit, Orbem volo. Græciam mihi das, qvam ipse cepissem: Thraciam mihi olim cognatus subegit Hercules. Latius ego arma cum votis circumferam; ac ut tuam virtutem Thracia Hebis aureis inscribit fluctibus, sic olim Indus & Ganges in tuas measqve pariter laudes despumabunt. Etiam tuæ obsecundabo gloriæ, dum militabo meæ; non arctius imperaturus, qvam mundi immensitas patiatur.

Phi-

Philippus:

AMo indolem, Macedonum dignam Solio. Aliud ergo tibi regnum qvære, ô fili, qvando te Macedonia non capit: i, vince, ac Orbi impera.

Hactenus alterum Dialogismi exemplum. Simile acumen in Colloqviis & literis sectari qvandoqve licet, nisi qvod in his gravia seriaqve ludicris temperare sit solenne.

CAPUT IV.

Qvartum non vulgaris Admirabilioris Eloqventiæ Fundamentum.

Mira per Allegoriam & insigniores Figuras Styli Exornatio.

ADeo Ennodii seculo Allegoriæ usus percrebuerat, ut Tulliana dictio, qvæ alienior à freqventi Allegoria, vulgo diceretur ferrum Ciceronis. Aurum scilicet illis vel auro qvid pretiosius pulchriusqve fuit Allegoria: at multo magis de insigni Allegoriæ usu, & Stylo per eam ac insigniores Figuras exculto id censuissent.

§. I.

§. I.

Rariora qvædam de Allegorico charactere.

PRæmoneo nimiam affectationē & tumorem qvendam Allegoriæ merito carpi ab omnibus, qvalis illa est Ennodii: Eat nunc, & cothurnatis elationibus Alexandrum jactet antiqvitas, cui famæ opulentiam suggerit dos loqventium, & per facundiæ prodigalitatem videtur crescere rebus mendica laudatio. Hoc posito, sit jam de Allegoriæ usu non vulgari.

Documentum I.

POsse Admirabilem Allegoriam esse eruditam qvæ à rebus sumatur ac Personis in Historia vel fabula celebrioribus, nec vulgari modo accommodatis. Sic illud de Alexandro VII. Romano pontifice, qvi à religione voti qvemdam absolvit: Est Romæ contra hujusmodi etiam nodos ac vincula gladius Alexandri. Sic de Rege nostro hostium tot pridem Victore: Si Tyro non horruit, contemnet hydram grandior Hercules. Sic de Moschorum Victore, qvorum insigne Taurus: Iterum novus Hercules Taurum edomat. &c. Sic illud nostri Oratoris de Duce invicto; State admirabundi Heroes, ubi pro avita Majorum Troja contra sui Temporis Dolopes & Achivos alter Sarmatiæ stetit perstitiqve Hector; hoc vetere illo felicior fortiorqve qvod astu varium Ulyssem, armis validum Dio-

Diomedem à desperata expugnatione in fugam vertit. Brevius Strada de Belgio: Tot jam decenniis Troja hæc petitur, nec expugnatur.

Allegoria ergo aliqva est Erudita: in qva etiam aliud sensu, aliud verbis dicitur, sed verbis propriis & ex Historica vel Poëtica Eruditione petitis.

Patet id etiam in hisce Rythmis:

Adriam qvisqvis horruit,
Et lenem Cydnum cavet;
Telephi hastam metuit,
Ictum qvi leti pavet.

Et de cura minimorum:

Hæmum si dorso dejicis:
Cyclades parvas time;
Scelus --
Non statim evadit Gigas,
Sed crescit culparum moles,
Sensimq; fit Sthenelus.

Et in superbum:

Qvid cristam Tereu erigis?
Et ales cristam gerit.
Qvid jubam cellum surrigis?
Haud Cyllaro par erit.

Documentum II.

ALlegoriæ Synonymæ & Conglobatæ pulcherrime adornant Orationem. habes exempla cap. primo ubi de sensibus Synonymis. Sic ad confirmandum illud qvod rarus sit, absq; aliqvo nævo seu vitio Allegorice elaboratur in Rythmo:

Nec

Nec ſine cortice lignum,
Nec absqve lappa ſeges;
Nec ſine carie tignum,
Nec ſine cæde leges.
Et roſas ſpinæ aſperant,
Teguntq; nubes Solem;
Nimborum clauſtra reſerant
Zephyri, æſtus prolem:
Sic nil ex aſſe gloriam
Vendicat totam ſibi.
Sic pro modeſtia animi contra faſtum:
Tutius humi repitur,
Nec lapſum ima timent.
E celſo ruitur in præceps,
A telis pax eſt trifidis,
Nec Jovis pavet facem
Vales, &c.

Documentum III.

ALlegoria non refugit acumen imò Allegoriæ acutæ pulcherrime adornant Orationē. Sic de ſacro Pnevmate in igne & Spiritu vehementi deſcendente Ferr: Per flammeas lingvas jucundiſſimus hic æſtus ſeu Amoris æſtas vehitur, vehementi Spiritu commode ventilatur ut vitam efficacibus flammis per ventum inſpiret. qvandoqvidem unus poteſt Divinus Amor ardorem ipſe ſuum eventilare. niſi forte ſimul in ignem atq; auram ideo mutetur Amor, ut in Amoris æſtu amorem pro aura reſpiremus. Arſit gelida Septemtrionis ora, nec remotiſſimum

mum Solem desideravit proximo illustris DEO, qvo melius incaluit, qvam averso atqve avio sole. Arsit torridus mundi tractus & solis imminentis æstum, præ amoris æstate frigere utili experimento intellexit.

Sic & illud de Sanctis: splendidiora hæc, qvia infiniti Solis sidera sunt; non hæc splendide mendacibus fabulis, at debitis cælo virtutibus lucent: non in varias ferarum facies efferata crudeliter rubent, sed ipso Deo, qvo felicissime ardent, beatissime effulgent. O vere amica sidera, qvæ vestrarum magis fulgore virtutum qvam cœlestium luce flammarum Stellatum annum circumvolvitis.

In Poëtam obscænum ex hoc documenro illa Allegoria:

Multorum Capitum scripsisti, Pontice, librum:
Cur frontem Tuus hic non habet ergo liber?

Documentum IV.

TAnto Allegoria pulchrior & admirabilior, qvanto aptior; in Allegoria enim est qvædam tacita Comparatio, at Comparatio sola plausum meretur, qvæ concinna, & rebus idonea. Sic Nepoti non degeneranti à Majoribus apte accommodat Gabriel Cæsarinus Aqvilæ Allegoriam degenerem fœtum ad solares radios explorantis addito Lemmate: Mei non degenerant.

Hinc svavitatem haurit Allegorica illa petitio: Et ego ad pedes munificentiæ Tuæ cum pre-

precibus supplex corruo, ut beatior surgam, & in hac felici ruina ac Majestatis Tuæ umbra, Fortunæ meæ lucem & fastigium inveniam. Scio petentium desideria Magnis mentibus gloriæ theatrum sternere, &c.

Ex eadem causa illud de Turca tumido à Polonis victo Allegorice dictum est pulchrum & admirabile; qvia aptum. Orbe terrarum hausto suum completura orbem Luna Turcica videbatur: sed præsto eras qvi coëuntia Europæ dissidiis Lunæ cornua objectu laterum impedires.

Huc illud refer Allegoricum ad tumidos de vaporibus terreis:

Nec vapor tutum altius
Nubibus caput credit.
Solutus æstu tristius
Illacrymatus redit.

Et illud de ebriosis:

Dissolvitur in poculo
Naufraga vitæ ratis:
Ni caveas hunc scopulum,
Peribis Palinure.

Documentum V.

TAnto pulchrior & admirabilior Allegoria qvanto continuata illa Metaphora Eruditionis & acuminis multiplicis capacior est. Hinc illustris admodum Allegoria apud Neotericum de Scytharum Victore Uladislao: ô Cœlestem Vigorem! nam & Stellas post Lunam Othomanicam ducit in triumpho, nisi titioni-

bus insignire malis bustuarium Scytharum Regē sed stellæ sint, qvarum aspectus vel Roma semper exhorruit cum utramq; Solis domum teneret. Jam occidere coguntur, vel extingvi cogit Uladislaus; qvia Sol est perdere natus astra minora. Nunqvam luisset Podolia, nisi aliqvando his stellis luxisset: nec ominosius qvidqvam accidit, qvam erronum hujusmodi cum Luna conjunctio. Sed reperit Atlantem, qvi hunc Zodiacum versat. olim periissent, nisi lucerent alieno: collucere jam soli possent; sed noctem amant. Eia, convolve signa, erratica Planetarum cohors, & si qvid monstrorum ibi agnoscit Mathesis, cuncta sub nostri Herculis pedes eant.

Hic vides qvantam admirabilitatem tribuat à Stellis ducta Comparatio ob multiplicis acuminis & Eruditionis Mathematicæ, Romanæ, & Poeticæ capacitatem.

Tales Allegoriæ essent de Aqvila, Leone, Phœnice, Cœlo, Floribus, Igne, Gemma, Mari, Tempestate, Sole &c. &c.

Ut ergo Allegoriæ lucem addas, si hæc à nomine Appellativo ducatur, Historiis & Eruditione ad nomen hoc pertinente illustretur. Sic in Allegoria Rosæ meminisses fabulæ docentis, Rosas ex humano sangvine propagatas: hinc ruborem traxisse. Item qvod olim, teste Basilio, Spinis Rosa caruerit, scilicet ante Adæ peccatum, vel qvod Indi placare assveverint Dynastas Rosa oblata. Et sic de aliis, &c.

Documentum VI.

POsse Allegoriam non vulgarem sumi à rebus ad aliqvam artem spectantibus vel ab ipsis artibus. Sic à re nautica illud Stradæ: Qvoties mota est sacræ religionis anchora, toties fluctuavit Reipublicæ navis.

Sic in Panegyrico Divi Martini ex eo qvod Cœli suspex dicitur idem Sanctus: Nemo mihi posthac Astrologus, nisi cui cœlos sic libeat contemplari: viam tamen in Cœlis non prius Lacteam reperit, qvam morum innocentia in terris expressisset; aliqvas in sole; nullas in se passus maculas.

Sic itinera à S. Francisco Xaverio animarum causâ obita cum Motu perpetuo alius comparavit.

Documentum VII.

STylus admirabilis Allegoricus aliqvando deflectit ad usum & consvetudinem veterum. Sic illud Servatori Patriæ: Non unam Tibi Civicam, non unam Obsidionalem debet Patria, nisi qvod sic Polonam coronari non sufficit virtutem, qvo Romanam.

Sic illud brevius: Age, libertine, interim Decembri utere ubi alluditur ad Saturnalium Romanorum dies in Decembri celebratorum: tunc enim servis omnia licebant. Sic etiam illud Poetæ: -- dextraq; suos jam computat annos, idest, centenarius est. nam veteres usq; ad 100. in sinistra numerabant, à centũ in dextram numero

translato. Item si Phrygem plaga erudit, & te; ne in care facere periculum Fortuna videatur.

Hinc patet etiam Allegoriam non vulgarem ab Adagio seu proverbio desumi posse. Ut & illud de donis suspectis: Munera qvibus colitur, eqvum Sejanum reputat, aut monile Hermiones, vel fatale suis Possessoribus aurum Tolossanum.

Sic stulto Nautæ dictum: Cum tot maria terrasq; lustraveris, restat ut ad solas naviges Antycyras (ubi helleborum in copia purgando cerebro idoneum.)

Aliqvando Allegoriæ hujusmodi maxime in Dialogismis versu ex Poeta desumpto efferuntur: ut illud ex Juvenale ubi svadetur suis parcendum esse: Cognatis parcit maculis similis fera - Et sævis inter se convenit ursis.

Documentum IIX.

ALlegoricæ dictionis proprietates ad rem Allegorice describendam cum delectu accommodandæ, ita ut etiam earum opposita perstringantur; puta, ortui occasum, luci tenebras, malaciæ tempestatem, &c. opponendo. nam ut noctis umbrarumqve horror diei gratiam, sic opposita lucem allegoriæ intendunt.

Documentum IX.

POsse interdum uni Periodo plures inseri Allegorias non inelegantes. sic illud Stradæ: Dum bellis arderet Italia, incendium illud late dimanavit &c. Et illud de Exercituum duce alius,

lius: Qvis Te vel inter immanes Sarmatiæ procellas, qvas Gotticus turbo excitarat, sereniores Patriæ dies, & qvandam restituisse malaciam nesciat, cum Tu non Tam eqvorum, qvam victoriarum cursu, tot spatia decurreres, hoste Parentalem cupressum, Te ubiqve triumphales laureas colligente.

§. I.

Idea Allegoriæ rarioris.

EXempla hujusmodi plura alibi; hic duo sufficiant. Primum accipe in Allegoria de Christo Patiente ex Ferrario. Allegoria est sub nomine Parricidii. Ad qvam mire Passionis mysteria adaptantur.

Illuxit tandem dies, qvæ vitæ Parente impie perempto, verius qvam Idus Martiæ caso Tyranno Cæsare debeat Parricidium nominari. Tam atrox tam insolens Parricidii scelus, non communibus lacrymis sed præsudato sangvine deplorandum fuit. Osculo filiorum aliqvis vulneri prælusit, ut ex facilioris aditu, omnium gravissime cor paternum vulneraret. Vulnerum jam reliqvorum non miror licentiam, dum tantum osculo in cor liceret. subi jam Vincula, Prodi te Pater; decet enim post Filii fatale Tibi osculum, amplexus vinculorum: neqve Tui Te filii mitius tractare norunt qvam vinculis. An & depalmatus gravissimum leviter perfers alapæ ludibrium? nempe Patri alapis blandiri par est Filios Parricidas. Sed imbellis est manus

colaphos infringere; valentiores hic Pater liberos habet, qvi ad saxeam deligatum columnam, illa sane duriores, alterno fustium impetu Patrem in mancipium deforment. Eqvidem nunc primum didici Saxeos homines moveri posse: qvanqvam hujusmodi Saxa nimium animæ habent ad motum, qvæ crudelitate animantur. Sed satis jam sævitum est: libet jam cum Patre Filiis tantisper lusitare. At iste lusus inter spinas aculeum habet. O ingeniosissimam Amoris Philosophiam, qvæ non Philosophum modo Socratem, sed Deum etiam suis cum Filiis docet in arundine repuerascere! Qvia verò Filiorum actio levis arundo est; Crux par habens furori pondus inauditum Dei Patricidium peragit, qvæ non minus dedecore illum cruciat qvam dolore. Ubi jam mactatus à Filiis & pro Filiis tumulatur Pater? nusqvam credo decentius, qvam in emollitis cordibus Filiorum.

Idea II.

AFfero Dedicationem Thesium Logicarum M Domino Rylski S.R.M. Secretario. Allegoria ex avita ejus gemina Luna, qvam gladius discriminat, sumitur:

Suum jam nomen felici amittit interitu solius jacturam passa caliginis Logica, dum Tua non tam noctium, qvam dierum Præside Luna circumfunditur. Gemina ut Patriæ, sic Atticis ingeniorum noctibus, & Academi umbris face præluces, cum unam Cœlum proferat, adeo parcius

cius in Cœlis Lunæ proveniunt, qvam in Heroum atriis; cum & geminos Cœlum nesciat ferre Soles, & Lunas. Nocturnas qvidem avitum hoc sidus umbras cornuta luce impetit, Lunam utriqve Solis Domini, utriq; hemisphærio eandem destinat, sed diem etiam ingeniis accendit. & orbe nec dum etiam completo (qvamvis hæc etiam nunqvam coëuntia Lunæ cornua non obstant, ut orbem fama impleas) plenum melioris præsagii accendit Plenilunium ut solis induisse ingenium Lunæ hujusmodi videantur. Qvid enim illis, ad diurnæ lucis desit copiam, qvam Regia Serenitas, hoc est, Lechici Solis radius, illis in intimum conclave, ceu in terrestre cælum admissis, affundit? Eclipsin qvidem aliæ in Solis vicinia patiuntur Lunæ, sed non Tuæ; qvibus binarius avitæ Lucis, vires luminum intendit extenditq;: & insuper contra fatales cuivis sideri umbras meliori qvam cœlestis Perseus gladio muniuntur,&c.

§. III.

Mira Styli Exornatio per Figuras qvasdam.

ILlud hic te moneo, non Figurarum Specialium tantummodo usum à me hoc loco commendari, sed vel maxime usum specialem earundem, qvod fiet, si non verbis tantum inanibus, & grandium sensuum vacuis Orationem concinnes, sed qvibus grandior substernatur sententia & non vulgare qvidpiam sonans.

Patet id Primo in plerisq; Pliniani Panegyrici locis.

Talis illa est congeries, Antithesis, similiter cadens, qvæ insigniter exornant laudem Trajani à Justitia: Qvam mitis severitas? qvam non dissoluta Clementia non locupletando fisco sedes, nec aliud tibi Sententiæ tuæ pretium, qvam bene judicasse. Stant ante te litigatores, non de Fortunis suis, sed de sua existimatione soliciti; nec tam verentur, qvid de causa sua; qvam qvid de moribus sentias: O vere Principis, populos non Imperio magis qvam ratione compescere, intercedere iniqvitatibus magistratuum, infectumq; reddere, qvicqvid fieri non oportuerit; postremo velocissimi sideris more omnia invisere, audire omnia, & undecumq; invocatum statim veluti Numen adesse & assistere!

Illud vero apud eundem exornat non *rudis* Comparatio & Oratorium incrementum; sed Tibi nihil accommodatius ad gloriam qvam penitus inspici. Sunt qvidem præclara, qvæ in publicum profers, sed non minora, qvæ limine tenes. Est magnificum, qvod Te ab omni contagione vitiorum reprimis ac revocas, sed magnificentius qvod Tuos. Qvanto enim magis est arduum alios præstare qvam se, tanto laudabilius qvod cum ipse sis optimus, omnes circa Te similes effecisti.

Et illud ejusdem: Veniet ergo tempus, qvo posteri visere, visendum tradere minoribus suis gesti-

gestient, qvis sudores Tuos campus hauserit? qvæ refectiones Tuas arbores, qvæ Saxa somnum prætexerint? qvod conclave langvores Tuos viderit? qvod hauserit lacrymas? qvod deniqve tectum Magnus Hospes impleverit. At hic iterum congeries, similiter cadens, &c.

Pulchrum & Compar Antithetis permistum, sed antithetis grave subsit acumen, ut illi: A flagitio Sanctissima, luctuqve qvam risu felicior Magdalena.

Profero longius Exemplum de S. Joanne Bapt. Clausis oculis perspicax, Solem ante vidisti, qvam diem cerneres, ante adolevisti ad Sanctimoniam, qvam nascereris ad vitam, &c.

Et de Sanctis Martyribus: Clausistis ora, aperuistis vulnera, vulnere qvam ore eloqventiores.

Et illud: Neqve illa Rhetorum probra pensi habemus, qvi natam in summo Thrasonum ore facundiam æmulati, de suis rebus inconcinne de alienis loqvuntur indiserte, pessime de utrisqv, tum vel maxime disserti, cum Eloqventiæ Flumen è calicibus derivant, Nymphis qvam Musis, Libero qvam Tullio, rastris aratorum aptiores, qvam rostris Oratorum.

Et illud similiter de Doctis: Videas illos obscuris lucem, notis gratiam, antiqvis nitorem, ignorantiæ interitum, exitium erroribus, expedita dubiis responsa afferre: Unicus illis est hostis ignorantia, qvam editis à se ingenii moni-

mentis profligant: ruditatem ab hominum mentibus proscribere &c. &c.

Qvam illud illustre ab iisdem verborum luminibus seu figuris, Divi Fulgentii de Christo nato: Qvi portatus ut parvulus, adoratur ut Deus: parvulus in præsepio, immensus in Cœlo, vilis in pannis, pretiosus in stellis. Venit non ut pugnet vivus; sed ut triumphet occisus.

Patet ex his obiter attactis, pluribusqve apud recentiores exemplis mirum in modum Eloqventiam hujusmodi ac aliis Figuris exornari, si ipsa insuper Figura sublimi Sententia vel acumine exornetur.

Caput V.

Qvintum non vulgaris Eloqventiæ Fundamentum pulcherrimæ Exquisitæ Descriptiones.

PLeriq; hic non mediocrem plausum captant, dum rem suis ad vivum coloribus usq; ad ingenii ostentationem & legentium illecebram laborant depingere. Eximius hac in re Gvinisius in Allocutionibus & Strada in Prolusionibus, item acuti RR. præter alios.

SECTIO I.

Primum Genus Admirabilis Descriptionis.

DUplicem descriptionem statuo; aliam Historico, aliam Oratorio stylo, utramqve tamen

men artificio admirabili excultam. hæc non sine flexu qvodam & pompa atq; acumine & affectibus describit, qvod illa breviter & dilucide, & aliqvo colore Rhetorico.

Primi generis Descriptio apparatum sumit ab Adjunctis rei describendæ, contentis illo versu: Qvis qvid ubi &c. Eadem Ornamentum sumit & admirabilitatem ab Hypotyposi accurata: Item à concinna rerum congerie, distributione, comparatione, Isocolis, similiter cadentibus, eruditione obiter inspersa, aliisq; verborum luminibus & viva Adjunctorum descriptione. Juvat subinde Descriptionem maxime Historicam condire qvæsito accessu, vel ex visceribus rei eruto, ut in Prima Descriptione videre licet, vel à loco communi, seu documento in gnomen concinnam redacto, qvod ex Historia eruitur; ut in Descriptione qvarta patet.

§. Unicus.

Descriptiones Primi Generis.

Prima.

Descriptio Cæli Terrestris apud Cosroem.

IN Persidem vos & stylum transfero, qvo me vel fictile Cosrois Regis Cœlum rapit. Admirabile artis portentum, qvod melior qvantum vis in barbaria condidit Archimedes, tanto Solidiore gloria, qvanto fragilior machinæ argilla. Crystallum id erat, in qvo tota Cœlorum immensitas, solis siderumq; cursus, Lunæ vices laborq;, æternæ micantium Stellarum conversio-

nes, Cœli altioris ſpeciem miro artificio exhibebant. Aderant machinæ, è qvibus vis aqvarum erumperet, qvæ modo ſubirent in imbres, modo rigeſcerent in grandines, modo tumeſcerent in fluctus, modo præcipitarentur in torrentes: tum vero aer nunc ſerenus blanda velut Eteſiarum amænitate ridebat, nunc nubibus obducebatur, nunc furebat procellis, nunc micabat fulguribus, nunc minaci fulminum terrore omnia confundebat: Rex ipſe velut terreſtris Jupiter in medio collocatus ad nutum compoſitos curſus recurſusq; Stellarum contemplabatur, pluebat, tonabat, fulminabat, permiſcebat omnia. Viluere Cœli oſtenta, Cœlo ſic oculis ſubjecto, &c.

Secunda.

Admirabilis Deſcriptio veris ex Nazianzeno.

A Mœna omnino hæc nec indigna Divi calamo Deſcriptio; qvàm Figuræ Rhetoricæ & Partium enumeratio venuſta nobilitat: Vide qvalia ſint qvæ oculis offeruntur, qvales Regina temporum inducit pompas, qvales ſcenas explicat omnis amænitatis ſtipata Satellitio. Nunc cœlum ſplendidius intermicat, nunc ſol ſublimior magisqve aureus, nunc Lunæ orbis clarior; purior Siderum chorus; nunc & fluctus cum littoribus, & ſtirpes cum oculis in gratiam redeunt: nunc fontes manant liqvidius, limpidius fluunt: nunc flumina hibernis exuta compagibus, vinculis

culis soluta liberius latiusq; diffunduntur: nunc prata collucent floribus, arbores gemmis turgent, detonsi nitent herbarum tori: nunc & hortus svaviter olet, & planta pulchrius viret, & per virentes agros agni lasciviunt: Nunc navis cum celeusmate è portu solvit, velorum alas explicat, per gyrum assultant Delphines, & tranqvillo mari nautas comitantes deducunt: nunc suum resumit opus agricola, vomerem sulco imprimit, jam avis nidum construit & svavius modulatur, calamos auceps instruit, & ad aucupium ramos designat, plumasqve avium ad insidias eleganti artificio contexit: Jam apis laboriosa explicatis pinnulis ex alveari emicat, jam prata pervolat, jam flores populatur, castra cerea concinnius elaborat & alternos implicat angiportus, &c.

Tertia.

Descriptio Elegantuli tumidi.

ADverte qvod Descriptio, si fiat a partium enumeratione, admirabilius instituatur, si non omnes partes simili contextu & congerie proponantur ut in secunda Descriptione ex Nazianzeno; sed varietatem qvandam in describendis partibus consecteris, novamq; styli elegantiam. Patet id in hac Descriptione Elegantuli, qvam subjicio ex Causino:

Qvæ illa frontis exporrectæ serenitas? qvæ svavitas oculorum? qvæ dignitas oris: qvæ renidentis ad singula vultus amænitas? qvot in facie

cie veneres! qvot in ore Gratiæ, in genis rosæ? qvot roseis labellis insident Sirenulæ: ut illi digitos magnæ lucentesqve incendunt gemmæ! qvarum pondera æstivo tempore, ferre vix potest, qvin annulos

-- ventilet (ac) æstivum digitis sudantibus aurum. qvid qvod comam habeat scitissime rotundatam, madentes cincinnorum fimbrias! qvacunq; pergit, pullulare rosas, fluere opobalsama, ungventa olere diceres. atq; cum talis sit, qvid mirum si, ut Pavo conchatis caudæ voluminibus, & versicolore plumarum amictu superbiens seipsum circumspicit, cervicem rotat, gradum frangit, nunc tenero & molli incessu eundem suspendit, magis de sui capitis decore sollicitus, qvam salute, utpote qvi malit Rempublicam turbari qvam comam, & comptior esse, qvam honestior.

Qvarta.

Descriptio cujusdam Adolescentis evanidæ formæ.

DIxi initio hujus Sectionis concinnius Historicam Descriptionem fieri per accessum qvæsitum à documento in Sententias redacto, qvod Historiæ contextus indicat: In cursu vero Descriptionis admisceri obiter possunt opportuni affectus, Patet id in hoc Exemplo:

Sæpius mora detigit, qvam sub fucato mentientis Cerusse vel illudentis minii colore deperiimus venustatem. Momento forma corporis de-

deformatur, nec fragile id bonum ulla temporum mora ſolidat, qvin de illa ſenſim decerpat plurimum, & vitrum hoc in emortale ſaxum illudat. nempe qvod Poëta cecinit:

Mendax forma bonum deficientibus
Annis præcipitat, vitrea concuti,
-- -- Cerea diffluere
Hornæ more roſæ; qvam modo roſcidum
Dum fovit tepidis mane Favoniis,
Diſſolvit pluviis veſper Eteſiis.

Vidimus hac ætate juvenem, cujus ſi genus inqviras in Ducum originem ceris majorum & natalibus influxit: ſi oris gratiam, Ganymedem alterum, aut Damoclem juraſſet, vel Paridem. At cum hinc excedendum eſt, nullus eſt eximius: neqve ille juvenum formoſiſſimus cæcum furorem mortis tam liberali & luculento vultu à ſe abſtinuit. Hic nempe induciarum locus nullus eſt. Venit ergo ad extrema in ipſo ætatis flore, & dum naſceretur hæc roſa conſenuit. Floruit, ſed flos fuit ille caducus, neqve plus, ultra florum tempus moremqve vixit viruitqve. Inciderat forte morbi vis vehementior, cui ſæpe in ſpolium forma ceſſit, ergo ille jam tremere, jam pallere, jam formæ, jam vitæ plurimum timere, breve roſarum ver incuſare. Diverſa plorant, precantur multa, feliciores ni talem genuiſſent Parentes; (illud tamen vel maxime, ut poſteris ſui vultus vel ſic exhauſti & palleſcentis effigiem velit non invidere; depingi ſe permitteret, ſi poſſit ars imitari naturæ penicillum.

Ve-

Verum nec precibus nec lacrymis qvid qvam dedit, surdus ad illas æger, ut olim Agesilaus ad similes. Hoc solum annuit, ut postqvam plusculos dies humi delituisset, eam qvam tunc reperissent formam penicillo excipi ac exprimi curarent. Ergo extinctum terræ inhumant, certosqve dies uti dixerat, opperiuntur: tandem urnam aperiunt, sed heu, qvam fæde mutatum reperiunt! macellum dixisses, unde esurientes colubri opsonium sumerent. Horrent illi ceu ad revelatam Persei Parmam, & velut lapideo frigore obrigescunt, &c.

Sectio II.

Descriptionum secundum Genus.

ALter modus Descriptionum admirabilior & longe ab Historico proxime indicato dissitus, floridæ & ingeniosæ Narrationi plurimum deserviens; Hic vero modus in eo consistit, ut adhibitis liberalius Oratorum coloribus etiam primo genere Descriptionum indicatis, sensus illi admirabiles, acutos, ac eruditos, de qvibus capitibus 1. 2. 3. actum, inspergantur; ac insuper insigniores affectus, de qvibus brevi.

§. Unicus.

Descriptiones secundi Generis.

HOc genere Descriptionis scribuntur nunc Panegyrici Divis & Viris illustribus. Eodem

dem genere ſcribuntur Elogia iisdem uti & vituperia. Dabo tantum aliqva talis Deſcriptionis exempla.

Prima Admirabilis Deſcriptio

Prodigii facti à Divo Antonio Patavino.

HAbet Italia ſuum, habet & Ægyptus Antonium, niſi qvod hic inter virgulta nemorum ac in umbra, ille in urbium theatro verſatus prodiit in Solem. Iterum ille vetera Manlii trophæa renovat, panes in hoſtium capita è Capitolio jaculantis. Prodierat hoſtis non jam Antonio ſed Deo ipſi gravis, fabuloſa Gigantum prælia in Hiſtoriam mutaturus; hoſtis plane in ſacram altaris hoſtiam injurius, nil tale in Deum auſurus niſi in latentem. Sed latere inibi tantum Hoſpitem veſana haud potuit cenſere incredulitas, qvaſi non perinde poſſit latere Deus in pane, ac Sol in nube, vel animus in corpore. Fregit tumidum hoſtem munitus Cibo Fortium Antonius, etſi non arietem illi admoverit oppugnando, ſed Aſinum fregit, dum injurium in abditum Numen jumenti magiſterio pervicit, in eſcaria lance proponens Deum ut haberet momentum non leve librata fides. Grande profecto ſpectaculum? Pugnator Aſinus, hoſtis Perfidia, Triumphator Deus. Rurſum agnitus à jumentis Deus renaſci viſus, ut fidem pararet & triumphum! Dorſuarium animal cæteris firmum oneribus, ſuccubuit inolito ponderi Majeſtatis, &c.

Se-

Secunda Admirabilis Descriptio.

Virtutis Casimirianæ.

REgiam, Casimire, Purpuram non alius Tibi tinxit qvàm verecundiæ color, aut flagellis excussus cruor. Noctu qvoqve dum sacram ædem reviseres, conscia Tuæ pietatis fecisti sidera, consciam sed non sine metu Lunam, qvæ cum Te pro suorum incolumitate in preces vidit effusum, Othomanicis expalluit in signis. At Regalis purpura solito magis erubuit, cum vidit à Te sibi præferri candorem. Nunqvam Tu fuisti sanior, qvam dum æger, propositam pro pharmaco Venerem reputasti venenum; præferens impuris facibus Tuum rogum, genialem torum lecto funebri, regni solio tumulum, Veneri Libitinam.

Par illa Descriptio virtutis Divi Hyacinthi: Fecisti Hyacinthe vera virtutis pulchritudine deformem de altero Hyacintho fabulam, qvem de Ajacis sangvine natum credidit Poësis. Deus ipse Tibi cruentus & asper comparasti, cum durum capiti lapidem subjiceres, qvo effloruisti si non mollius, certe pulchrius. Nullæ in Te inscriptæ fuerant flebiles notæ, nisi morientis Dei. Sed illo imprimis expalluit natura prodigio, cum Vandalum sine navigio trajiceres, ausa non est aqva perdere pulcherrimum florem, neqve ex Hyacintho facere Narcissum.

Ter-

Tertia Acuta Descriptio.

Tempestatis D. *Xaverio immissæ & ab eodem sedatæ.*

AT ecce infidum mare, qvod suas Tibi opes obtulit, jam surripit Tuas, dum violentior procella tranqvillitatis obsidem, Christi, Tuo magis animo, qvam Cruci affixi hærentisqve effigiem refigit ac sorbet. Tunc enimvero uterqve naufragium fecistis: mersus est Amor Tuus fluctibus maris, tu doloris. Condona tamen, condona Xaveri, piam Oceano rapinam: suum ille Imperatorem ut officioso tantisper complexu coloret, prædatricem in Te procellam innocenter immisit. Prospice jam è littore, ut ad Te Tua gaudia enatent: Vide ut brevissimæ venerationis officio perfunctus ille, ac læta malacia Tibi arridens, per tenacem portitorem Cancrum Tuos amores ac delicias remittat. Qvis Te marine Cancer sideribus dignissimum non affirmet, qvi Solem revexeris?

Descriptio Claudii Cæsaris ex qva patet qvomodo unus etiam eventus Descriptionem exornet dum acutè exaggeratur: Væ Tibi Roma ab hoc ferali monstro! Bene in sua Claudius latuisset latebra, non in solio emineret, eo ferior, qvo felicior, meliorqve speluncæ incola qvam sceptri bajulus. Imperii qvidem lucem ante fugerat in latebras, & se feram verius qvam hominem ferino damnarat carcere; sed inde nescio qvo Imperii fato protractus didicit

in

in purpura ferocire. Patuit illum è lustris ferarum emersisse; dum, qvi sic cum vivere coëgerat, mori adigeret. Vixit in Imperio ut fera, spelæo dignior qvam solio.

Qvarta Descriptio Acuta.

Ignei Eliæ ejusq; gestorum.

QVa Te celsitudine sermonis exæqvem, qvem ardua virtus in Cœlum curru extulit ab humo prodigiose sublimem? Supra naturam credi poteras, qvi naturæ jura posuisti: Jussisti? Cœlum transiit in æreum, aliud imperasti? fecisti cereum. Nihil tristius videre mortales, qvam serenatum à Te triennio Cœlum: nunqvam tanta mæroris nubes offusa est, qvam cum semper irent clari & sine nube dies. Exaruit aër? demaduerunt oculi. Impiis non eripuisti solem, ut per famem eriperes lucis usuram. At verò tum primum exhilarasti terram, cum triste ac pluvium fecisti Cœlum; siccasti lacrymas, cùm fudisti aqvas. Qvod si in impios exarsisti statim concitatus ad Imperium Tuum aër aut exundavit in imbres, aut exarsit in flammas. Sed qvantus Tu dicendus es, qvem dum tellus non satis caperet, immensus excepit æther! Nempe nil Tibi commune cum pulvere, qvi fuisti etiam immunis à cinere; eo vel Sole, qvem ipso refers nomine illustrior, qvod non occideris.

Qvin-

Qvinta Descriptio Acuta,

Davidis Regis brevior.

E Caula revocatus ad aulam, conjunxisti plectra cum sceptris; etiam cum pastoritiam inflares arundinem digna calamo gerens. Fortis tunc non clava sed manu prælusisti majoribus bellis pugnando cum belluis. Qvam alte posthac Tua Te virtus extulit, qvæ superior fuit Gigante. Cum illum funda Tua funderet, fecisti hostis occasum, renascenti Patriæ natalem &c. Acrior Tibi superfuit pugna cum Filio, qvem triplex hasta reperit excordem.

Sexta Descriptio insignis Pompæ,

Cum qva corpus S. Chrysostomi Constantinopolim est inductum, ex Causino.

O Fortunata mors, qvæ triumphorum fuit principium? Ferebatur pretiosum pignus totius urbis vel humeris vel studiis, & tot illi erant sepulchra, qvot hominum pectora: qvamqvam nullum ei sepulchrum fuit, cui certa semper fuit immortalitas. Redibat ab exilio tanqvam ex virtutis suæ theatro pæne adhuc vivus & spirans. nondum enim extinctus videbatur oculorum ardor, nondum attrita frontis gravitas, nondum lingva Cœlo altior plane contiuerat: totus erat etiam in mortuo Chrysostomus.

mus. Qvæ antea loca exulem, sine lacrymis videre non poterant, eadem ingenti fœnore lætitiæ videbant triumphantem. qvacunqve sacræ inferebantur exuviæ hic inundantium populorum multitudo, hic incredibiles plausus mortuo, hic svavissimæ carminum modulationes, hic renidentes florum elegantiæ, exqvisitissimi odores: Flammis omnia collucere, qvasi Cœlum suis distinctum sideribus, in terras defluxisset; dies & noctes non tam suis ardere luminibus, qvam freqventia cereorum: oppleri vias, omnes uno agmine obvium sese effundere, Procerum globum vultu cultuque ornatissimum emicare; non sexus, non valetudo qvanqvam retardare, ægros etiam ad hoc spectaculum, ut ad salutis portum, deferri; satis se vixisse existimabat, qvi hujusmodi mortuum viderat. Imperatorem ipsum dignitas non tenuit, qvem religio inciravit, qvin sacrum Antistitem religiosis exceptum manibus, suo ferret navigio. O felix navigium! non egebat remis, qvod favor Nominis impellebat. Vidisses in ipso aditu Urbis muros exultantes, gestientes domos, confertissimos pompis vicos, tecta ipsa laborantia & ridentem Civitatis faciem, &c.

Ex allatis exemplis patet, qvantus sit splendor Descriptionis qvæ initio § præscriptis præceptionibus insistit. vide etiam Descriptionem direptæ ædis Lauretanæ in Gvinisii Allocutione Tertia.

CA-

Caput VI.

Sextum Admirabilioris Eloqventiæ Fundamentum Affectus Admirabiles.

NIhil Oratore admirabilius, ubi affectuũ seu habenas laxat seu restringit. Hic ille imperat: hic triumphat, si leni affectu aures permulceat; & feræ mansvescerent: si detonet severius, classicum cani putes, vel (qvorum Satellitio cincta fuisse dicitur Attica Demosthenis & Periclis Eloqventia) fulgura & tonitrua reformides. Citharædum Erici II. Dariæ Regis, si è nuntia vetustatis nosti Historia, eloqventem in eo adumbratum credas, ubi primum is inusitatæ severitatis concentum edidit stupore qvodam & mærore omnium animos oppressit: ubi svaves ac mellitos effudit cantus, omnes jactatione corporis, intemperantem testati lætitiam; ubi acrioribus modulis insonare cœpit, continuo totis tectis fremere, tumultuari, arma & gladii passim inclamari; Rex effractis atrii foribus, arrepto ense in obvios promiscue bacchari ac sævire. Par est vis Eloqventiæ affectibus instructæ. Aut certe ut illud assentatorum genus apud Juvenalem ab aliis, qvorum gratiam venatur, colorem ducit, sic auditor ab Oratore; nisi qvod ab hoc verius similes affectus in se transferat Auditor, qvam assentatrix plebecula qvæ si

... rides, Majore cachinno

Con-

Concutitur: flet si lacrymas conspexit amici; Nec dolet: igniculum brumæ p. tempore poscas, Accipit Endromidem: si dixeris Æstuo; sudat.

Verius ab Oratoris affectibus vultum theatra sumunt, & cum plaudentibus plaudunt, collacrymantur lacrymantibus; sæviunt, si Oratio ferociat.

§. I.

Affectuum admirabilius ciendorum ratio seu Modus.

PRædoceo Affectus esse duplices, Ethicos & Patheticos; Illi sunt lenes, comes, jucundi motumqve animo imprimunt moderatum: hi vehementiores ut procella, incensi ut fulmen, incitati ut torrens erumpunt, ac ferme circa odium, iram, metum, invidiam, miserationem versantur.

Primo ergo ad motus animorum juvat viva rerum Descriptio seu hypotyposis & Enumeratio partium colore orationis qvæsito temperata. Sic Aristides Urbis Smyrnensis restaurationem Antonio Imperatori svadens misere urbis fatum ob oculos ponens dicit: Jacet Smyrna ornamentum olim Asiæ, Tui decus Imperii. Mox expositis ejus ornamentis subinfert: Hæc omnia sunt in cinere; clausus est portus ille; perierunt fori ornamenta, collapsa gymnasia: jucundissima Urbs luctuosum facta spectaculum, ruinarum & cadaverum tumulus. Olim floruit; nunc

vero

vero desolatam perflant Zephyri. Ad qvas voces Imperator illacrymatus.

Secundo. Valent ad incendendos animos Figuræ, sententiæ graviores & rotundius propositæ, mora in lenibus, excitatio & concisi breviter tornati sensus in acribus. Spectant huc Acclamationes, Detestationes, Diræ, Apostrophæ lenes vel acres, Conversiones, qverimoniæ, aptæ Personarum sermocinationes, Exempla, Comparata. Modum sic incendendi animos per exempla deductum infra subjiciam.

Tertio, Oriuntur affectus ex Personis & eorum Adjunctis. qvod etiam Poetis Solenne. Sic affectus ille ab ætate deducitur 6 Æneidos:

Heu miserande puer, si qva fata aspera rumpas,
Tu Marcellus eris manibus date lilia plenis,
Purpureos spargam flores animamq; nepotis.
His saltem accumulem donis & fungar inani
Munere.

A loco & tempore etiam affectus sumitur, ut apud Virgilium:

O nimium cœlo & pelago confise sereno.
Nudus in ignota, Palinure jacebis arena?

A modo rei gestæ tum Oratoribus tum Poetis affectum ducere solenne est. qvem modum mire exornat Comparatio seu simile. Talis affectus est in Sarbievio:

- occidis occidis
Erneste ceu qvondam procellis
Exanimes cecidere Nardi,
Ceu dum per hortus cæruleo manu

Desævit udus Jupiter, imbribus
Sterni reluctantes acanthi
Lassa solo posuere colla,

Similis affectus ille 8. Æneidos:

Volvitur Euryalus letho, pulchrosqve per artus
It cruor, inq; humeros cervix collapsa recumbit
Purpureos veluti cum Flos succisus aratro
Langvescit moriens, lassoqve papavera collo
Demisere caput.

A bonis fortunæ & corporis auctis vel amissis affectus elegans cieri potest. sic de obitu Isabellæ:

Ergo peris anguste nitor, soliiq; voluptas,
Cui tumido Ganges amne reclinis iit!
Sic niveum cervicis ebur, sic lactea colli
Fluxit hyems, vivæ sic periere rosæ!
Os illud qvod terna Charis Sirenqve regebat
Officio lingvæ dispereunte tacet!
Dulcia quas nuper poscebant basia malas,
His putris sanies, & gravis horror inest?
Et ut in offusas bustis mortalibus umbras,
Desiit Hesperii lux Isabella throni!

Illud hoc loco nota ex Tullio: Fieri non potest ut doceat, ut oderit, ut ad fletum deducatur is qui audit, nisi omnes ei motus in ipso Oratore impressi atq; inusti esse videantur. Recte enim Seneca: A faciente discendum qvid faciendum sit.

IV. Affectuum admirabilitatem efficit aut auget verborum & sententiarum energia; item sensus grandes & profundi figuris oratorie substrati:

V. In

V. In affectibus ciendis Stylus concisior pressiorq; locum habet; nam longa verbositas alicubi extinguit potius affectum, qvam fovet, qvi citius qvam ad finem pnevmatica decurrat periodus, intepescit. Nempe animus loqvitur, dum affectus cies: at is momento qvod concipit, effundit, aliaqve oris est, alia mentis eloqventia.

Harum omnium Præceptionum Exempla hæc accipe.

§. II.

Ideæ affectuum lenium, juxta doctrinam Superioris §.

I. Idea.

MAteria affectuum sit minimus ille Cimmeriorum Regis filius, qvi, dum inter fratres de Regni successore post obitum Parentis non conveniret, metam ab Ariopharne Thraciæ Rege, qvem arbitrum elegerant, propositam simulqve regnum repudiavit. In meta Thrax arbiter Parentem eorum demortuum ac è tumulo protractum collocari jusserat, ei Regnum deferendum edicens, qvi ad cor Parentis sagitta collimasset. Placuit meta duobus majoribus natu Filiis, unusq; illorum Parentis brachium, alter pectus telo perstrinxit Recusat minimus & metam & Regnum: affectus ejus jam audi:

Bene habet ô Principes, metam nobis Ariopharnes proposuit, qvam vix nota Busiridis immanitas unqvam statueret. In meta nobis Parens, in votis solium! Regnum in corde qværimus,

rimus, & per Paternum pectus sceptra prensamus, ac insignia regni per ferociam tam insignem Etiam nos ferro scrutamur viscera, dubii credo an ferrea sint, qvæ tales in lucem effuderint! Præivistis minimo, Magni Principes, sed sequi sic præeuntes pudet pigetqve: Pietas vetat! Feliciores putassem, si metam hujusmodi sagitta declinasset, aut nervus manusqve detrectasset obsequium; Fecistis hodie, quod ne barbaria quidem uspiam fecerit! Reges esse placuit & simul Parricidas! induere Purpuram & exuere pietatem! sævire libuit in mortuum cui vitam Regno potiorem debemus? Eheu Parens Auguste! Nec in solio Tibi felicem esse diu licuit, nec in tumulo! ibi hostium telis appetitus es, hic filiorum, felicior si tam fæcundus non fuisses. Tacet in meta tuum extincti corpus, & purpura placet ubi luctum imperant ferales exuviæ! Stetisti medius ut nostram regnandi sortem decerneres; stetisti, ut per Tua vulnera Filiorum assurgeret ambitio. Scilicet Regalis Purpura non satis rubet, nisi Paterno sangvine imbuatur! Sed egone in Te genitor arma capessam? hæc manus jaculum in Te contorqveat? Paternum cor feriam, ut sceptra feram? an Regem esse non licet qvia simul & Tyrannum? at pietatis jura prohibent, si svadeat ambitio. Si tam infame iter ducit ad solium, augustius est non regnare. Non mihi tanti sunt vel Regni opes vel Cimmeriorum regimen, ut exuam Filium, dum induam

Regem

Regem. Coronam non exambio, si per cor Parentis petenda sit, nec regalem trabeam, si per sangvinem. Qvale id mihi Regnum, qvod sic Paternum vulnus funestat? Pudeat Purpuræ, qvæ hoc cruore rubuit: Pigeat sceptri, qvod è Paternis visceribus ferali sagitta eruitur. Fabula sit, qvod Amori Poesis jacula tribuat: meum in Te, Parens optime sic, ut arbiter jubet pharetratum Amorem esse nolim, qvi si adhuc cæcus creditur, vel in Cimmeriis tenebris tantam sceleris immanitatem luculentissime videt. Filius non sum, si cor Parentis ferio: neq; Rex, si sic impero. Procul qvidem à me Regnum, sed simul impietas. En ut etiam ipse nervus trepidat! ipse ad tantum facinus Arcus intremit! ipsa excidunt tela, qvin ipsa etiam manus obrigescit! Utinam aliter litem hanc de Imperio, Magne Arbiter, terminasses! Pro meta Parentem Filiis statuisti: nollem etiam mancipiis crudelem sane metam, & qvæ nec Thracem deceat! Absit tamen, ut me tam ferum videas, qvam ferum esse voluisti. Focum Scævolæ manus hæc prius sentiat, qvam in Parentem irruat, aut insurgat. Solo Tyranni nomine discrepat, qvisqvis Parentem ferit ut imperet. At ego Rex esse velim non Tyrannus. Qvod si non aliter imperandum est, privatus malo vivere Filius, qvam Rex simul & Parricida.

Idea II.

Oratio Manlii à Parente securi addicti, qvod ejus injussu pugnaverit viceritq;.

ERgone manus etiam triumphales ad infamem deligabuntur palum? Caput hoc ultricem virtutis securim excipiet? feram vincula, qvi ex hoste tuli spolia? At qva causa? qvod vicerim? victoribus ergo ignavi feliciores, & pulchrius fuerit non vicisse? Præclare sane facta fortia rependuntur, qvibus par reponis præmium, ac facinorosis supplicium! O fata Imperii nostri misera! ubi jam & virtutes plectuntur! At contra edictum Consulis pugnavi! Non piget sic pugnasse, ubi victoria delictum satis expiat. Si qvod in præliantem redundat dedecus, major in victoris facinore latet gloria. Adhæc infringi auctoritatem Imperii doles, non etiam jura pietatis? hanc expungis, & retinere laboras disciplinam? Non Ducem Te solum & Consulem, sed & Parentem cogita. Times ne non disciplinæ amans videare, non item ne crudelis? aut ne crimini sua desint supplicia, non item ne recte factis præmia? Itane corruet disciplina Filio non occiso, hoste victo? qvid si corruat fortitudo? qvid si alacritas juvenum? Mitto, qvod edictum tuleras, ut pugnare prohibueris, non vincere: vetueras pugnam, sed sine comite victoria: qvis enim certus victoriæ, pugnam vel prohibeat, vel detrectet? Periculum à te edictum

ctum extorserat; illud cum hic abfuerit, qvæ fuerit noxa vel vincere, vel pugnare? sed si Parens ita Filii mortem amas; si vincere non licuit, qvin & vivere; En jugulum; habes paratum mori pectus, non ita vincere didici, ut mori extimescam! occumbere mihi probrum non fuerit, dum Victor moriar: amitto vitam, sed non gloriam. Perime, lictor, Victorem Manlium, Manlii famam non extingves. Tu jam cadentis Filii ultimas voces audi & æternum vale.

Idea III.

Deploratio excisæ Hierosolymæ ex Thesauro.

O Solymæ! ô adyta! ô læti colles Sionis! Hæccine illa beata urbium Mater, qvam pœne æternam Cœlum spoponderat? Qvid ergo diuturnum, si æterna pereunt: cecidit, cecidit superba Regia, jam nihil nisi fumus & funus! O fumum semper aulæ molestum! Qvo rediit excelsa templi moles, Angelorum colonia, cœli pomærium! Evertitur mortali manu Divinus ille lapis, eodemq; elemento profanatur sanctuarium, qvo lustrabatur! ubi vasa, ubi sacra, ubi fontes? ignavi fontes & naturæ obliti, ignem nõ extingvunt, qvem culpa succendit. ubi mensa, ubi ara? ubi lampas æterni solis æmula? jam nihil est, nisi lampas una totum templum. Qvas iteratura preces inibis infelix turba? altiora votis incendia sunt, cui supplices feretis palmas lin-

teati senes? abiere Angeli templi Indigetes: postremo exusta Domo abiit Deus incola! ô avida ignis potentia! quam nobis Patriam linquet, qui exulem fecit Deum! Qvo congestæ opes? qvo exoticæ merces? qvo armillæ? incumbit spoliis hujusmodi deprædator ignis &c.

Idea IV.

Pulcher Affectus Christo morienti compatientis.

DOrmis jam somnum Tuum, vigiliam nostram: Victorem tot cruciatuum effundis Animum, qvem nobis infundas! Concludis diem ultimum, ut nobis dies æternus oriatur! Innixus manuum pedumqve vulneribus, ubi conqviescas, non habes, nisi vel incumbas in vepres, vel declines in vulnera! Itane vero, svavissime Vir Dolorum, ita decuit restaurari mundum, ut te ipsum illo ætatis, illo vitæ flore destrui patereris? aut non erat vita, qvem dares, nisi præripi vitam tibi sineres. Novum profecto salutis genus! ut orbis vivat, orbis vita perimitur, & hoc funere funus omnium speciosius effertur!

§. III.

Affectus Pathetici & vehementes.

AD Affectus vehementes spectant Objurgationes & Invectivæ, exprobrationes. & Oratio furoris minarumqve plena, aut aliquid ferale & Tragicum spirans. Affectuum hujusmodi Ideam dedit Demosthenes, cujus Oratio fulgu-

ribus,

ribus, & coruſcationibus plena, ipſe etiam bellum in lingva gerere videbatur. Dedit eorundem Ideam Tullius, in Catilinam, in Verrem, in Antonium, in Vatinium inſigniter debacchatus. Atrocium & feralium Affectuum pleniſſimus eſt Seneca Tragædus. Medeam evolve, inſanientem ferociter perhorreſces: lege Furentem Herculem, diſces & ipſe furere.

I. Idea hujusmodi affectuum ſit in Dialogismo Manlii Dictatoris cum Filio, qvem ſupra attuli.

II. Sit Invectiva illa in Judæ facinus;

Bene eſt, non vulnere, ſed oſculo excipitur. O facinus ab ipſa humanitate barbarum! crudeliſſimam & dignam proditore Clementiam! Nimis noveras ex Amoris caſtris, barbare transfuga, nullis gravius Amorem armis vulnerari poſſe, qvam ſuis. Superi Te perdant Divinitatis venditor, emptor ſuſpendii, qvi & Divinitatem haſtæ ſubjeceris, dum præconis impuriſſimi voce publicatur ſeſtertio Venalis Deus! Pluris ſæpe veniit jumenti mortui, qvam Dei viventis. Caput per Te veneat! Fecialis tu omnium fœderum ruptor, audes inter amicos oſculorum anhelitus, odii venena deſpumare, & à ſigno pacis bellum exordiri? Salutare non erubeſcis? qvem ſalvum eſſe nolis? prodis amoris pignore benevolentiam? pacis inſtrumento Pacis Principem! ſed mihi crede, oſculum incuria fœneratus es, mox aqveo redimendum.

Par ille affectus in Chriſti nefarium percuſ-

ſorem; Qvid agis impie verbero? Sic Aram illam tangis ut violes? non audis innocentiam vel tacentem. Et tamen ut audires, aurem tibi aptaverat ille, qvam Petrus præciderat. Sic gregariorum ingratiſſime reddita etiam auricula, ad voces benevolentiæ obſurdeſcis? adeo in ipſa pudoris Regia, tua imo improbitatis manus fit impudens? ô plane ſiniſtrum dextræ ſic plaudentis obſeqvium! ô ſiniſtram nefarii percuſſoris dexteram! nimirum apud ſerviles ac venales animos beneficium ſeritur, contumelia meti ſolet.

Item: O qvidqvid in Cælo fulminum lentum atq; otioſum es, propera, prohibe hoc humano majus, uno dignum Herode ſcelus.

CAPUT VII.

Septimum Admirabilioris Eloqventiæ Fundamentum, Amplificationis uſus ſingularis.

AMplificatio communis eſt Oratoribus ſed in Oratore noſtro neceſſe eſt, ut fit ſingularis.

Amplificationem ego duplicem ſtatuo, in qva eminere debeat Orator non vulgaris. Alia eſt Amplificatio brevior ſeu Dilatatio Sententiæ intra periodum: alia longior; id eſt, Dilatatio argumenti vel in tota Oratione vel eſt per ſe amplum, vel exſuccum & arctius. In utroq; hoc te inſtruet Caput.

§. I.

§. I.

Amplificatio brevior non vulgaris.

BReviorem intelligo qvæ fit, cum ſententia in una periodo, vel paulo pluribus dilatatur. Utriusqve modos afferam ac Exempla.

Fiet Hæc primo.

PEr Periphraſim eruditam: Sic illæ tres dictionès, Ovenus impurus Poeta, amplificatur: Exeat è vatum numero ille qvantumvis inter Caſtalios hauſtus, caſtioris venæ rudis omnino Vates, melius de Nymphis ac lenonibus, qvam de Muſis meritus myrto proinde, non Apollinis lauro coronandus, ideoqve ſolum pulcher, qvod in eo tot Veneres, ideo apud alios ingenioſi Capitis laudem meritus, qvod frontem pœne amiſerit, totus effrons; dignus qvi Tomitano vati hic non impar, iisdem qvibus paginam inceſſavit pedibus in Ponticam ſolitudinem deportaretur, ut inter Scythicas nives multum calere dediſceret, & Ponticis frigoribus calentem impure ac impune entheum temperaret.

Fiet Secundò.

PEr Periphraſim Oratorio ambitu liberaſius circumductam: Sic illa Sarbievii Sententia dilatatur, Is auro nempe bibat cui dulce ferrum eſt. Faceſſant imbelles animæ, qvibus genus in cenſum abiit nec virtus in pretio, & cum nullam domi, nullam in hoſtico gloriam collegerint, adhuc tamen auro fulgent, nitent purpura, qvæ

pro illorum ignavia erubescat. Non hos ego sceptris, non hos fascibus admoverim, non illis auream melioris Fortunæ venam aperuerim, qvi nec domi consilio, nec foris manu strenui, nec domi Curios, nec militiæ referant Camillos; illos potius, qvorum toties armis secura, tuta periculis Patria è cruento illo gloriæ Martisqve Lechici theatro tot Victrices collegit laureas, suo sæpe, hostili sæpius sangvine irrigatas: his ego divitem domi Pactolum, his aureos non infelicis adhuc hujus Arabiæ sinus totis alveis infuderim. Tudere sanguinem? merito patrius ad illos Ganges divite vena refluat, & laurum sequatur aurum: par eqvidem est ut strenuas ferro manus cariores exornent manubiæ: par ut oppressum clypeo pectus aureum vellus induat, & insomnes vigilias pretiosum Darii cervical reponat, ne sola recte factis merces sit recte factorum conscientia.

Fiet Tertio.

PEr Periphrasim Sensibus Admirabilibus nec obviis, idem tamen significantibus exornatā. Sic aliquot hæc verba: Liberalis fuit in miseros, dilatantur: Nullas ille reperit angustias, quas non maximis largitionibus dilatasset; nunquam sibi visus beatior quam cum plurimos de suo felices redderet; novam ergo aliis cum Sole oriri Fortunam, occidere calamitatem imperat, negligere opes, nisi quas erogaret: plura appetere quo dare plura posset; nunquam miserorum er-

gastula invisere, qvin ea simul Insulam efficeret Fortunatam: nihil insuper in sua æstimare Fortuna, qvam qvod prodesse deberet miseris, felicibus posset: deniqve qvidqvid Fortuna eripere potuisset, id lucrum virtutis facere, solo gloriæ censu ad illum redundante.

Similiter illud: Bonus fuit inter malos juvenes, amplificatur: Jam tunc ille inter æqvales non æqvis passibus ad animi lucra properare, qvibus illi ad interitum ruebant præcipites: jam virtutes in se ceu in theatro, aut earum compendio circumferre, succrescens corpusculum, non aliis pæne qvam ingentium virtutum augmentis dilatare, nihil unqvam puerile præter ætatem præseferre, Cœlitumqve mores usqve ad ipsam vultus similitudinem exprimere, cum interea in coætaneis in vitæ oblectamenta effusis palmaria semper regnarent vitia, ut fere illa ætas post tincturam voluptatis ægre alium bibit colorem.

Fiet Qvartò.

PEr brevem Comparationem à simili deductam. Sic illud dilatatur: Militum virtus præmiis excitatur: Crederes imbrem aureum fortium esse præmia, solidum virtutis bellicæ nutrimentum. Erigitur hac aurea tempestate ac in immensum crescit etiam collapsa bellantium virtus; solidatur, ubi aurea Cœlum Patrium pluit grandine, & pretiosa hac in castris detonuit procella.

Idem brevius aliter: virtutis in publicam emersuræ adyta, facile aurea reserantur clave, adeoqve muneris, ac præstitæ mercedis ratio mentes hac velut aurea virtutis esca pertrahit, velut aurea cote acuit, &c.

Similiter illud dilatatur, Nolo congredi cum impari: Langvet absqve pari æmulo virtus: Illa mihi laurus non indecora, qvæ de nobili hoste decerpitur: nec valles petunt fulmina, nec leo in agnum irruit, nec viro prostrata imbellis infantia laurum parit.

Fiet 5.

PEr brevem Comparationem Eruditam: sic de fortiter adversa tolerante: Hos ille inter Fortunæ ictus stat velut Marpesia cautes, Capitoliiqve immobile saxum. Item: Nubilum Tonantemqve Patrem illæsa serenitate excipiens, merito credi poterat altitudine mentis Olympum excedere, utpote celsior, qvam ut ad eum doloris tela pertingerent: imo vibrata ab illo Jove fulmina tantum in eum potuere, qvantum aut mucro Stellati Orionis contra solem, aut contra Perseiscutum atrocior aspectus.

Similiter illud: Judices corruptionibus obnoxii: Non sola Græcia argenteis Philippi hastis patuit, & aureus effecit Macedonis asellus, ubi bellico ariete nil profectum: etiam jurata æqvitati pectora hæc sæpius pulsavit prostravitq; machina.

Similiter illud, Præmiis miles capitur: Rete au-

aureum credas esse præmia, qvo citra Timotheï somnium verius victoriæ, qvia & militum animi capiuntur. Non unus credo reperiretur Lisimachus, si suum haberet Alexandrum, qvi decoras pro Patria cicatrices, auro obstrueret, vulnera coronaret.

-- -- Sic Juvenalis:

Palluit, ut nudus pressit qvi calcibus angvem,
Vel Lugdunensem Ruthetor dictus ad aram.

Fiet 6.

PEr congeriem Plurium Similium, seu per sensus Synonymos eosqve vel Eruditos vel non. Sic illud, Prodest qvod nocet; dilatatur: Non sola felices reddit felicitas, sed acerbis etiam svavia, noxia salubribus permiscentur. Latent plerumq; in adversis solatia, & nubes hæ solem tegunt: nucleus latet in putamine, rosæ sub spinis, sub cortice lignum, in vili concha leguntur margaritæ, in montium venis aurum tegitur, in Thersite viget illustris animus: marini fluctus naves hauriunt, sed iidem fundunt uniones &c.

Sic & illi Rythmi de minimis non temnendis: At parva molem subruunt: Et apis stylo necat. Remoræ iter obstruunt dum prora Pontum secat. Scintillis flammam Ilii, Surculis debes hortum. Parvis immanes fluvii scatebris

-- debent ortum.

Fiet 7.

PEr congeriem Eruditionũ loco vocabuli alicujus

cujus universalis & generici, ad qvod illæ Eruditiones & exempla obiter memorata referuntur velut species Sic illud dictum: Superat hoc opus omnia mirabilia in orbe opera; in particulari hæc exponendo dilatatur: Cave huic operi componas Ægypti Pyramides arte pretioq; certantes; Colossum solis Rhodium situ & mole admirabilem, Phatiæ turris lumina dignum Ptolomæo Rege opus; Ephesinæ Dianæ Templum, muros Babylonis, Mausoli Sepulchrum, simulacrum Jovis à Phidia in cœlos eductum, Cosrois regiam, Minoi Labyrinthum, auream Neronis domum, Amphitheatrum Pompeji, Apellis Alexandrum, uvas Zeuxidis, Parrhasii linteum, Doriphori statuam. Coam Venerem Praxitelis, Minervæ clypeum, incisa soleæ Lapitarum cum Centauris prælia, aliæq; sexcenta orbis & artis portenta.

Similiter illud dilatatur: Delicata fercula velles. Somnias tu cum Vitellio nescio qvæ atagenum jecinora, phasianorum cerebella, Muræarum lactes, Numidicas volucres, Arabicam alitem, patinam Vitellii; luxum Heliogabali, gemmas Cleopatræ, Neronis convivia &c.

Similiter illud Rythmicum de ingenti cruciatu Purgatorii:

Finge Procusta luctulum
Aut cutastam Perilli;
Nec cassis comam ignea,
Nec liqvor plumbi potus,
Nec vis morborum anea,

Vel

Vel ardor Ætnæ totus,
Non Phalaris aut Siculæ
Torsit Tyrannus oræ,
Uhæ piantur maculæ,
Foco vel levis moræ.

Item Parva non temnenda Eruditionibus conglobatis effer: Qvis sibi à minimis non reformidet, cum audit in Hispania suffossum à cuniculis oppidum, à talpis in Tessalia, à ranis in Gallia, à locastis in Africa: à muribus pulsos Megarenses, Phaselitas à vespis fugatos Gymnesios coutra imbelles lepusculos opem à Romanis flagitasse!

Fiet Octavò.

PEr explicationem subjecti & Prædicati in Propositione contenti. Sic illud dilatatur: Pluvia terræ utilis & necessaria: ver imbrium fœcundum & solutæ in pluviam nubes, agros fecundant, exhilarant hortus, pratis amænitatem, floribus luxuriem, arbustis gratiam, fructuumq; copiam reddunt & nitorem. Emoritur hortorum gratia & in Zonam torridam mutantur omnia, nisi ros ille Cœli ardores temperet, & effusæ nubibus procellæ terræ viscera humectent: amœna nequit esse tellus ridente perpetim Sole; tunc primum amœniore vultu arridere solita, dum cœlum in lacrymas solvi, in lacrymas se cœpit effundere: denique esurire cogitur agricola, dum agri sitiunt, nec cœlitus irrorantur.

Fiet

Fiet 9.

PEr evolutionem ac explicationem qvandam partium alicujus vocabuli in Propositione contenti. Sic istud dilatatur; Vox Musice artificiosa. Principio constans auctoritatis vestigium inaffectata vox imprimit, adeoqve gravem minimeqve vacillantem glomerat, & metitur gradum, ut omnem plane speciem gloriamqve negligere, nec sese in incessu circumspicere, ritu sibi plaudentium videatur: mox ubi genius ille vocalis incaluit, sensimqve in artem incidit artificii fuga, hic etiam concidere minutim sonos, & canora velut in puncta distingvere, pluribusqve momentis & minimis maxima eorum tempora compensare: hic argutiores & belle cadentes ad numerum Charites, velut artis appendices ultimas, & qvosdam qvasi cincinnulos concinnare: hic ductum celerrime spiritum librare veluti pennis & in sublime promittere, mox aut ad ima devolvere, aut retrorsum à medio cursu reprehendere, deorsum impellere, ante expectatum premere, sistere, revocare, circum agere velut turbinem, adversare, ut non ore sed torno vibratum rotundatumqve crederes: hic dexteritate blandissima dulcedinis satietati consulere, hic improvisa demissione vocem introrsum flectere, & surda qvadam titillatione provehere; hic exultantem cantus hilaritatem fractis identidem numeris, & qvadam mœroris specie temperare, deniqve so-

ſonum illidere, implicare, explicare, ſuſpendere, variare, producere, ſuſpiriis, trepidatione, modulatione, concentu, plane, graviter, acute, & ſexcentis modis nobilitate facultatem ſuam.

Sic & illud: Aves varie canunt & animalia vocem variant: ubi ſingulis avibus vox propria & animalibus attribuitur: Vere adultiori audias pipire paſſeres, plauſitare palumbos, tinninare paros, merulas ſvaviter concinere, mitilare acredulas, trutilare turdos, ſturnos piſitare, gratitare anſeres, grues gruere, gemere turcures, tretinnire anates, drenſare cygnos, pipare accipitres, lipire milvos, cucurrire gallos, gracillare gallinas, pupillare pavones, trinſare turundines, clangere aqvilas, pulpare vultures, crocitare corvos, graculos frigulare, glotorare ciconias, cuculare cuculos, cicadas fritinnire, bombillare apes, bubones bubulare, ſtridere veſpertiliones, cubire putiones, cucubare noctuas, ululare ululas, meropes zinzilulare, pſittacos humanas voces imitari, philomelam per mille diſcrimina vocem flectere: Ad hæc audias rancare Tygrides, rugire Leones, felire pardos, orcare lynces, urſos uncare, apros frendere, barrire elephantos, rudere aſinos, cervos & onagros glocitare, mugire tauros, qviritare verres, blaterare arietes, balare oves, mutire hircos, gannire vulpeculas, glaucitare catulos, vagire lepores, dintrire muſtellas, grillare grillos, diſticare ſorices, coaxare ranas.

Fiet

Fiet Decimò.

PEr raras Definitiones conglobatas. Sic vox, Lilium, dilatatur: Flos ille terræ ornamentum plantarum gloria, oculus florum, pratorum gemma, sidus hortorum, pulchritudo suaviter eminentibus radiis eminens. Sic Strada procerum hominem describit: Qvem ob immanem corporis molem de Geryonaceo genere aut Enceladi Typhoeive sobolem seu centum geminum Briareum credidistis, hominis, inquam hyperbolem, vespertinam umbram, Rhodium colossum, Gigantomachiæ colophonem, unum ex Herculeis columnis, cui inscribi possit, non plus ultra &c.

Fiet Undecimò.

PEr Opposita vel quasi Opposita Synonyma. Sic illud dilatatur: E milite sit præsul. Ab armis ad aras transiit, non cruore jam hostium, sed sanctioribus hostiis litaturus; classico ante assvetus ac lituis, nunc vocaliori in laudes Numinis harmoniæ, laureas triumphales in mitiores Oleas, galeam in infulam, gladium & hastilia in Honorarium Præsulis scipionem, chlamydem in Sacram Purpuram permutavit. Etiam hic

Succedunt vittæ lituis, hastilibus aræ.

Huc illud etiam refertur: Adversis virtus erigitur, adversis alitur, in eqvuleo proficit, in nervo roboratur, canit in fidiculis, triumphat in catasta. Prospera Tibi ad votum fluunt? te-

tro

tro sæpe refluit virtus, melius virtutem adversa consolidant.

Fiet Duodecimò.

PEr Adjunctorum & variarum Circumstantiarum conglobationem. Sic illud: Familia Sapieharum fortis & honorata, dilatatur, à Circumstantia nominis, Stemmatum, Dignitatum. Nec Tu à Martia Sapieharum gente degener, qvæ Leones generat, nunqvam cervos; qvam & Sagitta gentilitia Marti consecrat, & adjunctum eidem vitale signum immortalis gloriæ ac laureæ securam reddit, si non hoc ipso æternitatis secura, quod æternitatis pronubem minorem annulum illi merita detulerint post honorarium. Ante ambulonis Regii Scipionem, qvo suam Patriæq; gloriam sustentarat.

Fiet 13.

PEr ingeniosiores conceptus plures ad eandem Propositionem illustrandam conglobados. Sic illud dilatatur: Magnum est quod Te laudet summus Pontifex. Tantus es, ut Septemtrionem cum meridie Tui nominis Fama conjungas. Amplius Elogium ne qvære, qvam dum Tibi exornando sanctiorem Roma Tullium protulit. Securus es gloriæ, qvam Patri clavibus commisisti: patent illi gloriæ Immortalis aditus, cui claviger hic recludit. Eqvidem nulli unqvam pulchrius laus consignari potuit, qvam Tibi annulo Piscatoris, qvæ perennare poterit, Petræ illi fortissimæ semel incisa &c.

Si-

Similiter hinc ducitur Dilatatio illa acuta Juglaris de Christi sudore sangvineo: Exegit à qvavis corporis parte tributum avarus dolor; nulli sudorem vel lacrymas condonavit. aliter flere Christum non decuit qvi totus oculus est. An oblatus de cœlo calix venenum propinat, qvo propius admoto sudat nobilis gemma? certe oriens noster cum ita vespere rubuit, pollicéri sibi mundus poterat cras Serenum.

Fiet 14.

SI utamur simul pluribus aliqvot modis ex modo recensitis, eosqve in una propositione dilatanda conjungamus. Patet id in dilatatione hujus Sententiæ: Honores mutant mores, qvæ sic amplificatur. Non semel mitem alias Purpura efferavit, aut pejorem fecit, qvem dignitas malum reperit. Sic plerisqve Imperium pro crimine, Fortuna est pro scelere. hæc umbra, soles hujusmodi, hoc fasces satellitium comitatur. Nec gratior illis subinde Purpura qvam qvæ plurimum rubet humano sangvine; nec solium augustius, qvam qvod per depressa civium Capita conscenditur; nec sceptrum potius, qvam qvod plura præ Tarqvinii virgula non jam papaverum, sed innocentum colla decussit. Adeo honorariæ secures sæpe virtuti excidium minitantur, & Regum felicitas raro pristinæ probitatis constantia solidatur, vix illius gustu relicto; postqvam Regale pomum, aureus videlicet virtutis fructus obtigit. Primum, ne dicam

eam, unicum spectavit Roma Titum, qvi accepto Imperio melior, animum ferocem exuit, cum Purpuram induisset: sed plures in solio vitia didicere Licentia magistra, qvæ in Fortunæ fastigio positos in scelerum qvoddam baratrum præcipitat, & cum Diademate præteritæ sortis ac virtutis oblivionem imprimit. Qvamdiu nocturnæ vel nativæ regnant tenebræ, Sol hic infra terras deprimit; ubi effulserit clarior, alienæ lucis excludit consortia, & minora extinguit sidera, veluti Sol non foret, nisi interdiu solus luceret.

§. II.

Amplificatio longior.

QVæ hic dicentur, servient ad argumentum etiam ex se minus amplum dilatandum. Aliqvot modos afferam. Illud moneo: ne sua admirabilitate usus modorum hujusmodi careat, debet præsuppositis jam Eloqventiæ Admirabilis Fundamentis insistere, & ingeniosius qvisque modus pertractari.

Primus Modus.

Argumentum reddendi amplum.

FAcilis & ingeniosus à Circumstantiis & Adjunctis rerum, locorum, temporum, Personarum, idque vel à pluribus simul circumstantiis, vel ab una tantum, hanc diutius expendendo, ac per acumen varium ac Eruditionem, si res erat, eam librando: plures autem mire inventendo ad propositum. Exem-

Exemplum accipe in hac Oratione, qvæ poterit trahi in Gratulationem novi Anni. Hujus Propositio: (Annus hic nascitur) sumit acutam amplificationem tum ab Adjunctis Festorum Natalis & Circumcisionis Christi Domini; tum Anni præcedentis &c.

Natalis novi Anni.

IN lucem, imo tenebras nuper prodiit Deus Infans, & sane opportunius Sol oritur, ubi lucis, qvæ tenebras profliget, premit inopia. Post DEI crepundia & annis pæne vagire ac inter VERBI fascias coarctari libuit. An enim sic adstringi annorum spatia detrectent, cum æternitas verbi temporum cunabulis angustatur? Ergo natalibus destinatum tempus nova venustat fæcunditas, cum & Deum in carne proferat, (nam extra carnem ante annos gignitur, quem tota parit æternitas) & anno insuper gerat se obstetricem Dei qvidem svavior Infantia, sed anni nonnihil amœnior; qvod Natalem numinis temerarint lacrymæ, anni crepundia communis plausus excipit, Genethliacon illi orbis instruit; ut illud prætteream quod Anni. Fascias tingat Purpura, quam VERBI cruor imbuit; nec aliud illi in Horoscopum potius contingat sidus, quam Sol Deus in ulnas virginis declinans inter bonorum præsagia, etsi hodie pluat sangvine, nam hæc teneri Amoris pluvia beatæ sementis pabulum est; & qvidqvid malorum supererat, extinctus proxime Annus secum pariter traxit,

dum

dum rueret. Funus ejusdem peractum circa noctis meridiem, ut ille ait: cum vitam producere ultra natales alterius haud liceret. Satis tamen habes encomii, qvod vitam inspiraverit nato in carne Verbo, in agone merito gloriatus se vitam dedisse vitæ Auctori, qvam ab anni funere ordiatur. Sed en melior ex qvodam annosi cadaveris busto erumpit Phœnix, & ab interitu occasuqve unius, ortus ac vita emergit alterius. Oritur & ille nuper exorto Sole, puriores hausturus radios ab hoc terrestri - qvam à Cœlesti traxisset. At qvidqvid illi accessit luminum Tuis M. D. ut augurari licet, accedit commodis Nescit enim mutuasse lucis parsimoniam cœpta illustrius Anni revolutio, qvin radios spargat in commune. Qvodsi nec una Tibi constanti serenitate luxit, hæc saltem faustis comprecationibus, qvas per repetita sæpius vota qvibus sua vis inest, cumulatissime augeo, poterit stabiliri.

2. Modus.

PEr variam Eruditionem & multiplex acumen [qvod res postulat] dilatatur Argumentum non vulgariter. Argumentum sit dilatandum, Currens moneta in Polonia; de qva sic conqveri possis:

Præclarum sane fecimus qvæstum, dum ab ipso triobolaris monetæ censu inopiam auri imo jacturam duximus! Merito hodieqve Creta vel Corynthus, sed deterior credi possit Polo-

nia, cui æris sit tam abunde, auri argentiq; prope nihil. Non Sola tribunos coluit ærarios vetus Roma; etiam hic, ubi scilicet æs triumphat. Æneum repente offulsit seculum, ubi fulgebat aureum, ære solido obrigescit. Olim gemmis riguoqve illi cœlum auro depluit, nunc ærea tantum detonat tempestas. Ita vix æs civitate donavimus, aurum cogitur exulare, adeoqve jam non auri sacra fames, sed æris profana cruciat. Nescio qvis Æneas in orbem æneam ætatem revocat, verumqve ac sui nominis indicit ærarium? Novum aliqvis Perillus vitulum ex ære conflavit, qvo Poloniam torqveret. Sed vereor ne ipse parem Perillo pœnam toleret,

- - doceatq; suum mugire juvencum.

Par prodigio, nisi te Aqvilo noster devoveat, qvisqvis aureo Patriam seculo exuisti; per te cælati signatiqve argenti, per te facti, infectiqve auri copia sublata: Tibi uni suum nomen debet ærarium, Tibi, Gange Lechico rigata sæpius exterorum gaza, tibi inducta regno melioris metalli pauperies debetur. Nimium sane pretium æri fecisti, cui vel argentei Leones, vel Imperiales in argento Aqvilæ cedere coguntur, non jam aureus oppugnat ærarium Patriæ asellus &c.

Sic & in pellitum Sarmatam ample luditur ex eodem fonte: Ades personata vulpecula, cujus exuvias in dorsum, non tamen ingenium in animum transtulisti. Tua friget gloria, qvantumvis corpus à pellibus incalescat, cum ferendis

dis Cœli injuriis imparem ac imbellem te probet hæc mollior armatura. Penula contra pluviam, pellibus contra brumam pectus obarmas, ne suas novo scilicet Ajaci desit clypeus. Pridem jam Sparta corruisset, si tale pro muro pectus haberet. Sic tibi novum militiæ genus auspicanti, non urbium tantum mœnia sed & rigorem hyemis placet ariete expugnare. Alcidem te dixerim, nisi Leonis illum, Te imbellis vulpeculæ ornarent exuviæ: vel certe Atlantem qvi sub meliori hoc qvantumvis Zodiaco, [qvem solius Arietis signum occupat] desudas, adeoqve efficis, ut novo rerum ordine Sol in Ariete plusqvam unius mensis moram patiatur. Dixerim non immerito, O te præclarum ovium, præclarum arietum custodem, &c.

Tertius Modus.

PEr reductionem Argumenti ad Propositionem Universalem, non vulgarem nec vulgariter propositam, vel ad locum communem; qvæ universalis Propositio per similia vel causas vel exempla elucidetur. Exemplum accipe in laude cujusdam Herois Honorum eximii contemptoris, qvos tamen non effugit, eo qvod honor fugaces seqvatur: Qvæ laus sic Communi loco dilatatur:

Acriter contra te honor institit, palmaris injuriæ memor, qvam illi proculcatis basilicæ fortis insignibo intulisti. Ægre habuit tuo sub calce gemere depressa pulcherrimo fastu ambitio, to-

tamqve in sui vindicias Romam impulit. Novit nempe ludibrium expertus sese vindicare Honor, novit reos eximii ausus plectere usitato auctioris fortunæ supplicio. Sæpe qvidem regali tænia immeritum innectit caput, sæpe aurato vellere immeritum pectus induit; Sed in trabeatos, è solio fortunæ transfugas totis irruit honorum copiis, toto vel post fata involat munerum apparatu. Unicus illi hostis, sacri profaniqve ambitus fuga: huic uni Cyro compedes designat argenteas, ut velut in nervum abeat rara virtus: huic Velut cessuræ sub ictum victimæ coronas destinat, huic honorarias intentat secures. Nec usqvam in irritum cessere honoris se vindicantis minæ; citius compedes induere, qvas solerti virtutis ingenio declinabant. Latere lynceum qvæsitorem neqviit insolens virtus, qvæ dum latebras prensat, in Solem incurrit. Raro non in purpura illustrem fugam erubuere modestiores animæ: raro fatales profugo fasces, hoc est, talium reorum insignia vitavere.

Qvartus Modus.

PEr exaggerationem rei vel eventus alicujus, non sine insperſis sensibus Admirabilibus de qvibus Cap. 1.

Sic Nuntius Cannensis Cladis victoriam Annibalis Carthaginensibus exaggerat:

Bene habet, Carthaginenses. Annibal effractis Alpibus Romæ jam Punicum intentat jugum; fregit acies, qvas ad Ausidum & Cannas

Ro-

Roma effuderat, crevitqve ignobili vico nobilitas conscio tantæ cladis & triumphi. Fluxit & Ausidus aliqvandiu cruentus sangvine Romano decolor. Sic occidat corruatve, qvisqvis infesta Carthagini signa inferet. Non inferet jam Roma, aut si inferat, habet adhuc à qvibus iterum vinci possit. Discat non contemnendam aciem, qvam cavisse oportuit, nec vires minus Punicas, qvam ingenium esse metuendum. Opposuit illi Carthago Ducem, qvo luculenter didicit, Romanas vires fortunæ ludibria pati posse. gemit ergo sub armis Africæ, obscurior futura, ni nostris inclaruisset triumphis: clades numerat, ubi victoriam arrogantius somniarat: truncos suorum artus colligit, ubi aurum legere attentarat. Effuderat se in Campum, sed ut ultimo funderetur: numerum attulerat, non parem æmulo Duci virtutem: tanto scilicet apparatu ivit ad immensam cladem, ignara Carthaginem virtute bella gerere, qvæ numero non computat; nisi in hoste cæso. Numerat nunc, si numerari deleta possunt, qvot ei Pœnus reliqverit superstites cladi suæ &c.

Sic item Scipio Africanus amplificat Cladem Cannensem: Ducem me, Commilitones, adoptavit Roma, eo tempore, qvo & ignavus nolit vincere, & magnanimus non speret. Ducis titulo me non invitus evolverem, nisi piaculum ducerem, ruenti Patriæ vel negare subsidia, vel ejusdem imperia detrectare. Accepit hodie vulnus Italia, cui vix ætas posthuma medeatur. Fecit

cit Annibal, qvantum nec Amilcar Romæ semper obliqvus, nec Carthago ab eo fieri voluisset. Nec altius victoris Gentium populi ante Fortuna assurgere, nec sub Annibale magis potuit pessum ire. Adeo nec summa Imperia extra Fortunæ ictum! Erubuit ad rei indignitatem ante Thrasymenus, nunc Ausidus, postqvam nostro cruore diu decolor, palustres inter vortices scuta virum galeasqve cæpit volvere. Credent-ne posteri conflatum ad Cannas tantum Romæ dedecus! duos Romanorum cæsos exercitus, donec Annibal militi diceret! Parce ferro &c.

Qvintus Modus.

PEr Digressionem. faciunt hanc sæpe & Historici, qvi crebris de situ locorum ac Regionum avocamentis à proposito Historiam laxant. Faciunt & Oratores, tum in Panegyricis, tum à laude alicujus, qvem potissimum laudare intendunt, in prolixas avorum, consangvineorum ejusdem laudes digrediuntur: tum per evagationem ad locum communiorem virtutis, vitii, mortis, doctrinæ, rerum humanarum vicissitudinis, omisso interim argumento, etsi id referri possit ad Primum modum. Primi generis Digressio plurimum conducit ad ampliorem Panegyrim, maxime cum pauca sunt dilaudanda in eo cui Panegyrim adornas. Secundi generis Digressio facilis, sed gravibus Sententiis admirabilior reddenda.

Sic

Sic cujusdam ad exteros studiorum causa profecti laus amplificatur: Is domi tantum lateat, qui foris Patriam obscuraret: Domo pedem non efferant, quorum & res angusta domi, nec animus, orbe major. Sed angustum est magnis mentibus Cœlum Patrium. Solum vertere magnorum est cultura animorum. Sit vere aliis exterorum oras visere probrosum, tibi semper splendidum &c.

6. *Modus.*

PEr Exempla, Sententias auctorum, sed non obvio contextu; qvem scilicet & rarior Transitio, & ingeniosa Elocutio admiratione non deficiunt.

Sic dilatatur laus Matheseos: Vix ullum in Orbe ingenium hæc non afflavit, scientia: etiam coronata Regum, Augusta Imperatorum exambivit. Carolum V. adhuc Europa celebrat, qui triumphales manus ab instrumentis gloriæ ad erudita post traduxit molimina, in sacro illo otio, quod orbis Imperio evolutus delegerat, unam quæ ex Mathematicis hauriri potest, in conclave admittens voluptatem. Celebrat adhuc & Maximilianum Austria, cui nomini immensitas haud sufficerat, quin eam factis ultra mensuram nominis extenderet augustus Geometra, augeret telescopiis Imperii Archimedes. Præfueras longe ante huic & Carolo, Adriane, qvi latentibus in Mathesi svaviariis, post Imperiale pondũ, novo in Purpura Tantalus inhiasti Adeo & Impe-

riales Aqvilæ ſuam indolem ad ſolem cum Aſtronomis explorare, altitudini metam defigere in Altimetria duxere non incongruum. Sed neqve Occidens hac luce non illuxit. Hiſpaniam veneror, cui oriens etiam paret lucetqve. adeo Cœlum illa ſuo coërcuit Imperio; & adhuc occaſum gloriæ timet ſuo in Occidente, niſi novus illi extra Indias, intelligentiæ Sol oriatur. Heſperus qvidem illorum eſt, qvem Mathematica retulit in Planetas, ſed totum inſuper Cœlum, Cantabriæ Aſtronomi ad ſe trahunt. vivit adhuc ſuis in tabulis (qvas Alphonſinas vocitamus) Hiſpaniæ Rex Alphonſus &c. Taceo Philippum Hiſpaniæ, Philibertum Sabaudiæ Principes, qvia illos Fama non tacet; Principes ſe non putarunt, niſi ut in Solio, ſic in Matheſi eminerent; nec alia illis inſignia cariora, qvam qvæ in Zodiaco ſigna præluxere. An vero & Cœlites hæc afflavit gloria? Ibi vel maxime regnant Aſtrologi &c. Aliud Exemplum habes in Chria in illud: Is auro nempe bibat &c.

Septimus, Octavus, Nonus Modus.

DIlatationis Oratoriæ tum per Syllogismum tripartitum vel qvinqve partitum (ubi Major & Ratio majoris, minor & Ratio minoris præter Concluſionem dilatantur) tum per Expolitionem Oratoriam, qvæ conſtat Propoſitione, Ratione ejusdem, item Ratione rationis, præterea ejusdem confirmatione ab exemplo, vel ſimili, vel teſtimonio, & Concluſione; tum per

par-

Sic cujusdam ad exteros studiorum causa profecti laus amplificatur: Is domi tantum lateat, qui foris Patriam obscuraret: Domo pedem non efferant, quorum & res angusta domi, nec animus, orbe major. Sed angustum est magnis mentibus Cœlum Patrium. Solum vertere magnorum est cultura animorum. Sit vere aliis exterorum oras visere probrosum, tibi semper splendidum &c.

6. *Modus.*

PEr Exempla, Sententias auctorum, sed non obvio contextu; qvem scilicet & rarior Transitio, & ingeniosa Elocutio admiratione non desiciunt.

Sic dilatatur laus Matheseos: Vix ullum in Orbe ingenium hæc non afflavit, scientia: etiam coronata Regum, Augusta Imperatorum examinavit. Carolum V. adhuc Europa celebrat, qui triumphales manus ab instrumentis gloriæ adhuc rudita post traduxit molimina, in sacro illo otio, quod orbis Imperio evolutus delegerat, unam quæ ex Mathematicis hauriri potest, in conclave admittens voluptatem. Celebrat adhuc & Maximilianum Austria, cui nomini immensitas haud sufficerat, quin eam factis ultra mensuram nominis extenderet augustus Geometra, augeret telescopiis Imperii Archimedes. Præfuerat longe ante huic & Carolo, Adriane, qvi latentibus in Mathesi svaviariis, post Imperiale pondũ, novo in Purpura Tantalus inhiasti Adeo & Impe-

cipi non aliter ac Soli latere contingit. Nempe ut Principem astrorum Solem nativa radiorum prodit Serenitas; ita Regiæ dignitatis fulgor sua se luce à tenebris vindicat; ut qvidqvid Princeps in Regia molitur, erumpat facile in apertum, facile in vulgus emanet. Frustra est cum sua gemma Gyges, cujus probra non ita celavit annulus, ut omnium ætatum notitiam effugerint. Adeo dolosus est Fortunæ calculus, qvi acta Principum gravissimæ vulgi arbitrantis ac ætatum subiit censuræ! Atomum non effugit vel tanta felicitas &c. nec ita subditas gentes imperio coërcet, ut mentes etiam & lingvas.

Decimus Modus.

AMplificationis instituendæ per descriptionem exactam ejus rei, qvæ in Argumentum cadit. v.g. atrox prælium, qvod nox Sola diremerit, amplius narraturus prælii descriptionem afferres ex Causino: In lato patentius Campo instruitur acies: hinc glomerati inter se pedites addensantur, pes pedi, Vir Viro, clypeus clypeo consertus adhæret: illine alaturn vice explicantur eqvites cristarum umbris opacati: unus est omnium ardor, scintillant oculi, spirat in vultu furor Martius, fiduciæqve permixtus horror virtutem qvasi subditis sibi stimulis incitat: concinunt litui, clangunt tubæ, volitant signa, fulgent gladii, immani qvodam strepitu sonant tympana: jam congressus, jam pugna, etiam pulveris nubes variiqve discursus: jam tor-

tormentorum fulmina & fragores, missilium telorum concitatæ grandines, mox collisæ inter se acies alternis velut fluctibus reciprocatæ: sequntur deploranda, quæ solent, fortunæ ludibria, cædes multiplex, de victorum fuga, clades nunc singulorum, nunc universorum, armatis inermes, eqves pediti, integris exvulvere jam debiles impliciti, eqvi in cruore lapsantes, succisi poplites, spirantia cadavera, morientium gemitus, insultantium clamores, atqve inter hanc rerum faciem flumen exundans Sangvinis, & adhuc exundaturum immanius, nisi nocturnæ tenebræ atrox prælium diremissent.

Undecimus Modus.

AMplificationis per particulares inductiones ad dictum universalius propositum pertinentes, v.g. illud: Nihil in terris stabile, qvod facile dilatabitur, per inductionem regnorum qvæ olim floruerunt, & jam interiere; item urbium, item hominum, puta, Regum, Ducum &c. &c.

Caput IIX.

Octavum præ vulgari longe cultioris Eloqventiæ Fundamentum.

Tum rerum tum circumstantiarum Combinatio.

ETiam hæc ad Fundamenta mirabilis Elo-

qventiæ pertinet, qvia est ingenii melioris partus, imo vel maxime ingenii vim & acumen probat apta & mira rerum & Circumstantiarum alioqvi disparatarum connexio atqve idonea combinatio. Operæ pretium fuerit fundamentum hoc bene collocasse, qvia recentium Orationes freqventer solum huic Fundamento insistunt, & pulcherrime assurgunt.

§. I.

Mira Circumstantiarum ad unam Propositionem accommodatio.

HIc elucet Oratoris industria, dum qvaslibet Circumstantias miro contextu ac fœdere conciliat, & proposito accommodat. Hæc vero accommodatio fiet Primo ex affinitate proprietatum relucentium in Circumstantiis; item ex affinitate, si qva est, nominis cum re in Propositionem cadente, vel à contrarietate cum eadem. Declaro id Primo, in Dedicatione Thesium Logicarum novo soli sine maculis, DEI hominis Matri, in Anna, idest in Gratia Conceptæ, orbis & scientiarum Dominæ, ubi Propositio hæc est: Merito se Tibi devovet Logica ac submittit. Ratio prima ducitur ex Combinatione tum nominis Logica, qvæ per Anagramma Caligo dicitur; tum Lunæ, noctis & tenebrarum amicæ: Sicut ergo Luna nocturnus planeta, sic hæc obscurior scientia merito se illi subdit. Deinde, qvia si obscura est Logica, ab illustri planta & Sole serenabitur. Item Ancilla sci-

ſcientiarum Logica habet aliqvid ad Domini Ancillam; & qvæ Rationalis eſt Scientia Conceptus, proinde & huic Conceptioni eſt amica &c. Qvæ omnia ſic complectitur

Dedicatio Logicæ B. Virgini Immaculate Conceptæ.

ET Logicam Tuis ſubſterni pedibus patiere, poſtqvam id noctis Principi Lunæ permiſiſti, Auguſta Univerſi Princeps. Amicum tenebris utrumqve nomen eſt; nec alibi pulchrius, qvam à proximo Tibiqve circumfuſo Sole ſerenatur. Si Luna eſt qvidqvid calcas; etiam affuſæ pedibus Logicæ novum accendes plenilunium. Qvanqvam lucem non ambit Logica, ne nomen amittat, cui caliginem immiſcuit. Lateat, ſed ſub tam illuſtri planta; & hoc illi ſatis eſt ad gloriam. Plaudet ad Auguſtos Ancillæ pedes, Ancillans ſcientiis facultas, & ab offuſa Tibi Spiritus ambra ſuæ faciet obſcuritati pretium. Qvod tamen Organi ſui Concentus Tuo dedicet Conceptui; Rationalis eſt, Conceptus amet. eos ſi dirigit, Tuo rectiorem non novit: hic illi vel maxime dignus dirigente DEO Conceptus placet. Minor qvidem illa eſt, qvam ut Te extra uterum majorem, imo minimam colat; ſed tantilla etiam qvidni ſubmitteret Tibi ingenia, qvæ Caput conteris? Primos ingenii fructus non abnues, etſi malum Adæ, hoc eſt prima mortis bellaria non libaris. Certe Diſtinctio ſuo jure ad Te pertinet, cujus primum

in

in utero exortum à reliqvis Gratia sic distinxit, &c.

Secundo Eadem mira Circumstantiarum accommodatio ad Propositionem fit, ducendo Proportionatam Allegoriam à qvalibet Circumstantia, ita tamen ut qvælibet Allegoria ad eundem sensum detorqveatur, ad qvem alia eandem Propositionem exprimens.

Sic primo ad illam Propositionem: vestra, Judices, gloria perennabit; accommodantur Judicum avita insignia: vestra nesciet unqvam interire gloria; cui vexillum hoc triumphale expanditur: Oppugnatura Procerum nomen oblivio, vel in hoc signo vincetur; At nec Luna Ducalis vestro nomini ullas offundi tenebras patietur, hoc Luna Cœlite superior, qvod eclipsium ignara, constanti serenitate Patriæ affulget. Qvanqvam & accipitrinorum alis altius provectum terrenæ metas gloriæ effugiet vestrum nomen, nec Olorinus candor ullas ei umbras inspergi sinet, & Leo flammeus Zodiaco dignior præ Cœlesti melius pro vestra gloria excubabit, qvam pro aureo vellere vel Hesperidum hortis draco vigilarit: scutum insuper vobis contra oblivionis ictus; dabit gentilitium ancile, Romanorum ancilibus vel scuto Persei præhabendum: aliorum Soleæ iter vobis ad Immortalitatem munient, & vestigia posteris impressa nunqvam aboleri sinent: Sagittæ recta ad æternitatem nominis collimabunt; Fasciæ nobiliorem cœlesti vobis accendent Zodia-

diacum: Cruces avitæ consecrari, Rosæ & Lilia vestri Famam nominis efflorescere, tumulus nunqvam emori, hastæ potiores Palladis vel Alexandri hastis ab immortalitatis meta vos nunqvam aberrare volent; deniqve nec Arcus sine præsidio, nec gradus pennis instructi, extra certum ad Famæ perennitatem iter vos esse patientur.

Sic item ad illam Propositionem: In Augusto scholæ Sarmaticæ vacant, accommodantur Divorum festa & insignia: Nec orbi qvondam, neqve Musarum domiciliis altissima pace frui licet nisi sub Augusto; ibi Jani clausis foribus, hic Scholarum. hinc non sola in Augusto Petrum arctarunt vincula, sed & Rhetorum lingvas; nec Apollinares tunc laureas cum Laurentio decerpere, neqve ex Hyacinthi fragrantia melleam condire dictionem, nec Philosophari cum Augustino, nec triumphalia Coronatæ DEI Hominis Parenti licuit instaurare; Sola tunc Inventione concessa Stephano, adempta Rhetori; Interclusa Oratoribus voce, ubi voci Clamantis in ferali convivio vox auferretur & vita; præcisa spe laureandi tunc cujuscunqve capitis, cum nec VERBI prodromo cum Capite (sine qvo tamen nemo illo major) esse liceret, volente id Saltatricula, qvæ egebat plane Capite, utpote cui omne ingenium fluxerat in pedes, orbi Salutatorio, cui orcus pro centro sit, assvefactos.

§. II.

§. II.

Mira Circumstantiarum inter se Combinatio.

EGimus de mira earum Combinatione in ordine ad eandem Propositionem; nunc agendum de Combinatione earum inter se mire connexa, etsi diversæ Propositiones sese continue subseqvantur. Nexus earum proveniet tum ex lusu oportuno in verbis, tum ex affinitate vocum & proprietatum, tum ex correctione Oratoria, tum ex qvacunq; ingeniosa earum ad rem propositam detorsione ac deflexu.

Patet id primo in hac Salutatione Ducis Exercituum Dominica Ima Qvadragesimæ dicta, ubi varias vides Circumstantias inter se combinari dicto modo.

Salutatio Ducis Exercituum.

DEsertum Christi nos disertos reddidit Dux Illustrissime. In solitudinem hodie secessit Verbum, sed adhuc nobis in urbe verba in Tui venerationem supersunt. Eqvidem famescente Christo ciborum magis abstinentiam amamus, qvam verborum. In Tuis laudibus nunqvam nobis jejuna contingere potest Oratio, qvorum desideria Tui conspectu usqve ad satietatem imples. Circumfers tecum populorum solatia, & post exacta etiam Hilaria nova hilaritate animos perfundis, ac trophæis assvetus, etiam nubes animi triumphas; eademqve Imperiali cla-

va

va & hostes Patriæ, & mærorem ab animis propulsas. Usq; adeo imperium & armorum obtines & animorum. Prodit ergo è sacris Cineribus novus Phœnix, dum toties nata de Tuo adventu animorum vultuumq; serenitas renascitur. Qvidni autem renascatur, Te augusta Tua Domus decora, qvorum in Te compendium geris, in hæc Divorum adyta inferende, &c.

Patet idem in Salutatione Areopagi Sarmatici, Lublini, ubi etiam Circumstantiæ variæ mutuo innectuntur:

Etiam nobis litem ipsa intendit humanitas, & reos tarditatis pertrahit ad tribunal, Illustrissimi Judices Salutantium officia & lene hoc urbanioris ingenii tormentum, distulimus ultra crucem; acsi gratiam invenire oratio neqviisset, nisi dum Helena Crucem reperit; vel declinans in Vesperum dies, vestro adventu qvovis oriente factus illustrior, umbras Oratorum luminibus offundere potuisset. Expectatum donec nos ipse propemodum remus impelleret, urgerent lanceæ Adalberti, ac emortuam & Qvadragesimæ cineribus insepultam excitaret facundiam cum Petrovino Stanislaus. Sed nec tardius Aqvilarum propaginem advolare decuit; nec citius, ne temeritatis probrum incurreret celeritas imparata. Expectandum fuerat donec à Boleslao aliqvantum audaciæ in accessu, ab avita Stanislai seqvis cruce aliqvod felicioris facundiæ omen traheremus, &c.

Corollarium
Ad superiores Paragraphos.
Mira Combinatio Temporum.

UT aliæ Circumstantiæ in ordine ad Propositionem unam, vel inter se in ordine ad plures combinantur, ita & plurium temporum Circumstantia; cum nempe consideratur vel pars Anni currens, vel dies ac diei affixa celebritas aliunde accidens, vel mensis vel Solis tunc in aliqvo astro mora, vel eventus tunc obortus aliaq; hujusmodi.

Patet id in Valedictione Oratoria iisdem Delegatis Regni Poloniæ Judicibus: Sed ecce dum in Zodiaci libra felicitatis nostræ pondus expendimus, tota repente destituimur, tota excidimus, vobis Justitiæ libram alio transferentibus. Vix nuper Cœlestem Michaelis bilancem intuiti, humana illam tracta e manu renuitis, quæ Angelicam meruisset. Scilicet hucusqve de Possessionibus fuerat litigandum, qvousqve non deventum adjuratum sacræ egestati Francisci nomen. adeoqve felicibus nobis esse non licuit, nisi ad Octobrem, qvi solus obstruit, qvæ Aprilis Fortunæ gaudiiqve ostia reserarat. Adeo & animos mensis vulnerat, qvi Zodiacum Scorpii signo temeravit! nec totum in Cœlos affundit virus, etiam in urbis animos idem inspirat, hinc neqve nos sine dolore, qvia nec sine vulnere. Mæret abscessu vestro Tullius,

lius, cujus Judiciale genus hactenus coluistis, &c.

Sic Mensis November dilaudatur per eandem Temporum festorumqve Combinationem: Etiam November in eximia sese luce circumspicit, cui satis affulget luminis à multiplici Universorum Cœlitum luce, qva suas illustraverat Calendas; satis illi gratiæ à svavi modulantis Cæciliæ concentu, dignaq; ipsius Cœli auribus harmonia. Ab Andreæ nomine maturuit ejus felicitas, qvam & Clementis fulcit anchora, & rota Catharinæ in sublime evehit, & Coronatorum qvatuor insignia coronant, & Thaumaturgi prodigia reddunt admirabilem.

Mira combinatio Conceptuum.

DUm eadem materia pluribus illustratur argutis Conceptibus vel argumentis, hæc inter se nexu ingenioso & è rerum ac verborum exigentia petito satius est conjungere, ne illud Tibi qvispiam è Momi familia objiciat, qvod hæc tua videantur esse arena sine calce, aut Clypeus Phidiacæ Minervæ dissolutus. Sic combinantur illi conceptus de qvodam Schismati Græcorum inimico: Æqve Tu Vaticanæ Religionis cultor ac propagator, illius amorem in deliciis incrementa in votis reposueras; ita infensus Schismati, ut illud ditius esse velles, inferendo illi nobilem è Piscatoris Annulo Unionem; ita ejusdem integritati providens, ut nullum è Græcis Capite imminutum velles; eos præ-

miis

miis coronans, qvi Caput se habere agnoscerent; alliciens, qvi rationem adhuc cum Capite recusarent, misertus scilicet eorum, qvibus Cœli ostia patere haud possent, eo qvod Romæ abjecissent Claves, &c.

Mira Combinatio Stemmatum.

NOn raro contingit maxime in Procerum concursu hujus Combinationis usus. Varia ergo ex illis sumpta Allegoria ingenii ope nectenda & Principali sensui accommodanda est. Dedi exemplum supra: addo

Sic accommodatur nectiturqve in hac Sententia: Bene erat Urbi vobiscum, ô Proceres; In Luminum Patriam urbs hæc transiisse visa, qvamdiu in Purpura vestræ lucis radiavit. Ipsa sub avito qvorundam Labaro militare felicitas videbatur; abunde omnium, ubi hic præferretur manipulus: vernare hic omnia, ubi Rosæ & Lilia perpetuum Patriæ ver afflatura; micare, ubi Lunæ; eminere, ubi Acervi; sublimius evolare cum Accipitre, dies candidos sumere ab Olore, felicitatis metam attingere cum sagittis, calcare ardua cum Soleis, in gradibus avitis assurgere. Fasciis ambiri omnia citra ambitum videbantur: à Gentilitiis Turribus munimentum, à Fluviis, aurei Gangis omnia; ab Hastis, præsagia triumphorum, ab aure gladio munita, Famæ; à Campo, Victoriæ; à Capite, Boni Consilii auguria deducere &c.

Possunt eadem Stemmata ad diversas Propo-

sitio-

ſitiones accommodari, ita ut ſicut unumqvemqve ex Proceribus deprædicas, ita & uniuscujusqve ad Stemma, prout hoc & ejus laudes exigunt, alludas. vide Exemplum in arcu Pacis, ubi auctor meminit ſeorſim Soleæ Koniecpolianæ calcandis barbarorum cervicibus fatalis; ſeorſim Fluvii Lubomirſciani, qvi fluctuanti Patriæ fida ſemper & tranqvilla Statio, barbaris myoparonibus inevitabile naufragium; ſeorſim Haſtarum Zamoſcii, qvæ cum ob cognatam huic ſangvini Sapientiam errare in hoſte neſcierint, Scævolis potiores Heroas armaverunt.

Mira Cauſarum Combinatio.

RAtionibus firmare Propoſitionem commune eſt, ſed rationes ipſas ſpecioſius innectere eſt ſingulare. Admirationem hic conciliant tum cauſæ ſenſu admirabili propoſitæ, tum nexus acutior & à vulgatis tranſitionum modis remotior. Unum id & alterum declarabit exemplum. Primum habes in Oratione ad Attilam volentem Romam ſubvertere, qvod diſſvadetur, multiplici ratione & nexu. Vide §. 4. Capitis primi.

Aliud Exemplum habes in Præfatione philoſophica dicta contra Diſtinctionem Scotiſticam; Subtilem Scholam exeunte Januario aggreſſus, etiam tunc recluſis in bella Jani foribus, arma per inducias ſemeſtres poſueram. Reſumo jam præliares animos, & ſubtilium caſtris iterum novus Fecialis certamen literarium indico,

dico. Nec prælari contra Martem Seraphicum temeritas est; non sola rem decernunt, nec sola semper nomina laurum pariunt aut infringunt. At nec ratio prohibet in terrestres arma capere Seraphinos. Concurrit hæc & cum Angelicis toties ingeniis velitatur, qvæ illi Aqvinaticus Sol ostendit: utrumqve id Angelicum nomen est, qvod semper ratio colit, etsi non seqvitur semper. Amplector Scoti ingenium, sed non ubiqve sententiam. Citius mihi qvidvis aliud qvam Distinctionem Formalem ex natura rei persvaserit. Arma, arma, contra illam inclamo, & prius in eam sic talum intorqveo &c.

§. III.

Mirum Acumen ex varia rerum Combinatione.

INgeniosa rerum combinatio & ipsa per se acumen est, & mirum sæpius acumen parit. Qvod ut fiat, videndum an res aliqvam affinitatem cum Eruditione qvapiam vel parœmia non habeat: vel an pariat jucundam aliqvam Amphibologiam, vel æqvivocationem illud vocabulum, qvo res enuntiatur. Exemplis aliqvot rem illustro.

Sic dum Hispanus Gallorum aliqvot millia vere an falso nuntiaretur cecidisse, nonnemo scripsit: Hispani aliqvot Gallorum millia cecidere. hic luxus Martis Hispani est, ubi vides aptam & ingeniosam combinationem victoriæ

Hispa-

Hiſpanæ de Gallis cum luſu ex alluſione ad nomen æqvivocum, Gallus; & apte luxum tribui Mirti &c.

Sic item Collegii cujusdam, ubi literæ perqvam florent, Fundator eſt, cujus inſigne Gentilitium eſt, Caput Aſini. hinc nonnemo ingenioſe res & Eruditionem de Pallade ex Jovis cerebro nata combinans: Iterum Pallas è cerebro, & qvidem Aſini non unus hinc AſiniusPollio, magnum in Græcia nomen & literatorum Numen.

Sic de primo inventore lyræ Jubal dicto: Ingrate Paſtor ſecta pecudum viſcera imparibus diſcreta numeris extendiſti: ſic in Cytharæ eqvuleo mortuos torqves & inter tormenta canere jubes.

Sic alius de morte Ferdinandi tertii qvæ contigit Feria ſecunda Paſchæ, mire combinavit in acumen hæc: Splendide opſonare viſa mors Agno ſibi nuper in ferali Golgothæ colle appoſito, poſt Agnum placuit Imperiale pomum monſtro huic delibare. Hæc ſunt bellaria Mortis poſt illud opſonium.

Sic & de obeſo ludit Stratius: Vir es, inqvit, magnæ continentiæ. Ubi diverſi ſenſus connectuntur in acumen.

Sic & de Studioſis Collegii Karnkoviani ſub ſigno Agni aliqvis: Hic ſi uspiam numeroſus cernitur Eqveſter, ordo, omnes hic Eqvites velleris aurei &c.

§. IV.

§. IV.

Ex varia rerum Combinatione eruuntur mirae Propositiones.

INter alia qvibus gloriose insudat præsens seculum, sunt raræ, ingeniosæ Propositiones tam in Oratione profana, qvam sacra. Earum ingeniose eruendarum Modos aliqvot dedi supra ubi egi de acuta Eloqventia: Hic addo ex rerum varia Combinatione mire acutas erui Propositiones & tanto admirabiliores, qvanto magis præter spem hinc eruuntur.

Sic nonnemo Hæresim hujus seculi à Romano Pontifice alienam Stylo invasurus, argumentum sibi præfixit Hydra sine Capite. nempe id monstrosum hydræ multorum capitum, & cui uno avulso aliud non deficit.

Sic alius die salutatæ ab Angelo Virgini Matri sacra, ad assumptam tunc humanam carnem à Verbo alludens Orator, pro argumento dicendi habuit: Ignis sepultus in cinere. Alius eodem die id argumenti eruit: Persona Promota Deus Homo in Collegio & Universitate Mariana. Alius vero; Unio in Mari Gratiarum repertus. ubi Allusio ad unionem Hypostaticam, & unionem seu gemmam. Qvæ omnes Propositiones è varia rerum Combinatione, ut vides, eruuntur.

Sic & in Festo ejusdem Virginis Matris sine primigeniæ noxæ macula conceptæ eruta ex diversa rerum & vocum Combinatione Propositio illa: Metropolis Divina à communi tributo exem-

exempta. Et Conceptus Gratiæ. Et illa: Sol sine maculis. Item: Meridies ante ortum. Et: Plenilunium in Novilunio.

§. V.

Ex varia rerum Combinatione mira sumuntur argumenta probandæ Propositioni accommoda.

SIc jam usus obtinet ac expolitæ ætatis ingenium, ubi semel admirabilis videri ambiit, mira molitur omnia, & Propositioni non vulgaria, sed insperata adinvenit argumenta. unde autem sæpius, qvam ex varia rerum, temporum, locorum Eruditionum consideratione, & conflato ex iis suæ causæ firmamento. Res exemplo evadet illustrior.

Sic in Oratione cujus argumentum seu materia fuit: Magister piæ in Parentes Impietatis Stanislaus Kostka, argumenta in laudem hujus virtutis ex varia vitæ, Circumstantiarum, Eruditionis Combinatione desumuntur hæc, in laudem tantæ doctrinæ & magisterii: Primum: Circumtulit per orbem deductam hanc Cœlitus scientiam, nec in Austria sedem fixit, cum nec Fraternus livor, nec Imperialis Aqvila ejus Solem hunc ingenii ferre posset; donec Septicollis Roma Cathedram illi offerret, ne longe abesset à Petri Cathedra eximiæ facultatis Professor, & novo Prodigio pullus Aqvilæ à Filio Columbæ; qvasi tantam virtutem & ingenium, novas de se, novas de parentibus laureas decerpentem minime dece-

ret extra Capitolium triumphare. Qvidni se illi hospitalem præbuisset etiam Andreæ Domus, qvem tota exceperat Roma Petrus? Ibi pulcherrimæ artis auctor substitit, Francisco olim Gandiæ Duce artem probante. scilicet qvi Franciscum se Peccatorem scripserat facile hic Peccator, pie in Parentes impium sociali adlegit agmini. Verbo, facile locum reperit apud Sanctum Peccatorem pia crudelitas &c. Secundum Argumentum: Dedit illi plausum triumphatrix Roma: dedit & Cœli Regia Securum est discere, qvod cœli prodigiis roboratur. Affuere de cœlesti Gymnade prænobiles Ephœbi, daturi præconium Sapientiæ, qva rudes ille animas erudiret: absolvitur à noxa Impietas, qvæ Cælestes Genios in dulce spectaculum evocavit. cœlesti pabulo recreari meruit, qvisqvis id didicit. Æther ipse tota Divinitate alit tantam virtutem, & Scientiam Professoris. Adest & illa Virginum Cœlitumq; Princeps, sudanti inter febriculæ an charitatis deliqvia, & in pio facinore docendo laboranti Kostcæ non aliud Solatii afferens, quam quo Cœli æternitas bearetur. Inter filios adscribit illa, qui sic in terris Matrem oderat, &c.

Sic & in Oratione de Annunciatione & Incarnatione Verbi, ubi materia & Propositio fuit: Metaphora in Verbo, argumenta constant rara combinatione in laudem Cœlestis illius Metaphoræ: Primum: Didicit tandem Cœlum grandioribus uti Metaphoris, cum Deus fecit Metaphoram in se Verbo. Tot ab orbe condito fluxe-

runt

runt ſecula, dum unicum hunc Tropum aſtra diſcerent; ſed tandem Deo Rhetore profecerunt. tum primum agnoſci Metaphora cœpit in Verbo, cum Deus in carne: neq; prius illa potuit mente concipi, qvam Virgo conciperet.

Secundum: Nec ſvavitas Cœleſti deeſt Metaphoræ, qvam condit gratiæ plenitudo. Origo illi Paradiſus eſt: ab illo voluptatis horto noſter hic Hortenſius: Prægustatum Adæ malum tam bonam artem protulit, ubi ex arbore ſcientiæ talis fructus, id eſt, hujus Metaphoræ neceſſitas pullulavit. Svavitatem ejus inſuper commendat Nazareth; neqve enim in hac Florida Galilæa Floris illius translatio contingere poteſt injucunda. Vernat & ipſum natalis loci nomen, ipſaqve citra novam Metaphoram florentis Nazareth rident prata, ad hanc floridi qvia Nazareni translationem Verbi.

Sic & in Oratione de Cometis, qvod hæc illuſtria cœli oſtenta & crinitæ in cœlo faces, ſint felicitatis præſagia: Argumenta ex combinatione variorum ſumuntur ingenioſe. Primum. Qvia Ignis ſæpe lætitiæ index & augur: hinc ignes Triumphales. Secundum: Qvia in Cœlo etiam natura immanes feræ manſveſcunt, & ſua feritate ibi deſtituuntur. Nemo timet Urſam Cœleſtem, vel Scorpionem, nemo Leonis vel Ophiuchi ſidus, nemo Centaurum vel Herculem; innocuo hæc ſplendet ſereno. Crinitas ergo caudatasqve faces in cœlo timeas, & feras non times? &c.

CAPUT IX.

Nonum non vulgaris Eloqventiæ Fundamentum: Argumenti tractandi varia nec obvia ratio.

ETiam id in plausum theatra & rostra excitat, si ita laudabiliter uni insistas modo, ut pluribus æqve possis. In unam trahere formam, formamqve omnia, tædio non vacat. Hic hic maxime satietas fastidio proxima. At Eloqventia nostra fæcunda est modorum in argumentis, aliter à communi & obvia ratione tractandis. Sterilitatem hujusmodi & rudem inopiam odit. Profero nonnullos è plurimis.

§. I.

Modi complures qvibus Orator Admirabilis utitur in tractandis Argumentis seu materia Orationis.

NOta Primò, Modi qvi hic recensentur, tum variis materiis diversarum Orationum, tum uni eidemq; materiæ diversimode tractandæ serviunt.

Nota Sècundo. Usum hujusmodi modorum esse tum in longiori Oratione & Panegyricis grandioribus, tum in minoribus & Officiosis, ut sunt Salutationes, Gratulationes &c. non nego tamen aliqvos ex recensendis modos esse etiam vulgari Eloqventiæ usitatos; sed tamen iis noster Orator ita utetur, ut in vulgari alioqvin mo-

do

do non vulgariter se gerat, & communia non communiter usurpet, sed modo singulari & suæ admirabilitati congruenter.

Argumentum hic idem intellige qvod materiam Orationum, qvæ

Tractari potest primò sic:

ABsq; solenni exordiendi forma, & Propositione expressa, seu pollicitatione de qvo sis dicturus, ordine à sententia Propositionem Orationis ante inventam includente, reliqva ad eam spectantia contextu connaturali prosequendo. Sic fit in Oratione illa in Annunciatione, cujus materia & Propositio: Metaphora nova in Verbo: Statim enim incipit Orator: Didicit tandem Cœlum grandioribus uti Metaphoris, cum Deus fecit Metaphoram in se Verbo &c. & ulterius contextu naturali pergit Oratio, exponendo qvalis hæc sit Metaphora, qvæ ejus necessitas, svavitas, utilitas &c. Similis modus est in alia de eodem festo Oratione, cujus materia est Solennis Verbi ad Corpus receptio. Statim enim incipit: Tam nobile MARIANI Sodalitii corpus est, ut Deus etiam hoc in corpore cerni velit. Pridem id ambiit, hodie tandem in Corpus & ille receptus est, qvid enim Deus est in carne qvam Sodalis in corpore &c. deinde contextu naturali, pergitur, qva ratione id peractum, ubi de Angeli legatione, Divinæ Matris assensu, Sodalis conditione ad propositum.

Sic & in Deliberativis Orationibus, ut in illo

Manlii, cui propositum est Militem Romanum contra Latinos animare; Sic ergo incipit:

Bellum nobis, Qvirites, gerendum est cum hoste, qui nec bellum nec pacem pati sciat. Samnites jam compescuimus, adhuc nos Latinorum arrogantia elicit in certamen. Scilicet non satis ad Regillum lacum Latini haustum sangvinis; adhuc etiamnum furentibus sangvinis missione opus est. Sed eluet tandem, qvam sibi turpiter conflavit notam Latinorum fides, novasq; lacus suarum testes stragium suo sangvine colorabit Omen belli ne qværite; in manu vestra est, qvanqvam ominis adinstar mihi est ipsum Latium nostris armis semper oppressum. Meminit mons Algidus, ut illos Qvinctius Dictator ab aratro (ne quid à rustici operis imitatione cessaret) victos more pecudum sub jugum misit, rediitq; ad boves triumphalis agricola &c. sic connaturaliter ultra pergit & aliqua refutat. &c.

Tractari potest 2.

INsigni Allegoria Propositionem exornando, eamq; per totum Orationis contextum continuando, observatis iis quæ supra de Allegoria Admirabili cap. 4. Modus hic solennis est & usitatissimus, sed ex dictis supra admirabilitas illi quædam concilianda est, & ipsi Allegoriæ Paradoxum subinde vel Oppositum communi sensui & Proverbio adstruendum. Ut in Oratione de S. Borgia per honorum contemptum gloriosiore, patet, ubi materia dicendi est Allegorica: Sol

sere-

serenior ab occasu & ibidem sic incipit: Orientem hactenus cum Phœnicensibus adoratis Solem, Occidentem nunc adorabitis &c.

Idem in ea Propositione patet de Seraphico PoloniKostcæ in Deum amore: Zona torrida in Aquilone.

Porro ad Stemma fit ingeniosa Allusio multipliciter.

Allusio ad Stemma multiplex.

1. Vel enim alluditur ad colorem, ut ab Oloris & Rosæ colore de qvodam: Candorem à gentilitia alite in animum & mores transsumpsit.

Et:

Concolor est Domini moribus iste color.

2. Vel alluditur ad proprietates rei in Stemmate depictæ. ut de qvodam è familia Roscorum: Famæ odorem eum ubiq; sparsit, qvem à Rosa expectasses.

3. Vel per Allusionem ad Opposita proprietatibus Stemmatis. ut de Gentilitia Luna: Luna hæc diem efficit æqve noctem ac tenebras ullas nescit, qvas avitis fulgoribus ex illustri familia exclusit.

4. Vel per allegorias qvæ possunt trahi ad Stemma, v g. Gentilitius Tuus Amnis. Patriæ portus: hosti semper naufragium: in qvo ut toties hostilis fluctuavit felicitas, sic Polonæ semper velificatum gloriæ &c. Sic item in obitu cujusdam cujus insigne Luna; Flerem extinctum Familia terrisq; lumen nisi Cælo Lunam deberi scirẽ. Dederit

derit illustriores hactenus terris dies, nocturnu certe hic planeta noctem & tenebras non refugit, quas tumulus offundit. Et: Miram in largiendo celeritatem è Tuo flumine derivasti.

5. Vel Eruditio Stemmati conveniens afferenda. Sic de Fluvio avito Domus cujusdam Patriciæ: Candido semper decurrit alveo, nisi quod hostili clade sæpius erubescat & sanguine, ne quid de laude Thrasymeni non decerpat. Hic etsi de Sardiniæ fontibus non sit, tamen impune à latronibus non bibitur,

6. Vel Comparatio aut prælatio Stemmatis ad aliam rem similem instituenda. Ut illud:

Urso Cœlestis sit minor ursa Tuo.

Et de Navi Czarnieciana:

Jasoniam tandem Cœlo depellite Navem
Dignior hoc fuerit Czarnieciana Ratis.

7. Vel ad Campum Stemmatis, allude puta rubeum vel Candidum, &c.

Certe Stemma subinde dat impetum toti Orationi, ut patet ex alibi dictis.

Tractari potest 4.

SUmpto non rudi impetu ad reliqvum totius Orationis contextum à Comparatione rei vel Personæ cum alia. Sic tot Regnorum gentium q; illustrator Xaverius à Sacro Oratore cũ Alexandro componitur, cui unus non suffecerat orbis.

Sic Causinus Eloqventiam cum Pantarba lapide, qvi semper ardet & fulgore suo vel in media

nocte

nocte diem efficit, aliosqve lapides ad se arcana vi pertrahit; sed è captantium manibus facile effluit, &c.

Tractari potest 5.

SUmpto ingenioso impetu dicendi ad totum Orationis contextum ex titulis, nomine vel Honore, Honorisqve insignibus.

A nomine illud Eliæ N. ἥλιος autem ex Græco Solem significat: Ne à Tuo errarem limine, insitus Tuæ menti nominisq; splendor fecit. Eum Tu semper animo, qvem nomine circumfers Solem, nec ullas invenis tenebras, qvas non Tui nominis luce expugnes. Qvocunq; immigras, Cœlum efficis, diemq; non minus ædibus qvam ingeniis accendis. An enim aliunde magis Orationis lumina deriventur qvam à Sole? Cœlum duos non posse pati soles asseruit Macedo, Tu Teipso refutasti &c.

Ex titulo etiam ille impetus in Salutatione Thesaurarii: Nunqvam minus inopem verborum se agnoscit Eloqventia, qvam cum ad Te perorandum est. Idem qvod opibus & auro Patriam ditat, etiam verborum liberaliter illi suppeditat Tuum ærarium &c.

Tractari potest 6.

AFfectui uni potissimum, qvem Tempus & res exigit insistendo; eiq; servientes Figuras, sententias, Eruditionem accommodando; non scilicet gloriose, ubi gloriandum est; nunc excitatius & animosius ubi erigendi animi; nunc

Oratione in luctum attemperata, ubi tristitiam res ac eventus imperat &c. Sic in Gratulatione læta omnia, omina lætiora & applausus: in funere lessi lugubres, similes illis cujusdam sic ordientis: Quod nobis lacrymarum fæcundior, quam verborum inspirat dolor, hoc inter Parentales lugubris Pompæ cerimonias eloquimur. Pauciores hic lineas quam lacrymas numeraveris, ubi non tam Eloquentiæ, quam doloris ductu, tota plorationi, quam orationi, similior in luctum desinit, cadit in lacrymas Oratio. Perorandum nempe lacrymis, ubi cor & linguam semel occupavit Orator Dolor.

Tractari potest. 7

TOta Oratio (quod potissimum convenit Epitaphio vel Concioni sacræ) per Prosopopæiam. Sic illud Elogium Jabel: Viator bene mihi precare si malus es, ego Lamechi primigenius, sed Patre pejor, de malis bene merui: nam cum Cælo teste viverent impii, ne ulla sceleribus daretur latebra; primus tentoria prætexui, quæ Cœli conspectum raperent. debet igitur impietas mihi, quod Cœli oculos fugit &c.

Tractari potest 8.

MAxime Oratio Paræenetica & Exhortatoria, Postulatoria, &c. per solas Eruditiones, ac Exempla concinnius conglobanda, gravesqve sententias. Sic vides Justum Lipsium in monitis Politicis agere; sic Tullium in Bruto.

De

De usu autem singulari Eruditionum & Sententiarum dictum supra cap. 2.

Tractari potest 9.

PEr Protasim & Apodosim, juxta doctrinam decimam Capitis 2. adducto ad propositum simili vel Exemplo, vel Symbolo, vel Hieroglyphico. Sic in illa Gratulatione Paschatis, ubi est hæc Protasis: Eo demum arrogans evasit ambitio veterum, ut cum aurea sibi arrogarit sæcula, gemmeos somniaret imbres, gemmeam utiqve sementem aurei non infæcundam seculi productures, nempe se veterum vota extenderant, eo usq; fabulis sunt progressi, ac evenisse crediderant, quod evenisse ambiebant.

Sequitur Apodosis: Eventus certe resq; ipsa Tibi ac Reipublicæ Christianæ servabatur, in quam hodie Cœlum auream pœne gaudiorum effudit procellam. Fluent Tibi meliora auro secula & beatiorem reddent, quam pretiosius ille in fabulis imber veteres effecisset.

Sic & ille Principis Clementiam laudaturus, trahit in Protasim Symbolum Medicæi sic Quisquis de Tua inaudiit lenitate (quis autem non inaudisset, cum tantæ virtutis canora ubique sint præconia?) is mentem & Heroicæ mentis tesseram in Magno Hetruriæ Duce Ferdinando Medicæo penitus approbavit. Lenitatis illi Symbolum Rex apum erat apum Satellitio cinctus, & illarum tantum armis non suis; nulla illi asperitas, nullus aculeus; Sola Majestate anteit,

qvod illi Dux idem Elogium inscripserat. Jam Apodosis: Tua hic adumbratur gloria, qvi non terrore solium, sed armis benevolentiæ firmare solitus, Majestate tantum subditos, Principes anteis lenitate.

Sed de Symbolorum usu lege Didacum Savedram.

Tractari potest 10.

PEr Oratorium Enthymema vel Syllogismum imminutum vel integrum, ita tamen ut Antecedens vel Major ac Minor tum rationibus ac Exemplis Sententiisqve illustretur. Porro syllogismus Oratorius potest esse rectus, dum primo exponitur Oratorie Major, deinde Minor, demum Conclusio: vel inversus, dum retro partes Syllogismi pertractantur: vel immutatus, dum qvocunqve alio ordine eadem efferuntur. Hæc omnia ut sint digna Oratore Admirabili, Stylum & modum tractandi tenere debent non vulgarem, & Sententiæ Antecedenti & Consequenti comprehensæ non sine circuitu & pulchro verborum ac grandiorum sensuum ambitu efferendæ.

Patet id in Enthymemate illo Præfationis Philosophicæ: Et tempus & Persona cui dedico Theses, nec non auctores meæ sententiæ faventes me ad disputandum excitant. Ergo disputabo. Qvod sic Oratorie expositum:

Provocor in arenam, in qva non steriliter Philosophicæ succrescunt laureæ. Post Solstitium hostem

hostem distuli & trophæa, ut brevior litem citius terminaret dies. Semper enim inter gloriam stetit decerpta momento breviq; assultu laurea. Qvanqvam à Solstitio Eruditæ longius incalescere possunt iræ, nisi eas vel ratio contrahat vel dies. At nec infausta alite certamen ineo, cui felix augurium præcinit Trzebiciorum olor candidus. Sic nec Aristotelici Organi sonos hæc ales horret aut abnuit, cui nec anser olim Capitolinus ingratum obstrepere inter plausus Theologicos Romæ videbatur. Nimirum hæc volucris amat flumina, tam sacris fontibus Aqvinatis, qvam Euripo Aristotelis peramica. Plus mihi proinde hoc agone conferet, qvam Valerio Corvino virium contulerit sacer Ales. Neqve præliaturo recentes Hispanorum desunt suppetiæ, qvorum sub armis ut ante imperia, sic adversa semper ingenia gemuere. Cadet qvisqvis Præcisiones Objectivas illis objecerit. Acutius qviddam eis indidit mens subtilior, qvam ut tam crasse audeant præscindere: adeoq; formosius trophæum sibi Mars Hispanus statuit, ubi solas, &c.

Tractari potest 11.

PEr Expolitionem Oratoriam, cujus sunt 5. partes: Propositio, Ratio Propositionis, Ratio Rationis, Confirmatio ejusdem ab exemplo vel simili, & Complexio seu Conclusio in qva repetitur Propositio. Exemplum habes supra.

Tractari potest 12.

PEr modum Chriæ dempta laude seu prima parte Chriæ; si nimirum exposita qvæcunqve Propositio, tum à Causa, tum à contrario & simili, tum ab Exemplis & Testimoniis robur desumat. Crescet in immensum Oratio vel restringetur, prout se in dictis partibus effuderit Eloqventia, liberaliter scilicet vel perparce. Patet id in illustrata per partes Chriæ illa Sarbievii Sententia: Is auro nempe bibat cui dulce ferrum est. Sic enim illustratur per partes dictas:

Propositio: Amas virtutem militum, ô Princeps! etiam hanc corona, & strenuum ferri usum auro etiam rependé. Causa: Sitit nempe sanguis effusus par præmium, & refundi auro postulat, securæ sua virtute Patriæ aureum parans seculum. Equidem nisi Ducum munificentia virtuti hoc aureum addat calcar, cursum gloriæ intercipit. Quis enim arma pro Patria capessat, imo quis citra probri ullius metum arma non deserat, si falcatis curribus nullam colligat messem? Hebescit Martia fortitudo, hebescit & ferri acies, si illud aurum non acuat: nec albo militum bene suum convenit nomen, nisi candorem duxerit ab argento in præliares animas effuso, quæ tanto segnius agunt in hostem ferreis, quanto parcius aureis domi munificentiæ telis oppugnantur. Quam felicius arma hæc aurea ignaviam militi, & ruituros in prærupta desi-

diæ

diæ animos expugnant! quam uberius argentea hæc sementis, dum spargitur in cruento illa Martis patrii gloriæque Campo, pulcherrimam gloriæ messem & frequentes laurearum manipulos producit! Itur nempe in hostem animosius redeunte virtutis præmio; & hostiles copiæ manum expavescunt, quam præmiorum urget Cornucopiæ. Languet agricola, ubi sterile solum experitur, pigetque illud excolere, in quo Solæ propemodum herbæ, ne dicam laborum curarumque spinæ succrescunt. Mæret ergo illusus agricola; & militum virtus suo destituta munere non concidat nec pariter elangvescat? glebam gratis vertere piget, & hostiles cuneos subvertere, venalemque animam gratis circumferre libeat? Neque Tuus, credo, tam alacer in hostem irruisset miles, Juli Cæsar, nisi ausis grandioribus non impar decerneres hostimentum. Tuus verò, Trajane, quam fortiter & inflixit hosti, & inflicta sibi vulnera excepit exercitus, dum concisam in lacinias Regalem Purpuram obligandis fovendisque militum vulneribus adhiberet. Altius fortasse progressa est Boleslai liberalitas, quamvis non ultra æquitatis terminos, cum victorem exercitum reducenti à Moravis Zelislao cum aurea manu occurreret, & novum plane in illo Duce Scævolam, in quovis tamen Porsena errare nescium, manu strenue amissa insignem, manu aurea illi oblata salutaret. Dulcius Zelislao posthac ferrum fuerat, dum novo melioris Midæ artificio in aurum

ex-

extra fabulam demigraret. Sapuit certe Roma vetus, qvæ honoratæ virtutis bellicæ delibarat ſvavitatem, in lacteo ſuo mari Livio identidem inſtillante, nihil non aggreſſuros milites, ſi magna conantibus magna præmia proponantur.

Tractari ſolet & per Partes ſex Orationis Rhetoricæ, puta Exordium, Propoſitionem, Narrationem, Confirmationem, Confutationem, Perorationem, de qvo mox fuſius agetur.

§. II.

Tertius & 4. Modus inſignior & facilior, Orationis ſcribendæ Admirabili Oratori uſitatior.

ADvertendo ſingulariter ad ſenſus congruos ac ingenioſos, qvos eruit è Circumſtantiis & Adjunctis Temporum Feſti, Menſium, Dierum, Locorum, Cauſarum, Modorum rei geſtæ, Perſonarum, Nominum, Titulorum, Inſignium, Stemmatum, Honorum, Natalium, Eventuum, Geſtorum, Dictorum, Prodigiorum, Caſuum, Virtutum, Rei bellicæ, Sapientiæ ac Artium, Fortunæ ac opum, Vitæ actæ, Mortis inſigniter obitæ, elogiorum & Plauſuum, trophæorum &c.

Nota non ſemper omnium horum fontes aperiendos, ſed ex uno ſubinde vel paulo pluribus delibare ſufficit.

Exempla ab his Circumſtantiis ductarum Orationum atq; acuminum ſupra dedi aliqva, & alibi ſeorſim dabo.

Porro qvam inſignes impetus ex dictis Circum-

cumstantiis deduci possint, obiter adductis aliqvot exemplis insinuo.

Qvam illud aptum ex nomine Michaelis in qvadam gratulatione Michaelis N.

Angelos etiam in terris commorari è Tuo didicimus nomine; nempe extra cœlum etiam, nec in Solo Gargani colle Michaelem intueri licet. Toties hic est Michaelis apparitio, qvoties Tuum admittimur in conspectum; nisi qvod Tu mitius comiusqve Te exhibeas, qvam Cœlestis Michael etiam in cœlis, ubi Pacis visio est solitus præliari &c.

Sic & ad Hospitem qvendam in Autumno venientem è Circumstantia Temporis apte luditur: Te in Urbem hanc avitum sidus inferente sua Autumni primordia, non tam lux decrescere cœpit hominibus qvam diebus, &c.

Et ad alium, infra Octavum Epiphaniæ Hospitem: Etiam nunc Stella cœlestis Regum anteambulo ductricem se exhibet. Fatum id hujus sideris est, alienis oriri commodis, & vel Magos deducere vel Magnos. Nondum ingenium exuit stella hæc, Reges antea deduxit, nunc rectores &c.

Qvartus Modus Orationis scribendæ modus est sententiosus & hypothesi crebram & longius ac venustius exaggeratam thesim permiscens per rotundiores sententias, idqve vel planas vel eruditas. Exemplum vide cap. 2. §. 2. notatione nona de usu sententiarum.

§. III.

§. III.

Ultimus Modus Orationis potissimum Panegyricæ non vulgariter pertractandæ.

UT alibi, ita & hic primus labor sit raram & singularem invenire Propositionem.

I. Modi Propositionis Panegyricæ variandæ.

PRimò potest esse Comparativa, vel sic v g. Lechicum in præsens affero Alexandrum quem Polonus olim adoravit orbis, barbarorum ferocia semper exhorruit A. A. Uladislaus is est, &c.

Vel sic Problematice: Nondum Orbis apud se conclusit, uter magis grande illud Magni cognomentum meruerit, Alexander, an Uladislaus Nec mihi minus laboris, dum id dubii dissolvo, quem tanta obruit magnitudo &c.

Vel sic: Unum hactenus Macedonia totaque retro suspexit antiquitas Alexandrum; alterum Orbi dedit Polonia, & ego in eruditissimo hoc consessu dare statui. Uladislaus is est, qui unus ita omnem Alexandri gloriam exhausit, ut meritò ætatis suæ Regniq; Alexander credi colique posset, &c.

Secundò, Propositio Panegyrica variabitur si per modum Problematis quæratur, quæ in re magis excelluerit is qui laudatur. v. g. de forti aliquo Heroe inquireres: Magisne eum hostes timuerint, an tantam illius virtutem amaverint?

Ter-

Tertiò, Propositio Panegyrica variabitur, si virtutes alicujus pro norma & Idea statuas virtutis vel Fortitudinis. v. g. si laudandus sit Judex æquissimus, illum statues ut Ideam judicis posteritati.

Qvartò, Propositio variabitur, si Panegyrim Allegoria exornes idonea. Ut in laudem Divi Francisci Xaverii: Novus Occidentis & Orientis Oriens.

Quintò, Si è triplicibus bonis Animi, Corporis, & Fortunæ potissimum animi bonum seligas aliquod laudandum, aliis obiter insinuatis: vel ætatibus aliis, puta pueritia, adolescentia &c. omissis, mortem potissimum gloriosam extollas; qui modus eo magis tenendus, quo certius est aliquem in ea tantum ætatis parte, vel virtute laudabiliorem esse.

Sextò, Per modum quæstionis seu interrogationis potest institui Propositio Panegyrica, inquirendo v. g. Quo honore affecisset ætas prior tantam virtutem?

Septimò, Propositio jucunde variabitur per Concordiam discordem seu quendam Oppositorum conflictum in Propositione. v. g. de S. Alexio sese Parentibus non prodente: Illustris umbra, seu quod magis eo inclaruit.

Octavò, Propositio Panegyrica gratiæ multũ accipiet, si varietur per dictum quoddam ab hominum opinione & rerum cursu ordinario alienum ac pœne incredibile: v. g. de abstinentia mirabili S. Andreæ Zoroardi dicturus, illud assumeres:

Fa-

Fames virtutis cibus. Vel illud de Annuntiatione B.V. MARIÆ servitute Regnatrix.

Nonò, Ad variationem Propositionis poterit assumi res difficilis effectu vel impossibilis. v. g. in laude Divi Xaverii Indiarum Apostoli Motus Perpetui Inventor. Et de Sancta, se per ignem, in qvem se ultro injecit, a libidine vindicante, esset Propositio: Prima hæc docuit extingvere ignibus ignes.

Decimò, Novum sidus vel cœlum in aliqvo viro condi aut oriri diceres. Vel ad Imaginem virtutum coloribus adumbrandam meliorem invitares vel conderes Apellem.

Undecimò, Artis vel scientiæ insignioris scientiæ nomen accommoda subinde illi qvem et laudaturus. v. g. Novus Geometra, Astrologus &c.

Duodecimò, Si res ferat, omen ex nomine laudandi Herois deduc? Item auguria sive præsagia ex aliqvo eventu. v. g. in Festo Immaculatæ Conceptionis: Ex ortu Auroræ illius qvalem orbis diem sperare possit. Vel in Annuntiatione: Ex illa legatione speret Orbis pacem.

Qvodsi laudandus sit de qvo nihil sciatur fere tantum qvod fuerit Vir probus & laudabilis poteris inqvirere causas cur lateant ejus acta. v. g. qvia non satis ea caperet orbis; vel: qvia illa studio demissionis scenam non ambiit ac theatrum, Cœlo & conscientia teste contentus. egregie facta terris occultavit. Vel certe poteris assumi qvid genericum, v. g. Qvanta viris, qvo-

ram etsi gesta tacentur, tamen optimi semper sunt habiti, veneratio debeatur? vel certe excurratur in laudem ejus Patriæ, Majorum, si qvid de illis scitur.

II. Idea concludendi Propositiones Panegyricas.

HOc qvidem non reqviritur in Oratione; si tamen id facere velis, sic præstabis. Primo potest sic concludi: Illud moneo ut non secus è tenui Oratione tanti Herois decora æstimetis, qvam ex umbra Sol deprehendi possit.

Secundò sic: Illud apprecor, ut digna hoc munere, qvod sustineo: digna Principe, qvem adoro pariter & adorno, digna eruditis auribus ad finem usq; contingat Oratio.

Tertiò sic: Et qvia non eum nactus es Oratorem Princeps Maxime, cui tuto laudationis Tuæ munus committas; illud maximis qvibus orbem illustras prodigiis non postremum adjicies, ut ipsa etiam loqvendi rudis, de Te loqvi aliqvid possit Eloqventia.

Qvartò sic: Atqve utinam palmare aliqvod ingenium id aggredi tentasset, jam Tu qvidem eo pulchriorem præcerpsisses lauream, qvo minus à jacente tenuiq; ingenio delibatam. Sed Tuæ id imputa amplitudini, qvod nostra illi succumbant ingenia, omnem eorum industriam rerum magnitudine superanti.

Qvinto sic: Tu qvidqvid de Tua humanam prætervecta sortem gloria minus dixero gloriose;

se, de fortuna meritis suppare minus fortunate; vel Tuæ succenseas Fortitudini, vel oratoriæ imputa tenuitati, nondum eam assecutæ gloriam, ut res ex earum merito pertractare possit.

Sexto sic: Quodsi eruditas audientium aures, grandius à me aliqvid præstolantes, spe excidere, votis elabi contigerit; non tam vitium Oratoris credite, imbecillitatem Eloqventiæ tantæ moli succumbere, qvam Principis facinoribus sua mole qvemvis Atlantem, in qvemcunq; Cœlum hoc inclinaverit, oppressuris.

III. Aliqvot modi exordiendi in genere Panegyrico.

UT alibi, sic in genere Demonstrativo Exordia nunc apud plerosqve ita fiunt, ut prima fere statim periodo sit Propositio, ut ex illa statim Orationis materia dignosci possit. Sic in Festo S. Stephani, Ferrariensis: Infantis DEI Regium Caput coronari decet. Qvæ possit autem Stephano corona aptior inqviri, cujus vel ipsum nomen corona est? si coronorariam ejus virtutem magis qvam nomen ostendero &c.

Alias Primo exordia Panegyrica duci possunt à modestia laudandi Herois, qvi agere laudanda magis qvam laudari malit. Tale illud exordium in funere Ducissæ Ostrogiensis in Panegyrico inscripto, Gratiæ Parentales.

Ergo vel hodiernam demum sustine laudationem, plurimas olim merita, nullas audire passa Panegyres, Heroinarum maxima. Hodie tan-

tandem illa mortuam Te assequatur Gloria, qvam, cum nihil non gloriosum faceres, unam in vita fugiebas. Discat ex Te orbis veræ laudis tramitem, qvæ rectissimis semper itineribus ad Immortalitatem contendisti. Pallet qvidem nunc etiam, credo ad ipsum gloriæ nomen erubescere olim assveta Tua Modestia; sed hic deniqve summa meretis Elogia, ubi pro universis meritis unicum exposcis silentium. Eorum duntaxat funeribus tacendi relinqve inferias, qvibus ad dicendi materiam satis est nomina reliqvisse. Nesciunt miseri ira demum se inglorios apparere, qvod hoc uno stylo laudari debeant, qvo cuncti possunt. At vero in dedicata Tibi Panegyri, nemo suas virtutes expectaverit: nam à solitis cæterorum præconiis, ipsa Te gloriose factorum longe discrevit insolentia.

Aliter laudem à Modestia laudandi incipit Juglaris, dum Albricium (ut habes supra) laudes aspernantem Encomiastice sic reprehendit: Si Tua laudes Modestia respuit, tolerantia qverimonias admittat. Qvod in nullo accusari valeas, reus es &c.

Secundò: Exordium duci potest à Modestia Oratoris, ingenii sui viribus diffidentis. Vel à rei magnitudine ac timore Oratoris. Sic Theodosii Orator incipit: Si qvis unqvam fuit, Imperator Auguste, qvi initio dicendi trepidaverit, eum profecto & me ipse sentio, & qvi circumstant, videre possunt. Nam cum Te semper ultra omnes retro principes laudari oportuerit

rit in ea urbe, cujus Libertatem asseruisti armatus, & auxisti dignitatem togatus, qvo tandem modo &c.

E contra alius absqve metu Oratoribus solenni orditur: Primum id Tuis in laudibus beneficii genus, velut præsens certumqve prosperitatis omen capimus, qvod solenni illa Oratoribus trepidatione Tua nos absolvat celsitudo. Neqve enim veremur, ne aut styli difficultate officiamus virtutibus Tuis humanum semel prætervectis fastigium, aut non ex merito dignitatis Tuæ videamur loqvi; non ignari, Illustrium virorum acta neqve à scriptoris magnitudine grandiora fieri, neqve à tenuitate laudatoris capere detrimentum. In hoc potius elaborandum nobis, ne ita de Te scribamus, ut idem de alio scribi possit.

Tertio: Exordium bene ducitur ab Allusione ad Allegoriam in Oratione tenendam.

Item Exordium pulchrum est, si qvid afferat, qvod insperato percellat Auditorem. Ut in die Pentecostes: Adsum incendii nuntius, qvo Hierosolyma & orbis conflagravit. comes enim flammæ, validior ventus longe lateqve spargit incendium. nec tamen opem imploro, sed ardorem gratulor: non enim Nero trabeatus ustor feralem subdidit facem; at ipse ignem injecit Amor hominum DEUS: DEO autem ardere beatum est.

Qvartò, Exordium à temporis & festi Circumstantia in Pentecoste Ferrariensis. Dictorum

rum apud Te, verecunda veneratio elingvem me faceret, nisi Divinus è Cælo Ignis, efficaces in lingvas liberaliter pluvius inflammaret ad loqvendum. nec enim inerudito cuiqvam deesse patitur Orationem eruditam, Cœlestium affluentia lingvarum. Equidem ex eo lingvarum numero, non centum mihi [qvod canorum Poetarum votum est] sed &c.

5. Ab affectu congruente tempori, bene inchoabitur Exordium. Sic idem Ferrarius orditur in die Parasceves: Erumpe tandem, erumpe, qva licet, ex ore, ex oculis, sine Rhetorum fuco incomptus, sine partitionis ordine incompositus, Deo moriente Parentalis Dolor. Leviter enim dolet, dolorem qvicunq; suum potest ordinare. Hæc una tristissimam decet orbitatem Eloqventia, confusa cum rerum universitate flebiliter tumultuari &c.

6. Exordium potest desumi à Circumstantia Loci vel Personæ. Non inscite qvispiam apud Cæsarem orsus: Qvi apud Te audent, Cæsar, dicere, magnitudinem Tuam videntur ignorare; qvi non audent, bonitatem, &c.

7. Si propositio est incredibilis, augeri potest in Exordio rei incredibilitas.

IV. Aliqva ad Confirmationem Panegyricam.

DUplex est Confirmatio Panegyrica, alia in qva virtutes & facta alicujus Oratoris recensentur, & hæc Confirmatio est continua Nar-

ratio Oratoria; alia in qva Propositionis probandæ argumenta aliunde sumuntur.

Ad secundum modum juvabunt dicta de Combinatione argumentorum.

Ad Primum juvabit 1. virtutis cujusq; pulchritudinem in genere tractare, anteqvam eandem in Mecœnate Tuo vel Principe d. laudes.

Juvabit 2. Eundem Principem conferre aut præferre aliis, qvi in hac virtute excellunt: ut ille: Habet suæ laudis æmulum Cæsar, habet & Pompejus, qvi re non stylo testati plurimum in celeritate esse momenti, &c.

Et ille: Mundo Pacem restituere, nescio an duobus contigerit, nisi Tu alter sis, Imperatoribus: diu vel in Augusto Sangvine reqvisimus Augustum.

Juvabit 3. Digressionem instituere in laudem Majorum vel affinium Principis laudandi; vel Aulæ ac Comitum.

Juvabit 4. Omnes singularius ad ejus laudem spectantes accuratius & argutius decurrere Circumstantias.

Juvabunt & illæ Panegyritæ Transitiones in Confirmatione usurpandæ.

1. *Staret hic admirabunda Oratio, si & Tua stetissent trophæa, verum hæc expungis animo, qvi prodigiose facta majoribus continuo factis debes &c.*

2. *Non intra hos fines stetit Tua gloriæ amplitudo: nisi enim in plura se ornamenta diffunderet, à Te angusta judicaretur &c.*

3. A Ci-

3. A Civibus qvidem Tuis humana æstimantibus deesse videbatur; qvo Tua virtus ascenderet, nisi Tu re & factis ultra cogitationes mortalium progressus: jucundum, ævo nostro ignorantiam objecisses &c.

4. Plura ejusmodi memorarem, sed Orationem admirationemq; absorbet Tuorum facinorum immensitas &c. Vel: Prodigium foret si omnia pæne referrem &c.

5 Verum hoc Tuis in factis admirationem habet præcipuam qvod &c.

6 Atq; utinam Tibi gemino hujus ævi Trajano parem dicaremus Oratorem &c.

7. Credentne posteri te nihil ut impetres agitasse; nisi qvod meruerit & parueris?

8. Aliud ex alio mihi occurrit, qvam enim speciosum est &c.

9 Est egregium, Imperator, ac Tuum, collapsam exercitus disciplinam reducere &c.

V. Aliqva ad Peroratione Paneg. &c.

HÆc aliqvando definit in apprecationem & votum ut illa: Illud ad extremum apprecari libet, ut nobis tales sæpius oriantur soles, ne tales semper occidant &c.

Aliqvando constat Gratulatione tot decorum, qvæ in confirmatione memorasti, vel laudato Principi, vel patriæ aut Familiæ. Ut Tullius: Gaude Tuo tam excellenti bono, fruere his gloriæ insignibus &c.

Aliqvando continet Adhortationem ad simi-

lia facinora. Ut: Habetis domesticum ad exemplar, illustre ad æmulationem exemplar; discite rectissimum ad immortalitatem nominis iter, & cum tantæ gloriæ vos amor ceperit, parium facinorum studium una pectus animumq; incendant: &c.

Aliqvando excusationem Oratoris continet, quod rem non ex merito tractaverit.

Aliquando laudatis virtutibus Principis, potest trophæum erigi vel colossus, vel cedro inscribi possunt nunquam obliterandæ.

Aliqvando ex opportune oblata Circumstantia ad conticendum concluditur Panegyris, ut in Annunciatione: Sed qvia Orator Angelus felicius usus peroratione, terris excessit, loqvi desiit; mea qvoqve Oratio tacente in utero Virginis Verbo conticescit.

Et alibi in eodem festo: Plura in præsens dissererem, nisi cum Verbum utero includitur, mihi pariter esset concludendum.

Et de Passione Domini, ubi materia est: Pro sanguine lacrymæ Peroratio: sed finis sit; nil enim lacryma citius arescit. vos tamen sic arescite doloris lacrymæ, ut in Amoris flammas transeatis.

§. IV.

Modus rarior Orationis eruditæ.

QVi in eo consistit, ut id qvod mente concipis Oratorie efferendum, tuo quidem sensu ac re-

ac rerum nexu à te præconcepto, sed aliena phrasi totum efferas, & variis auctorum sententiis ad tuum sensum exprimendum accommodatis, & per singula pœne commata mire concatenatis. qvem modum tenuit Lipsius in Politicis. Modus hic rarior, qvia multæ lectionis, comprehensionis & memoriæ scriptorem reqvirit Exemplo hunc modum illustro. Sit illa sententia vel potius Oraculum Apollinis datum Philippo Macedoni dilatandum: Hastis pugna argenteis, & vicisti. Sic illud dilatares ut appono; ubi primo ponitur auctor Oraculi, deinde expositio, tum Causa oraculi & Exemplum; demum Peroratio.

Hastis pugna argenteis, & vinces,
Oraculum Apollinis.

ITerum Apollo *tripodem movet*, funditq; oracula. Insanam auri orexim & *Demosthenis argentanginam* redarguit, dum Philippo nova contra Græciam tela ingerit, de qvibus

- - *secreta ausus Cirrhæa moventem*
Sollicitare Deum.

Qvodsi ejus *Oraculis Chrysippus totum implevit volumen tum obscuris, tum falsis*: tamen haud Macedonem - - *Phœbi cortina fefellit*, dum illi daret *non in arena consilium*, sed extra arenæ aleam, novam Marti adderet solertiam. Jam non uno fuit Græcia, &

- - - *lento collisa duello;*

Sed adhuc *movebat lacertos, ne deesset, qvod* Philippus & aurum *vinceret*. Delphos navigat hic

bellator, & exqvirit, qvid -- *Delphicæ laurus moneant;* cum è tripode *Emicat vasto fragore major humano sonus, nec mortale sonans:*

Argenteis, inquit, pugna telis, atq; omnia vinces.

Ad arma, Philippe, nec semper ferrea, sed aurea qvandoqve. *Vincat auro, qvi neqvit ferro.* Non semper catapultis aut ariete bellico pulsanda mœnia, melius illa *subruit onustus auro asellus.* Canat palinodiam, qvisqvis cecinit:

Non auro, neqve tinnulis Pugnandum Phaleris.

vel qvod *Formosa fortes arma timeant viros, Frangiq; nolent.*

nam hic Vates Phœbo & Oraculis se opponit. *Amentatæ hastæ* sunt, qvæ argenteæ; ac *Baleares funda* acies fundunt felicius, si *Midæ contactus aureas effecit.* Sit *nocens ferrum*, sed opus &c. -- *ferroq; nocentius aurum* bellumqve vincit, *qvod pugnat utroq;.* Imo --- *Solo melius omen in auro.* -- *per medios ire satellites*

Et perrumpere amat saxa, potentius Ictu fulmineo.

Etiam *cum spei nihil est, sumit arma formido.* Si formidinem animet aurum, qvod hostem exanimat oblatum *eidem ceu aurum Tolossanum.* Nempe si Solo *fulgore armorum hostes sæpius terrentur*, id qvod docuit Cimbricus ille domitor & Jugurthæ, *dum acie conversa in Orientem, ex splendore galearum ac repercussa qvasi ar-*

ardere cælum videretur; qvid non arma præstabunt aurea cominus illata & oblata, si tantum feriunt eminus intentata? Vincit profecto hodieqve, ac in deditionem -- *mortalia pectora cogit Auri sacra fames,* nihilqve *tam Sanctum qvod non violari, nil tam munitum qvod non expugnari, nil tam firmum, qvod non frangi ac debilitari pecunia possit.* Pleriqve *si bene olet occasus hostis,* non minus *bonus odor lucri* nummiq; qvi vultures istos ceu putris cadaveris odor trahat, cujus gratia -- *Impiger extremos currit mercator ad Indos.*

Nimirum late imperat avaritia & Causa
-- *suavior ignibus Æ hna fervens amor ardet habendi*, qvi omnia *post nummos* habere persvadet, modo inexplebilis avaritiæ sitis expleatur, qvam tamen difficilius impleat *qvam dolium Danaidum.* Exempla: Et audiit Philippus Apollinem, profecitqve plus *dando postea qvam bellando*, in qvem etiam vulgo jactatum *illud, Non Philippum, sed Philippi aurum Græciam subegisse.* sane hic -- *callidus emptor Olynthi* in eam urbem situ & arte inexpugnabilem *aureo asello* invectus, apprime gnarus ut *Articus vel moriens manum porrigeret*, qvæ lucris insvevit undiq; captandis, atqve adeo apud Atticos etiam

Auro pulsa fides, auro venalia jura.

Fidem postea fecit Oraculo Roma vetus, in qva non vano illius Numidæ convitio *fere omnia venalia, & Urbs ipsa venalis, si emptorem haberet.*

ret. Peroratio. Ergo qvantumvis *virtuti confidas, tamen dolum hunc* Apollinis & Philippi *virtuti misceas.* Nec audi, si qvis svadeat *non fraude, occultis, sed palam & armatum hostes ulcisci;* non inqvam audi; nam *belli furta* dolusqve militaris *pulcherrimam laudem habet.* hinc *Sparta Duces si rem dolo confecissent, bovem immolabant; gallum, si* prælio; Majorem victimam pro victoria qvæ sine sangvine, *cujus* etiam *vilissimi parsimonia dedecet* Principem. *Sic etsi pugnacissima digniorem magisq; homini congruam* vincendi rationem *censebat Achæa* natio *ratione ac mente institutam, qvam illam per vim ac robur.*

Ergo licet in argento dolus sit, tamen hunc adhibe saltem cum hostem ægre frangere potest ferrum.

Caput X.

Ultima laudatioris Eloqventiæ Fundamenta, Numerus Oratorius, & excellens Decorum.

DUo hæc Fundamenta Mirabilis Eloqventiæ. ultimo qvidem loco posui, sed Principem locum apud Oratorem obtinent. In oratore Cicero nil magis exigit & commendat, qvam geminum hoc Orationis sidus. Multi hac laude, ideo & Eloqventiæ laude caruere. De illis nos hic aliqva.

§. I.

§. I.

Numerus Oratorius.

EST apta, concinna & in pronuntiando qvibusdam temporum spatiis dimensa verborum collocatio, ac Sententiæ qvodam auribus non in svavi circuitu comprehensio. At hic aurium judicium time, si hoc eas lenocinio non delinis. Qvod ne incurras.

Observa Imò Numerosam Orationem ex Natura sua facere qvasdam Figuras; ut sunt Antithera, Comparia similiter cadentibus permista. Patet id in illo Plinii: Tantumqve in ore sangvinis, qvantum in animo pudoris.

Et in illo de Galba: Durus aliis, sibi mollis; metum exegit, odium extorsit, tam omnium timore dignus qvam odio: sed dum fictis armis mortem provocat, veris mercatur. Disce lector: Mortem non spernant, qvi mori timent.

Et illud numerosum: Arbor Indica innumeris apta usibus, dat truncum in latera, ramos commodat in remos, comam in vela, in rudentes assamenta, clavos præbet, fundit oleum, funditur in succos, liqvescit in remedia, flectitur in umbracula, excrescit in trophæa, assurgit in colossos. Item illud hinc numerosum est: Cœlo è virtutibus, Patriæ de trophæis, hosti è suorum strage sæpius, è pugnandi Solertia semper notissimus.

Observa secundo: Ad numerosam Orationem plurimum conducere, non continuo brevibus

multis aut tardioribus plurimis dictionibus cola & incisa instruere, sed si permisceantur pedes longioribus breviores, & è contra alternis sæpe spatiis.

Patet id in illo Ducis Encomio: Orbem non pedibus magis, qvam victoriis peragrasti, ita ut cum tribunum ageres, esse interim Dux posses, nihilq; dicendum amplius haberes tempore docendi. Qvanto magis prædicanda moderatio Tua, qvod innutritus bellicis cladibus pacem ames; victoriam putes nisi [qvod pulchrius est triumphis omnibus] vincendus nemo super fuerit.

Observa tertiò: Clauditur periodus numerose & suavissime Cretico Dichoreo. v.g. Bellum Paci turbidæ præferendum; vel Cretico Dijambo. v.g. Aut esse immortalem, aut gloriose Principem decet mori.

Vel Cretico Dispondeo aut Epitrito 4to, vel Imo, 2do. v.g. Læta tristibus permiscentur.

Vel Cretico & Dissyllabis binis qvibusvis dictionibus. v.g. Nero injustus aliis carnifex, justus sibi.

Vel Dactylo & Ionico minore. v.g. minima non aspernabere qvi maxima meruisti.

Vel Spondeo cum Dactylo. v.g. Prævisa mors malos terret, non corrigit.

Vel Dictione Dissyllaba cum Ionico majore. v.g. Lucus & sylva non lucet nisi flagraverit.

Vel Anapæsto cum trisyllaba dictione media longa. v.g. Ebur Elephas ministrat, &c.

Ob-

Obſerva 4to: Ad numeroſam Orationem facere, ſi Sententiæ ſuccincte, rotunde cum paulo ante dictis obſervationibus fiant, ut ſunt prædictæ, & hæ: Bonis nocet, qvi parcit malis. *Et:* Prodigæ largitionis comes eſt pœnitentia. *Et:* Bona primordia raro ſimili exitu coronantur.

Obſerva 5. Ingratam terſis auribus eſſe colliſionem & concurſum freqventer ſibilantis, aut caninæ literæ; nec non freqventem vocalium concurſum, qvo hiulca redditur Oratio, & os hians perpetuo. Deniq; videndum hic, ne mancum qvid ſit in periodo, ne qvid ſuperfluum.

§. II.

Admirabile Decorum.

DEcorum Græce πρέπον ſi obſervetur, admirationem parit; ſi non, judicii defectum arguit, deſtituit omni laude.

Ad qvod videndum ſedulo, qvid loco, qvid tempori, qvid Perſonis conveniat. Alia Duci Oratio, alia Togato Principi accommodanda. Alia furenti, alia pacato: alia poſtulat tempus lætum & proſperum, alia res afflictæ.

Iræ ſtylus brevis eſt & conciſus, & ipſe cum furente furit: Item ad Decorum ſpectat maxime non congruam tantum Orationem & ſententias, de qvo prior præceptio: ſed etiam congruos accommodare affectus perſonis & rebus.

Item Decorum ſervabis facilius, ſi ad omnes Circumſtantias te accurate reflexeris, ne contra aliqvam exorbites.

Hactenus Admirabilis Eloqventiæ Funda-

menta, qvibus primo positis facile tota Mirabilis Eloqventiæ moles assurget.

Pars Altera.

De Speciebus cultioris Eloqventiæ.

UT non unum in Orbe prodigium post Septem orbis miracula; ita & multiplex Eloqventiæ Species, qvas propono.

CAPUT I.

Prima Species cultioris Eloqventiæ.

ELOQVENTIA.

Extemporanea seu Subitaria.

§. I.

Laus Extemporalis facundiæ.

SUbita & extemporalis Eloqventia per se admirabilis est, estq; indicium animi celeres à natura ingenii motus consecuti.

Scio qvidem Fabium hoc Eloqventiæ genus, extemporalem garrulitatem & circulatoriam jactationem vocitasse: Scio Plutarchum Orationes ex tempore prolatas initio & fine destitutas censuisse: Scio qvantum Sapiens Epictetus à subito fundenda Oratione abhorruerit: Magnum enim (inqviebat ille) periculum est, ne, qvæ non concoxeris, evomas. id qvod etiam Aristides ab Imperatore ad subitarium hoc dicendi genus invitatus, responderat: Hodie, inqviens, propone, cras audies: neq; enim ex iis sum,

qvi

qvi vomunt, ſed qvi accurate faciunt: Scio qvidem hæc, ſed tamen his extemporalis facundiæ cenſoribus, alteram oppono aciem. Eqvidem Atticus Herodes ſubitam Orationem potiorem Conſulatu dixit, aut à Conſulibus ducta origine. Extat invidendum Vinicii Elogium, qvod illi Auguſtus dederat: Unus (inqviebat is) Vinicius ingenium in numerato habet. Is ille eſt Vinicius, qvo (teſte Seneca) nemo in agendis cauſis ingenium habuit præſentius, & qvicqvid ei longa cogitatio præſtitura erat, prima intentio dabat; ex tempore cauſas agebat.

Nec origo ſubitæ ac fortuitæ hujus dictionis eſt ignobilis. Eam aliqvi ad Anaximenem referunt Alexandri in Eloqventia Magiſtrum, & hoc huic Eloqventiæ ſufficeret ad gloriam. Alii Æſchinem Demoſthenis æmulum, Periclem alii Athenarum Ducem malunt, à qvo promptæ Orationis fontes promanarint. Sed verius eſt, ut Princeps in ea reputetur Georgias, cujus rei ingens id argumentum, qvod ille primus Athenis in communi theatro dicere ſit auſus ſolenne illud, Proponite; teſtatus hoc unico verbo, ſe paratum de re qvacunqve cui ſuis libuiſſet, dicere ex tempore Crevit poſtea immenſus ardor, & hujusmodi laudis cupiditas; hinc in hoc genere excelluit apud græcos Polæmon, Scopelianus, Favorinus, apud Latinos Iſæus declamator, qvi ſemper dixit ex tempore, ſed qvaſi diu præmeditatus.

Laudat cujusdam volucre & Extemporale in-

genium Strada, qvi Cardinalis Medicæi jussu de Mole Horarum per sonum indice seu Horologio pegmati imposito subitarium carmen dixit magno exceptum plausu & aurea torqve honoratum. Est autem hoc:

Hac qvæ metitur vocalis tempora moles
Cum Cælo tacitum, credite fœdus habet.
Nam, Cælo Sol qvidqvid agit nocteve diuve,
Inscriptum tereti machina fronte refert.
Artis opus mira: ad terram revolubile plumbum
Nititur, & spiris trochlea versat onus,
Tempore ad hoc motus: nam dum vi vertitur axis,
Dentatas cogit mordicus ire rotas.
Morsu illo implicitos obversosq; orbibus orbes
Pendula suspenso examine libra movet.
Æneo hinc monitor turri sonat, & simul horas
Mobilis inscripto lingula in orbe notat.
Dividit hic index vitam, totamq; minutim
Concidit, solidum dilaceratq; diem.

§. II.

Specialia Extemporalis Eloqventiæ comparandæ subsidia & Præcepiones.

EXimium ex tempore Oratorem ne qvis impossibilem putet, hic illum idoneis ad subitum facundiæ genus instruam subsidiis, modisq; illius comparandæ.

I. Ex-

Primum.

Extemporaneæ facundiæ subsidium.

EST exercitatio, tum privata domi, tum in umbratili utcunqve peritorum confessu, ubi & excitet Auditor studium, & pudor ipse verba ministret. Privatim ergo præmittes publicæ exercitationi Demosthenis ad instar, qvi anteqvam Athenis causas ageret, delituit in spelunca, ibi & vitia naturæ corrigens & actionem exercens. Et tu assume privatim Propositionem vel materiam qvamcunqve, & de illa solus Orator & simul Auditor, declamator & arbiter ex tempore age, ea tunc proloqvens, qvæ in rem propositam non præmeditate occurrent, idqve sæpius. Juvant ad hanc extraordinariam exercitationem aliæ qvas sumpto ad dicendum spatio instituimus. Facilius enim gladium vibrat qvi assvevit.

Secundum.

Extemporaneæ facundiæ subsidium.

CONqvirenda hujusmodi Oratori subitario antea per multam lectionem sylva rerum & verborum ac multæ eruditionis; qvo collimat longus studiorum labor & evoluti tot auctores, & excerpta ex illis seu adversaria sæpius lecta & memoriæ impressa, ex qva velut ex cella penuaria depromas opportuno tempore qvæ congesseris. Instruenda ergo est lectione memoria, multis Historiis, Exemplis, sententiis & omnis generis Eruditionibus. Talem fuisse & Gorgian indicat

dicat ejus ſolenne, Proponite, id eſt de qvocunqve.

Tertium.

COmmunes dicendi locos qvam exploratiſſime habere par eſt. qvo refero non tantum locos Oratorios intrinſecos & extrinſecos; item locos ſvaſionis & Diſſvaſionis, nempe Honeſtum & Inhoneſtum, poſſibile & impoſſibile, facile & difficile, delectabile & jucundum, utile & incommodum; ſed etiam notitiam eorum qvæ ad generalia nomina virtutum & vitiorum, affectuum & eventuum, belli & pacis, vitæ & mortis, artium & habituum pertinent; ita ut horum naturam & proprietates, & de illis pleras(q; ſententias ac Eruditiones in promptu habeas & memoria retineas, qvibus uberrime colligendis non defuere decora, ſedulaqve ingenia. Qvæ qvidem notitia facilem tractandæ materiæ rationem amplamqve ſuppeditat: facilem, qvia nil facilius qvam proferre, qvæ in radice prænoveris; amplam, qvia qvæ communia ſunt, facile tum rationibus, tum Sententiis, ac eruditione varia dilatari poſſunt.

Qvartum.

EST, ſi locus extrinſecus Exemplorum & Teſtimonii, Symbolorum, Sententiarum; & locus ſimilium ſeu ſimilitudinis ad rem accommodatæ freqventi exercitio reddatur facilis & expeditus juxta dicta ſuperius de uſu horum Si enim ſumpta ad rem ex tempore declarandam

Ora-

Oratorie Sententia, vel instar Chriæ progrediare, exponendo illam Sententiam, eandem à Causa tunc occurrente roborando, à Contrario, Simili, Exemplo &c. & ample & non sine admiratione ingenii, facileqve intentum perficies. Vel si Sententiam assumptam aliqvibus inductionibus in particulari illustres; item exemplo, Historia, Symbolo, Hieroglyphico Apodosim accommodes, non sine aliqvo Apodosim fulciente, qvod tunc occurrit, argumento; nil facilius nil laudabilius præstiteris.

Sic nonnemo è Proceribus Polonis novi Regis Electionem Rege adhuc superstite omittendam svasit, discursu & impetu sumpto ab illa Sententia: Res est solliciti plena timoris Amor; unde intulit: Ab electione novi Principis supersedere, svadet nostra in superstitem Principem amor. Amamus qvem semel elegimus, & diu incolumem, diu felicem nobis imperare volumus, qvod meruit ejus in Patriam Amor, meruere vigiliæ & trophæa, &c.

Qvintum.

OPportune occurrens & adhibita ad propositum Allegoria deducta à re, cujus proprietates & multæ sint non ignotæ, & proposito servientes: item Allegoria erudita per Comparationem cum Camillo, Cæsare &c. Qvo spectant ea qvæ supra cap. 4. de Allegoriæ usu tradita. Certe hoc subsidium insigni & volueri ingenio est insigne, & qvod extemporale Elocutionis genus exornare possit.

Sex-

Sextum.

Subitariæ Eloqventiæ subsidium.

SUnt qvidam peculiares loci oratorii intrinseci, nempe, Partium enumeratio, Effectuum & Conseqventium congeries, similitudines, Comparata, & Contraria. Nemo diffitebitur, hæc per se amplam & ingenio etiam mediocri facilem primo etiam intuitu & brevissima reflexione mentis ad hæc adhibita offerre dicendi materiam.

Sic ingressus Hortum floridum nonnemo, extempore in ejus laudes a partium enumeratione excurrit.

Hodie tandem mihi Hortensius videor, dum hortense mihi proponitur argumentum. imo cum theatrum & scenam flores instruant, videor mihi Roscius inter rosas. Age si qvid Eorum, si qvid Attici coloris & gratiæ reconditum geris Eloqventia, totum in hujus Flore sinum & encomia effunde. Qvid hic non aspectabile? areolas vide: in illis herbescens viriditas intermicantium florum varietate velut artifici naturæ penicillo depingitur. Qvæ illa rosarum purpura? qvæ in areolis descripta candentium florum serie via lactea? qvantus liliorum fulgor? qvam excelsa species? ut majestate cinctum caput! ut argenteorum foliorum striati ordines! ut paulatim in amplitudinem se explicant angustiæ, ut resupina per ambitum labella, ut delicatissima

qvæ

qvæ interius emicant fila! ut filorum ſtantia aureolis crocis capita! ut odor, ut candor eximius etiam me tacente florem hunc prædicant! Qvid arborum minantia Cælo capita! qvid pulchra in iis foliorum luxuriem, fructuum abundantiam eloqvar? Hic malus Perſica &c. hic platanus diffuſis late ramis ſolis aſtum defendit, hic vites diffuſa corymborum luxurie molliter inſerpunt collibus; hic melliti avicularum cantus, & grata rivi decurrentis murmura &c.

Sic etiam à ſimili Gratiarum actoriam Orationem extempore duceres, Mecœnatis beneficia tum radiis à ſole præmicantibus conferens; vel certe manum illius novum in terris Cornucopiæ, aut Nilum non uni Ægypto ſalutarem aſſerens.

Sic item Svaſurus aut Diſſvaſurus aliqvid Rhetor ſubitarius, primo mentis conjectu commoda & incommoda rei ſvadendæ vel diſſvadendæ occurrentia adduceret; ſicq; ſubito à conſeqventium & affectuum congerie peroraret.

§. III.

Specialiſſima ſubſidia Extemporalis Eloquentiæ.

PRimum eſt, ſi data qvavis aut inventa ſupra dictis modis Propoſitione ſubito occurrentem tibi tunc rationem ad Propoſitionem ſeu Sententiam univerſalem reducas, vel ipſa ratio ſit Sententia Univerſalis, eamqve primo extemporanee proferas, ac Synonymis ſenſibus &

Com-

Comparatione aut Eruditione occurrente illustres, vel etiam, si opus sit, descriptione rei, de qva sermo, ut est in Idea tertia; dein ad rem in particulari descendas. Qvi modus eo ampliorem reddet Orationem extemporaneam, qvo plures occurrerint propositionis probandæ rationes; qvarum aliqvas prædicto modo tractes, alias brevibus exponas. Exemplis id illustro.

Oratio Extemporanea.

QVa ex tempore qvidam svasit aut svadere potuit Dissolutionem vinculi seu Conspirationis Militaris Regno perniciosæ, Occurrit ei primo mentis conjectu hæc ratio ad svadendum id idonea: Qvia nunc afflicta & exhausta Patria; qvid ergo amplius affligatur & exhauriatur per Cives Patriæ? Occurrit & alia: qvia id labem eorum nomini inspergit, eo qvod Ducum excusserint jugum &c. Has rationes subito occurrentes ad universalem Sententiam mox perduxit. Primam ad hanc: si Patriæ Civi incumbit à Patria propulsare incommoda, certe in discrimen eandem inducere nefas, sed sui potius commodi qvam boni publici pati dispendium. Item non inhiandum Impendiis, ut Patria pessum eat. Ad qvod confirmandum facile occurrit paritas desumpta à filiis & eorum pietate in Parentes; tum Sententiæ, qvalis illa: Publica privatis anteferenda bonis. Secundam similiter rationem momento temporis reduxit ad hanc universalem Propositionem: Stipendium Famæ pulchrius

chrius est quam pecuniæ; & si ingrata est egestas militi, ingratior esse debet inspersa nomini labes.

Tum deinde ad rem propositam ab Universalibus his Sententiis illustratis descendit, sicq; pæne ex tempore dixit:

Arma tandem ponite, aut si ponere non libet, in hostile jugulum illa convertite. Redeat ad obsequium nec ultra Principi Ducibusq; datam fidem exuat toties victor hostium, sui nunc etiam victor exercitus. Exhaustum ærarium, afflicta communis nostrum omnium Parens Patria; qvis illi novam luctus materiam offerat? Ergo hostis deest, qvi Patriam extingvat, nisi Cives id faciant? Non illum Patriæ Civem tantum dixero, qvi se natum in ea gloriatur, nisi ejus utamet commoda, sic incommoda propulset; quid si eadem augeat etiam, & Parentis hujus filius ferro rimetur viscera? Equidem nec filium se hic probat, nec Civem. Æneas non est, qui Anchisen tantum abest ut è Trojano efferat incendio, qvin etiam in gravius conjiciat &c.

Oratio Extemporanea contra Judicis avaritiam.

VElles Judicem muneribus inhiantem taxare ex tempore, & dissvadere inolitum illi vitium, occurreret tibi ratio: Quia hoc vitium non sine judicis hujus dedecore ubiqve circumfertur. hinc rationem reduceres ad Universalem Propositionem illam: Oportet bonum virum

rum à magistratu gesto evadere clariorem, non ditiorem. Qvam Sententiam mox sensibus Synonymis exornares sic: Seu Fortunæ seu meritorum calculo ad honorarios fasces evasisti, qvisqvis es, vide ut tuo nomini lucem non ab auro cui perdite inhias, sed à factis, qvibus inclarescas efflictim mutues. brevis ac evanida lux ab auro, perennis à virtute. Si affluant sponte munera, sis inter hæc velut inter aqvas Tantalus; ex illis nil præter Tui victoriam delibes. Si juri dicendo præes, Thebanum in Te judicem effinge, nec ad Spongiam Vespasiani aspira. Cito effluunt divitiæ, qvæ iniqvius affluxere; & in aureos hos torrentes sæpius egestatis ferreæ tempestatem inducit avaritia &c.

Idea 3.

VElles ex tempore à studio militari aliqvem retrahere, occurreret Tibi illud loco rationis: Dulce bellum inexpertis; qvod varie confirmari potest à simili de navigaturo in mari tempestatum ignaro: de peregrinaturis, insciis viæ difficultatum &c. diceresqve orsus à belli descriptione sic:

Nunqvam ille mihi cominus hostem, nunqvam eminus prospectasse, nunqvam belli adiisse discrimina videtur, cui dulce ferrum est: Vidisset ille confertas hostium legiones, commissos utrinqve exercitus, confertas utrinq; acriter manus, & clypeos clypeis

-- & pila minantia pilis.

Vi-

Vidisset circumvolitare tela, militares machinas fulminare, micare acinaces, umbones & arma obstrepere, fundi acies, certe poneret armorum studium. Sic nempe & flumini se committunt, qvi nullis jactati procellis, nullis unquam vexati tempestatibus, vix earum nomina audivere; sed sero tandem ad littus aspirant, & navigandi studium ac temeraria vota damnant. At nec aliqvi natalis auræ pertæsi Ulyssis instar orbem peragrare contenderent, si viarum difficultatem, asperitatem locorum, & immitem alibi cœli inclementiam in consilium adhiberent. Adeo pleraqve in votis, pleraqve sunt dulcia inexpertis. Hinc neqve te miror tantopere ad Martem Lechicum aspirare: nondum tibi experiri contigit, qvod hic fugeres: Experiere, ac sero tandem Tullianum illud occines: Cedant arma togæ.

Idea 4.

DIuturnam cœli & aëris inclementiam, qvidam in malum Patriæ nostræ omen trahens ex tempore à sensibus Synonymis id ipsum inculcans, ad illam mortalem Sententiam deflexit: Cœli & aëris portenta sunt cœlestes minæ, & Divinæ vindictæ jam jam terræ imminentis indicia. Dixit ergo:

Timeat sibi orbis, cœlum illi minatur: timeat sponte in præceps ruens Patria, iratus hic cœli vultus [falsus utinam sim augur] secuturæ mox ruinæ index est? Odi qvidem Astrologos, nec ipse

ipse Judiciariam profiteor; sed tam minax Cœli facies & verna hyems nescio quid frigido huic Septemtrioni ominis portendat. Atros in hoc Cœlorum vultu velut in pagina lego characteres ferreo pæne stylo exaratos. Præter rerum ordinem omnia plagam ominantur præter ordinem. Raro hanc frontem æther præsetulit, qvin terram feriret; lugubrem mundi casum cœli tristitia antecedit; adeoq; mœror hic siderum, interitus humani quidam prodromus est ac prænuntius. Cœli & aeris portenta sæpe iræ cœlestis satellites aut prodromi fuere. Vidimus toties Principum Regnorumq; funeribus crinitam cœlum accendisse facem, qvæ imperio ceu plenæ bonarum mercium onerariæ ultimum subituræ naufragium ut nova in cœlo Pharus, sed fatalis præluxit. Adeo semper cœlestes minæ, & prænuntia cladis portenta terrarum exilio præcurrunt. Qvid ergo nunc &c.

§. IV.

Ostenditur in Praxi qvomodo per Sententiam Universalem ex tempore dilatari possint Orationes huic seculo usitatæ.

PRimò, Salutare ex tempore velles magnum Hospitem, occurreret Tibi vel illa Sententia: Pars felicitatis est, magnorum Hospitum frui præsentia. Vel illa: Vix unquam summi Hospites sine animorum serenitate transire possunt. Qvas sententias si obiter confirmares vel simili

ducto

ducto ab exortu solis tenebras depellentis, vel aliunde; jam tibi inde pronior esset ad hospitem laudandum accessus, seu virtutes, seu alia in eo decora dilaudes. Vel certe illa tibi occurreret sententia: Hospitum magnorum præsentia & animis hilaritatem, & linguis inspirat facundiam, quæ duo tanto melius capiunt incrementum, qvanto major est Hospitis amplitudo. Et mox descenderes ad particularem Hospitis laudem. v. g. Tuam certe magnitudinem etiam ipsa tuorum Majorum gloria testatur, testantur & Honorum insignia, quibus te adornat ac coronat virtus emerita. &c.

2. Eucharistica seu Gratiarum actoria oratio pari felicitate hinc desumetur. Sic qvidam nuper à Rege evocatus & beneficiis præter spem affectus, nullum cogitandis gratiis spatium nactus, ad illud recurrisset universim dictum: Præcipua Principum dos est hostes ferro & armis, cives beneficentia expugnare. Qvo loco, ut se offerret, illustrato; seipsum etiam sic expugnari hodie dixisset, velut in meta Regalis beneficentiæ positum &c. Vel illud assumpsisset: Solis ingenium in Principum manibus mentibusq; elucet, qui (ut Soli qvidam in Symbolo adscripsit) Non exoratus exoritur. Et illi spargunt suæ munificentiæ radios etiam in immerentes. Ne a longe exempla petam, meipsum mihi nova sistit felicitas Tuaq; Regalis munificentia &c.

3. Etiam Gratulationes ex hoc fonte manant uberrime. Ex tempore Gratulaturus Anni exordium vel festi alicujus celebritatem, reflectere

re breviter ad illam propositionem: Nullam stetisse votorum aut plausuum tempus est amico vel clienti &c. Sed neq; hoc &c. vel ipsa sententia occurreret: Ipsum etiam tempus extemporalem submini strat facundiam, præsertim qvod vel felicitatis auguria secum trahit, vel ea continuat &c.

Item gratulaturus Natalem vel nomen, haberes in promptu locum illum: Cujus vitam amamus, hujus & natales; i, sumq; adeo illius nomen aures delinit, animos demulcet.

Vel illum locum: Clientem te alicujus si libenter agnoscis, eum etiam clientem esse Cœlitum qvidni gaudeas: Hac vero tu Cœlitum Clientela &c.

4. Etiam Nuptialis materia hinc facile extempore locupletabitur, si de amicitiæ & affinitatum commodis, de amici perennis pretio aliqvid in communi præloqvaris.

In oblatione serti v. g. illud adduceres: Propensis animorum studiis sua præsto sunt ornamenta, qvibus amicum sibi Caput coronent. Vel illud: Pulchrum vividæ, virentisq; semper amicitiæ Symbolum est, sertum virens &c.

In oblatione item Annuli illud occurreret: Annulus æternitatis Symbolum etiam in perennis amicitiæ pignus & arrham merito assumitur. Vel illud: Annulo sponsalitio, velut aurea compede animi vinciuntur.

5. In funebribus vel maxime locus regnat communis: Nempe vel de Mortis decreto inevi-

vitabili: vel de mortis in omne hominum genus jure ac dura sed ferenda omnino Tyrannide: vel de fontibus Consolationis, qvæ omnia passim habentur, & in Svada Civili vide.

6. Laus etiam subitaria hinc facile eruetur. v. g. Hortum aliqvem ingressus ejusq; areolas mille florum generibus consitas conspicatus, illud ex tempore posses inqvirere: Qvidnam pulchrius, Stellæ in Cælo, an flores in viridario, de qvo argumento sic qvidam subito:

Materia mihi dicendi obtigit illustris & florida. qvid enim aut illustrius Cœlo, aut hortis vernantius? utrum tamen alteri præferam vel postponam, anceps hæreo. Si florem stellis præhabeo, in Cœlos injurius sum: si floribus stellas, in terram ingratus. Eligerem tamen terræ injuriam, maxime cum Cœlorum stellarumq; influxus, tot terrarum germina mira virtute operentur. Sed facile huic etiam herbarum florumqve virtutem qvis opponat, qvorum & succos salubrior fundit remedia, & color ac fragrantia sensus reficit ac restaurat. Qvid ergo in tam ancipiti argumento dicam: an utrumq; potius efferam, neutrum præferam? Sed nec altius Cœlum efferri potest, nec flores postulant, qvos in imum depressa tellus è suo gremio nec evelli patitur nec efferri, ut tamen utrumqve efferam, vel illud me movet, qvod nec Cœlum absq; sideribus, neqve hortos absq; floribus qvispiam velit. Æqve viridaria florum coloribus, ac Cœlum Stellarum fulgoribus destitutum sqvallet, &c.

§. V.

Aliud specialissimum Extemporalis facundiæ subsidium.

NImirum Circumstantiæ & Adjuncta rerum, locorum, temporum, Personarũ, de qvibus dixi toties. Dicturus ergo ex tempore de qvarunq; materia, brevi mentis conjectu, rei in Orationem cadentis proprietates & Circumstantias pulchriores & dilatatu faciliores atq; acumini eruendo aptiores circumspicits, seu illas Allegoria investias, seu non; seu a loco communi huc serviente ordiaris, seu ab aliqua statim Circumstantia.

Modus hic est optimus facillimus & amplificandæ ac per acumina deducendæ rei nõ sine extemporalis ingenii admiratione perqvã idoneus.

Exempla hunc Modum illustrantia supra attuli, & nunc attingo Sic Judices Delegatos à Circumstantia Temporis aliisq; salutavit ille; Redditis tandem cum reduce Justitia Incolis tamen hic vos malim, qvam hospites; nec æstates hic tantum degere, sed ætates. Sæpius incusavi frigore pigram hyemem, sæpius lentos soles, qvi huc redeuntia vobiscum diu negarunt solati donec Majus qvovis Augusto major ea cumulat affunderet. Vernare incipit urbs hæc pulchriu ubi vester illam afflavit fulgor Patritius, & Buzinianæ Rosæ fragrantia &c.

Sic & Gratulatio Nominis M. D. Adalbert N. ab iisdem Circumstantiis feliciter ex tempore deducta:

Non unus in Tui venerationem hodie nos impellit stimulus. totidem alios sentimus ingeniis admoveri, qvot hastas Adalberto. Jam illis torqvere desiit Tutelarem tuum Prussia, nos adhuc urget literaria urbanitas. Sua nempe nominibus cogendi etiam vis inest, maxime ubi summis (qvalem te summa in foro Sarmatico testatur auctoritas) inhæsere &c.

§. VI.

Aliud Extemporaneæ Eloqventiæ exercendæ Medium, idq; facile.

FAcillimum etiam ausim dicere, Maxime si locus communis sit tibi dicendi argumentum. Tunc enim post elucidatam occurrente periphrasi sententiam, adhibita similium congerie & exemplorum in eo argumento passim occurrentium, res immodice dilatabitur etiam ex tempore. Sic nonnemo dilatavit pene extempore, certe non præmeditato illam sententiam: Mi[illegible] ex humili emersere.

Emergunt subito, qvi delituere, fortunæ hic ludentis ingenio admirabili. Nec natales obstant tenebræ, qvo minus qvis solem videat; nec inopia, qvo minus Bactra vel gazam Persidis invadat. Nimirum è sqvilla etiam nascitur interdum rosa, è vili concha legitur margaritum, & incultæ montium venæ aurum tegũt. I per ætates singulas, per gentium fastos memoriam circumfer, ubiq; occurret repente trabeata egestas. Revise Romam, repentinæ sortis documenta offeret Qvinctius Dictator ab aratro, triumphalis agricola, qvi

Sarb: *Fessos duxit heri boves,*
Dat magis hodie jura Qviritibus,
Et qvæ bobus ademerat,
Imponit Gabiis & curibus juga.

Qvid plura è nuntia Vetustatis historia repetam? Incunabula Tulli Hostilii agreste tugurium accepit: Tarqvinium Priscum taberna institoria in Solium effudit: Servius Tullus è servo imperium tenuit: è taberna macellaria Varro ad Consulatum ascendit: plebeiæ primo fuerant Deciorum animæ: Septies Roma consulem ab aratro Marium vidit: item simuatur in arcus, persæpe flectitur in trophæa, effingit Deorum simulacra è ligno Mercurius, qvi

Olim truncus erat ficulnus, inutile lignum; ut venuste cecinit Venusinus. Agathoclem adhuc memora, & fortunam in eo veneraberis, cujus ille Rex è figulo memor identidem illud sibi occlamat:

Rex ego Sicaniæ - figulo sum genitore satus. Ad Polonorum fastos stylum & memoriam promoveo. Piastum hi recolunt, qvem à bobus ad regni regimen fortuna evocavit, edoctum ex apum mellificio & horti cultura dulcem laboris fructum, regale pomum colligere. An & tu Premislae in solio? at prius aurifaber qvam Princeps, tuæ tamen fortunæ faber, qvi aureum tibi domestica in incude sæculum recudisti. Libet sacros etiam annales consulere? qvoties Roma Piscatoris annulo vilem consignavit & extulit fortunam! sane Xistum vidit coluitqve è coriario Parente Orbis Antistitem; ut Moguntia Ville-

gisum

gisum rhedario Patre oriundum, sed fortunæ rota impellente ad Septemvirales insulas evectum. Adeo ubiq; summis cito infimos subita fortunæ benevolentia exæquavit.

§. VII.

Reliqva Extemporalis Eloqventiæ subsidia.

TErtium Speciale subitariæ dictionis adminiculum est, si de qvacunqve materia dicturus, eandem brevi mentis ratiocinio in partes aliqvot partiare, vel ad aliqvot redigas argumenta: seu, si Distributione utaris Oratoria qvoad fieri potest: Hæc enim divisio jam materiæ dilatandæ promptitudinem præbebit; & si partes singulæ possint suis ex tempore firmari rationibus nervosius propositæ cum extemporaneis verborum ac Sententiarum luminibus, luculentum eximii Oratoris dabunt argumentum. Qvare ad certa aliqvot puncta dicendam ex tempore Orationem redigas, & singula proseqvere. Sic & Concio, sic & Votum seu Sententia in Comitiis, sic & pleraq; subito dici possunt. v.g. Propositio aliqua sit urgenda, occurrunt mihi brevi mentis conjectu ad eandem probandam aliqvot argumenta; ergo illa proseqvar. Item disparata, facilius in puncta partiere; non disparata distribue per plures causas, plura motiva, plures rei faciendæ vel conseqvendæ modos: plura exempla, effectus, plura incommoda vel plura emolumenta, vel plures rei faciendæ ideas.

Aliud subitariæ dictionis subsidium est, qvod etiam ampliorem dicendi subministrat apparatum: si res, qvæ in materiam dicendi cadit, problematice tractetur. Certe tanto hic amplius ex tempore dicetur, qvanto plures pro utraq; problematis parte rationes subito occurrentes adduxerit. vide exemplum in §. 4. ad finem de illo Problemate: Qvid pulchrius stellæ in Cælo, an flores in viridario.

Præterea illud insigniter juvabit extemporalem facundiam, maxime ubi respondendum est; si bene teneantur memoria ab alio dicta, cui respondendum vel qui refutandus est. Nam si primo singula ab eo allata refutes, deinde occurrentibus insuper argumentis tua confirmes, quis non videat te hic ample subito posse dicere?

Deniq; huc juvat, si rationes alicujus Propositionis occurrentes ad Syllogismum redigas; & singulas syllogismi Propositiones elegantius efferas, additis, si res patietur, rationibus Majoris & minoris Propositionis: sic enim res ample efferetur ex tempore, nec sine laude.

Ut vero rem pœne momento tunc præcisam, verba non invita & insignior sequatur elocutio, huc collimant exercitationes, huc lectio librorum, huc usus frequens latinitatis; huc usus Figurarum, Sententiarum vibrantium; huc deniq; Metaphoræ & Allegoriæ, qvæ exercitato & volucri ingenio, facillime occurrent, imo & rei Circumstantiæ illas obtrudent.

Caput

CAPUT II.

Altera Eloqventiæ Admirabilis Species.

ELOQVENTIA.

Versatilis in omnes partes, & in Species styli varias circumacta.

§. I.

NEc istud Admiratione vacat, seu ex tempore versatilem Eloqventiam prætferas, seu præmeditato & sumpto ad cogitandum dicendumq; spatio sic possis dicere. Porro ad præmeditantis Eloqventiæ Speciem hæc spectant, qvæ tota prima parte attulimus. Hic nova Species Admirabilis facundiæ adstruitur bipartita: Altera qvæ prompte ex prævio vel improviso dicere potest, tum in alteram partem æqve plausibiliter; tum in qvacunq; Circumstantia & Materia multiplici. Altera qvæ potest optime de prædictis dicere hoc vel illo modo, puta stylo vel erudito, vel Allegorico, vel Sententioso, vel acuto, leni, vehementi, conciso, vel late lucido, Attico vel Asiatico: nunc ut loqvitur Tullius, nunc ut Plinius, nunc ut Seneca vel Puteanus & alia eloqventum lumina. Hanc vero utramq; partem complexa nunqvid admirabilis negetur Eloqventia? Certe tanto admirabilior, qvanto rarior est, qvi in utraq; parte excellat. In prima parte excelluit olim Pericles & Gorgias; id enim significat illud eorum: Proponito, id est de qvacunq;

materia; id enim indicabat paratos fuisse dicere de qvocunqve. Excelluit & Carneades, qui hodie Justitiæ mira congessit encomia, postridie mira vituperia. Excelluit & Demosthenes, qui proinde Bellum & Pacem in lingua gerere videbatur, quod utrum vellet facile persvaderet.

Potest in talis Oratoris laudem afferri, qvod Poeta de quodam ait: - - - - Partem
In quamcunq; voles, verte, decorus erit.

§. II.

Leges & Exempla in omnes partes versatilis Eloqventiæ

TRia ad illum spectant. I. posse dicere prompte & laudabiliter in utramq; partem. II. posse similiter dicere in quavis Circumstantia. III. posse idem in qvacunq; materia.

I.

Qvoad Primum.

JUvat ad hoc inprimis Exercitatio Problematica, quæ constet tum Inventione rationum pro utraq; parte, & refutatione earundem saltem apparente, ac proinde notitia eorum, quæ de confutatione traduntur ab Oratoribus, de qva infra; tum prævio aliquo accessu ante sententiam & sententiæ rationes, in quo quæstionis augeatur vel minuatur difficultas, vel prout res exigit; tum in accommodatione styli & affectuum rebus in Oratione contentis juxta dicta Parte Prima.

de

Sic primo si velis in utramque partem dicere de illa Quæstione: Qvisnam melius censuerit, an Cato delendam Carthaginem, an Scipio Nasica servandam: Pro Scipionis sententia hæ rationes occurrerent: Quia deleta Carthagine timendum, ne virtus Romana concidat, ne metu hostis maximi liberata luxu & otio enervetur; nolim Carthaginis ruinas cum Romanæ fortitudinis exitio ac interitu. Stet illa, ne hæc corruat. Adde, qvod eo securior Roma imperabat, qvo minus secura. Ipse nimirum periclitandi metus inter pericula eximitur, contra quæ assiduus ferri usus dimicat. At otium armorum rubigo est. Imo Tertulliano si credimus, plus Togæ Rempublicam læserunt, qvam loricæ. pacis enim tempore irruunt in Rempublicam omnia cum luxu vitia, cogimurq; tunc cum Juvenale dicere:

Nunc patimur longæ pacis mala, sævior armis
Luxuria incubuit, victumq; ulciscitur orbem.

Nec Sparta hic desipuit. certe urbem hostilem, qvam eorum Dux evertere parabat, integram esse voluere Lacones, ceu cotem suæ juventutis. Hinc qvoties oppidum infensum sibi viderant eversum, illam fortitudinis plenam dedere vocem: Periit luctatio juventutis. Ad has rationes accessum præfigeres. v. g. hunc: Amo Catonis animos, sed magis Scipionis sententiam censuit ille fortiter, hic prudenter. Eqvidem malim salvam Carthaginem, si ruere neqveat salva Roma. At ita est &c.

Pro Catonis Sententia hæ se offerrent ratio-

nes: Cato mihi Catonisq; placet sententia, qvia Romanis placuit, qvia Scipioni. Non id ab illo desid a extorsit, sed, qvæ Catonem decuit, Prudentia. Si amamus Victorias, hæc demum est pulcherrima, non habere ultra, qvem vincas. Ad hæc summa est gloria, maximum hostem expugnasse: ut inglorium, si à te neqveat fundi vinciq; : hac vero gloria se Roma exuat? At qvantum malum est habere semper à qvo tibi tuisq; timeas; eum potius dele, ut ipse ab aliis timeare. Nec Exempla desunt sæpius hæc Roma dedit, nec dedisse pœnituit. Tum auditam paulo ante Scipionis Sententiam refutares: Scipionis Sententia si alicui probatur, non certe Romanis, neq; mihi. Pulchra illa qvidem, sed in speciem; præferat aliqvid fortitudinis, sed non Romanæ. nescio si id non magis Romanum, ita orbem subigere, ut nullus hostis supersit. Qvid enim mihi objicias Spartanos; qvasi cum Romanis Sparta componi possit. Juvenalem non curo, qvi de pacis longæ malis qveritur; at eversa Carthagine nondum pax æterna seqvitur: alii nobis arma intendent aut inferent. Nec Aseri le contra Romanas, qvi non unum hostem præter Pœnos habuere; adeoq; virtus exerceri poterit etiam in aliis. En ut Orator hic versatilis in utrumqve!

Sic 2. Meliorem esse Electionem Principum in Republica, qvam naturalem eorum successionem, & è contra svaderes. Pro electione occurrerent rationes hæ: Etiam me iudice imperaturus

turus omnibus eligi debet ex omnibus; nec genus tantum sed & merita coronari. Virtus pluris qvam natura habetur. Molle ad Principatum per cunas, molle per fascias ad fasces regios iter, pessimis etiam commune ad illos suffragium, nasci principem. Non tanti veneant coronæ, ut regiis natalibus inter crepundia emi possint, si Principem &c. Si Principem eligis, optimum & aptissimum Regno ad legere licebit, justa ætate & ad regendum idonea. at successio qvemcunq; obstrusit solio, modo in purpuram genitus sit; sæpe obtrudet puerum, vel infantem, imo fæminam. Electio certe etiam Heroicis illis temporibus usitatior, & Principatus pace ac bello, virtutis aut roboris prærogativa æstimati. Nec aliter summa in orbe imperia hucusqve. Sic Roma Cæsarem, sic orbis caput eligit. Adderes nec inter regni tempus à competitoribus metuendum magis, qvam damna successionis.

Pro successione Principum naturali occurrerent hæ rationes: Pericula interregni à tali regno procul, in qvo nunqvam possessorem Regnum non habet. at pericula illa majora mala trahunt, qvam imbecilla in imperio ætas. Justitia tunc & leges silent, vis & licentia valet plurimum. Qvæ tunc prensatio & ambitio? per qvas fraudes & artes? Germaniam vide; ubi extinctus Imperator, omnes in præsenti metu, Ipsa Roma in Sacrorum Antistite est, cum hæc mala sentit. Adde qvod charitas utrinq; major & subditorum ingenium & sangvine Principem, & hujus in subditos veteri jure suos. Imo ubi re-

gnandi fortuna consenuit in una stirpe, & hæreditario gentes continentur imperio; adeo vivit in posteris, ut vel cunæ puerorum in Purpuram natorum tacita confessione Sortis nostræ nos tangant, nec iis parere dedignemur, quos priusquam lucem subeant, nasci novimus ad imperium Tua Patria, sit Regum Patria, ne alibi quærere cogatur Principem. Is sceptra capessat, cui vix nato, ad regale solium prosternit viam purpura.

Refutatio succederet. Optimi possunt eligi; sed etiamne eliguntur? si rem & experimenta vides, sæpe id falsum. Rara electio sine privato cujusqve affectu; nec Reipublicæ virum, sed sibi plerique eligunt, ut omittam corruptelas suffragia sæpe trahere, & rem geri promissis donisq; quæ neq; meliori fortassis seculo excludas &c. &c.

II.

Alius Modus versatilis Eloqventiæ primo Modo acceptæ illustratur.

SEcundò, Juvat ad eandem Eloqventiam coacervare simul in eadem Oratione Opposita in eandem rem tum ab Eruditione tum aliunde petita.

Patet id primo in laude & vituperio ignis: Encomium igni orbis debet; sed nescio, in ullum sæpius incusarit elementum. Quot enim ille Urbium gloriam in cinere sepelivit? Urbes antea fuere, nunc pulvis exiguus, & ut ille ait, cadavera civitatum. Fuit, fuit ingens Ilium, fuere Pergama; sed vix aliunde magis inclaruere, quam ab incendio sibi fatali & igne. hinc

Bal-

Balde. 2. Nunc fluctuant aristæ
1. Ubi stetere Pergama.

Chartagini certe & Numantiæ non tantum Roma vel Scipio, non in fabulis orbi Phaëton, qvantum nocuit flamma: nec Romæ tantum Nero impius, quantum ignis, qui dum Trojæ refert incendia, non unus ibi

-- -- proximus arsit
Ucalegon.

Adhuc suum Ephesus luget, imo orbis prodigium, templum inquam Dianæ, cujus famam tantillo tempore ignis extinxit. Herostrato sic volente, cujus nomen ne deleret posteritas, scelus effecit, quo solo inclaruit inter ignes. Nam Apellis labores si qværas, illustres illi; sed in igne illustrius effulsere. Adeo ignis non unam ubiq; Trojam efficit! Sed parco vituperiis; nam & salubre hoc elementum sæpius extitit. Adhuc illi gratas se exhibent Syracusæ, post exustas Archimedis artificio Marcelli naves? Adhuc & Hercules, cujus rogum Oeta & flamma illustrat. Phœnix eidem referat vitale bustum, aurum puritatem; ferrum, quod diversos in usus & formas emollescat. At ignibus nocturnis quod ad lucernam Aristophanis impallescentes animæ Sapientiæ debent lumina? quot in Pharo excitatis ignibus portum cursumque felicem Argonautæ? Thure supremum numen placatur; sed quid hoc proficit absque igne? nec aræ ullo pulchrius quam ignibus collucent; nec festivos plausus quidquam illustrius adornat quam ignes triumphales &c.

Pa-

Patet Secundo in Vituperio aqvæ & laude: Friget jam aqvæ gloria, dum qvæ orbi damna intulit, curſim refero. Dolet Tuas Liſymachus vices, qvi ſibi urgente pro pauxillo aqvæ ſervitutem emere coactus, in cratere ſubiit naufragium libertatis. Multis inſuper nullum gravius cum Tantalo ſupplicium, qvam ab aqva. Hyacinthi & Narciſſi gloriam aqvæ præfocavere. Stagyræ Ariſtotelem Euripus abſtulit. Thraſeæ Vati etiam ipſa undæ pollicitatio Ægypto ſitiente obfuit. Antonii copias non tam hoſtiles copiæ, qvam dira è venenatis aqvis lues delevit. Qvid qvod nullibi ſcopulos & brevia, nullibi ſyrtes reperias, qvam in aqvis, qvæ tot divite gaza onuſtas hauſere onerarias, & dum reficiunt interficiunt? Sed tamen ſit ſua & aqvis gloria, qvæ non uni navalem ut coronam, ſic gloriam detulere. Fundunt hæ inter tumidos fluctus ſæpius uniones, imo aureis fluctibus in Hebro Tagoqve intumeſcunt orbemq; ditant. Ganges ipſe & Pactolus auri natale ſolum, qvas cum limo non invexit urbibus opes? Bajana littora, qvos non depulerunt morbos, & cum aqvis ſalubribus propinavere ſanitatem? Primam animi labem non aliud eluit qvam aqvæ elementum; noxas nil citius delet, qvam lacrymæ &c. &c.

Patet tertio in plurium rerum miſto laudi vituperio: Nox ſomnos conciliat, ſed furtis & inſidiis opportuna, ſceleribus infamis. Tenebræ Areopagi celebres; ſed Cimmeriæ odioſæ. Dies à Sole illuſtris, ſed ſæpius illi Thyeſtæa culina lumen intercipit. Tecta ſplendida, & cultus ve-

ſtium

ſtium injurias Cœli arcent; ſed non faſtum ab animo propulſant. Pomum Fenellæ auro nituit; ſed latentibus intus telis inſtructum Cenneto nocuit. Cretica vitis vel Falerni botrus non tot acinos, qvot damna parturit: Non ſemper vitam propinarunt vites, forte hinc nomen ſortitæ, ut immodicum earum uſum vitandum noris. Nectar hoc in poculum Circes non raro degenerat, & Campana vitis non unum Annibalem diſſolvit. Qvid plura? lætitia in votis eſt, qvæ Sophoclem exanimavit, ut Riſus Zeuxem, Anacreontem uvæ acinus &c. &c.

III.

TErtiò, Juvat ad hunc modum Eloqventiæ verſatilis faciliorem reddendum lectio, peritia Hiſtoriarum, Sententiarum, legum, conſvetudinum. Item uſus ſimilitudinum ſeu parium. Sic pro Rege eligendo, alio adhuc ſuperſtite dum ageretur in Polonia, adduci poterat exemplum Boleslai novennis coronati à Polonis Rege Parente tunc vivente & conſentiente; Item Ferdinandi III. pium Ferdinandum IV. in Regem Romanorum coronantis.

Qvartò, Altera pars oppoſita priori Orationi facilius contexitur; nam magna pars illius ſolam ſibi vendicat refutationem ſuperioris, quæ facilior, Ubi nota poſſe interdum verbis eludi priorem Sententiam. v. g. dicebatur ſupra per Electionem poſſe optimum Principem eligi. Reſponderes: Poſſe qvidem. Sed eligiturne ſemper Optimus? Idem poſſe dici rationibus illis

ſub-

subesse aliqvid, & latere, qvod non viderit auctor.

Sed cum versatilis hæc Eloqventia in utrumqve sit expedita, Confutationis locos modosqve debet habere exploratos. De hac in præsens brevibus te instruam.

Primò In Confutatione multa indignatione, multa urbanitate alicujus interrogationis tela adversariorum habetantur Item, procaces Sophistas sæpe frangit argutior interrogatio vel argumentatio.

Secundò, Adversæ rationes sæpe dissimulandæ, elevandæ, in ambiguum trahendæ: aliqvando secum pugnare ostendantur, nec conciliari posse, nec in rem hanc vel Personam cadere.

Tertiò, Pugnatur aliqvando cæsim contra multas & exiles rationes, aliqvando diductius res urgetur, &, qvo plus caloris ac spiritus habeat Confutatio, dialogismis permiscetur, ironiis, subjectionibus, Concessionibus, concise vibratis Propositionibus, ac aliis, quibus vis & ardor Orationis magis invalescit.

Qvartò, bene fit Confutatio per conglobatas rationes magna vi & celeritate vibratas. Ut Cicero pro Cælio, ubi ait: In crimine ipso nulla suspicio est, & in re nihil argumenti: in negotio qvod actum esse creditur, nullum vestigium sermonis, loci, temporis: nemo testis, nemo conscius nominatur: totum crimen profertur ex inimica, ex insana, ex crudeli, ex facinorosa domo; domus autem illa, qvæ tentata scelere tam nefario, plena est integritatis officii, religionis

nis &c. cur illi venenum daret Cælius? ne aurum redderet? num petivit? ne crimen hæreret? num qvis objecit?

Qvintò, in levibus multis refutandis non immorandum, sed singula carptim perstringenda. Vid. Cicero pro Plancio.

Sextò, Confutatio pulchre solideqve miscetur seriis rationibus, & Ironiis aculeatis; ut in Pisonem Cicero. Item per coacervationem Exemplorum; ut pro Milone num. 7.

Vide hæc fere omnia in uno Qvintiliani exemplo, ubi pro cæco incusato parricidii sic ait: Cæcus ergo parricidium cogitavit: cum qvo? cujus se commisit oculis iturus per totam domum? qvem ducem elegit ille, qvi erat in cubiculo suo solus? secum opinor, secum deliberat; sufficit sibi; cum homine expeditissimo loqvitur. cur enim socium conscientiæ qværat? omnia potest scire primum nox qvando sit, deinde prospicere sollicite, an omnis familia dormiat: gradu suspenso certa ponere vestigia, & in omnem timoris sui partem sollicitum circumagere vultum. ô quam parum est in metu ipsos etiam oculos habere! Non ille sibi dixit: Nocte solus egredior, sed qvando perveniam? putas non junctis habitare liminibus? Item domus inter Patrem filiumq; media: qvantum erroris, qvantum moræ! spatium ingens & vix metiendum. Cæcitas inconsulta qvid agis? nox ante deficiet. Qvid si deinde Senex vigilaverit? qvid si noverca! Age limen inveniam, cardinem sine strepitu movebo, qviescentem feriam Patrem, nec familia vigilabit?

secu-

securus egrediar, Sciente nullo revertar: vota sunt ista, sed oculorum; cæcus desperet etiam, si tam multa nox pollicetur &c.

Qvintò, Nota insuper in iis, qvæ non sunt reprehendenda nec laudanda, si oppositum agere velis propter exercitium hujusmodi, apparentes rationes & aliquid tantum in cortice & specie tenus concludentes, ac ex qvadam analogia ductas, posse afferri. Ut in laude cæcitatis Asclepiades cæcus dixit, quod illa hominem uno comitatiorem reddat. Imo sic auguri Tiresiæ, sic Homero similis evasisti: nox illa frontis perinde est, ac nox diem subsecuta. Sic & in laude senectutis alius: Ad senium aspirat, qvisqvis mortem odit. Ipsa etiam canities, qvam non extorqvet reverentiam? Certe non minorem, qvam olim Spartæ, ubi ea cano capiti veneratio habita, ut in paræmiam abierit: Non expedit nisi Spartæ senescere. Deniq; ne qva pars gloriæ senio desit, etiam splendet in purpura, eminet in Qviritium consessu: &

A senio nomen mite senatus habet.

Sic & in laude morborum: Febris enecat, sed sæpius tantum noxios absumit ac excoqvit humores. Chiragra te infestat? modicum expendes usu manuum destitutus. Pedibus captus es? fugæ turpitudo haud tibi timenda. Morbi te alii lecto affixere? habes, unde tolerantiæ coronam decerpas.

Sic & in laude tenebrarum: Nec tenebræ laudis & commodi expertes. illæ qvidem lucem tibi auferunt, sed hostibus te celant. Nox tibi non in-

ingrata: at tenebris involvitur; thesauris inhias, quos tamen in tenebras abstrudis.

Sic & in laude qvorumvis hostium: Etiam hostilis tibi conducit rabies, quæ gloriæ Tuæ seges & auctor est, nunquam tibi laurea triumphalis obtingeret, nisi hostis eam tibi necteret: nunqvam erigerentur trophæa, nisi hostilis se tibi feritas opponeret. ab hoste seu cadas fortiter, seu eundem cædas strenue, laurum refers.

§. III.

Qvoad secundum.

AD hanc Eloqventiæ speciem spectat posse optime dicere in qvavis Circumstantia, etsi aliter in luctu, aliter in communi plausu; aliter Principi, aliter Civi; aliter erudito, aliter rudi: aliter Romæ, aliter Utopiæ. Et quidem huc spectat etiam idem argumentum posse tractare aliter & aliter variatis circumstantiis rerum, temporum, Personarum, Locorum.

Sic v. g. Salutatio Regis aliter adornanda foret nomine universitatis, aliter nomine Cleri aliter nomine exercitus: Universitas enim diceret: Ultimi nos Cultores ad Tuæ serenitatis omnia Majestatis pedes affundimur; si quid ultimum esse potest in eo cultu & laudibus, quibus nulla finem allatura est ætas. Stabat eminus Apollo noster, neqve confertam tot populorum plaudentium coronam perrumpere poterat; hoc uno desiderium solatus, qvod vel Oratoribus opus non esset, ubi gesta Principum perorarent. Sed perrupit tandem & ad solium Tibi evadenti vix

aliud

aliud post Procerum plausus reliqvum habuit, qvam ut in vota sese effunderet. Apprecari libet licetqve ut Tecum Tua felicitas sceptra capiat, Tecum Tua virtus coronetur. Imple factis fastos æternitatis &c.

At Cleri nomine aliter idem præstares. v. g. sic: Effusa in plausus Patria, etiam in Tuæ Majestatis cultum aras elicis, Regum Fortunatissime. Clerum qvidem à tributario censu Sacra eximit immunitas, adhuc tamen, ubi Tui venerationem terrena indixere Solia, coronato vertici efficit vectigalem. Numen si colimus, etiam terræ Numina. Unum id tributum libenter solvimus, cum terrenæ Majestati pro aris & focis pugnaturæ cultum imperat &c.

Eundem post luctum aliter salutares pridem inauguratum: Etiam id Regium est vel inter lugubres atratæ Patriæ umbras Serenitatis radios late spargere. Alibi Phœbus post nubila, hic vel inter nubila svaviter renidet. Novum id Solis ingenium est, in cujus naturam, Regnorum lumina, transiistis, serenare omnia qvæ nativo sidere afflavistis. Id vobis ingenium, ut æqviore anima luctum in animo qvam ullas in imperio nubes patiamini. Hodierna dicto fidem astruit Urbis hujus felicitas, ad qvam non tam de via, qvam de Majestate deflexisti Regum Serenissime &c.

Sed à pluribus exemplis abstineo, toties enim dictas Circumstantias alibi illustravi, ex qvibus modum transsumas ad qvasvis Circumstantias alludendi.

Qvo-

Qvoad tertium.

ETiam id versatili huic Eloqventiæ gloriosum, posse de qvacunqve materia concinne & laudabiliter dicere; puta de profana vel Sacra, Historica vel Politica, Philosophica vel Theologica.

Ad qvod te duo juvabunt maxime. Imo notitia alienarum etiam à te tuoqve studio materiarum; qvas si non didicisti, coneris intelligere saltem ruditer ex earum perito. ut si de Materia Philosophica velis aut Præfationem aut Dedicationem Thesium, aut ejus laudem scribere & sic de aliis. Secundo, Vide exempla qvæ passim extant, scribentium in hujusmodi materiis. Ut sunt Dedicationes Conclusionum Philosophicarum, Theologicarum, Præfationes &c.

Illud hic maxime observa: Ex verbis qvæ in illis scientiis vel artibus usui sunt, etiam non bene penetratis, posse & debere te sensus aliqvos & acumina eruere. Sic enim aliqvid etiam earum materiarum rudis ad plausum dicere poteris, maxime accommodatis ad id eruditionibus. Illustrabo id exemplo.

Erat qvidam probaturus omnes scientias sui studiosis esse laudabiles & gloriosas: sic de Philosophia, Mathematica, Medica, Theologia id ostendit:

At nec Philosophica facultas absqve gloriæ stipendio, qvæ cum Antonino in Solium eluctata, in Platone à Siculo Rege laureata navi, pompa regali deducta in Peripateticorum Principe,

per

per Alexandrum opulenta, etiam Regios fasces tenuit cum Trismegisto, fuitqve qui nullius caput par ferendo Diademati censuit, nisi qvod prius hæc Scientia initiasset ad Coronam. Qvamvis & ipsi, de quibus dilucide tractat, Cœli lacteam vel ipso atramento viam Philosopho aperiant, & triplex de Anima liber vitam inspiret immortalem. Ipsa etiam non satis explorata. Continui compositio continuas, Infiniti indagatio pœne infinitas eidem inscribit Panegyres, Qvantitas magnitudinem, Tempus æternitatem nominis, Locus amplitudinem gloriæ pollicetur: deniq; ut eorum utar vocabulo, Ens rationis digniorem hoc nomine laudem Philosopho transscribit.

Mathesis vero, seu ex falsi regulis puristinam, seu ex aurea trium regula auream eliciat veritatem, an unquam paribus caruit stipendiis? Dicent Syracusæ, quos illi honores Marcellus destinaverit, cœleste Archimedis ingenium veneratus in effecta, quam Cœlo artifice, arte Dædala elaboraverat cœli molem. Nec Arati nomen nulla non exarabit posteritas, qui iisdem cœlis suum inscripsit nomen, quorum stellas in terrestre transtulit Firmamentum. Non alios deprehensæ in Sole maculæ umbris & situ oblivionis eximent; aliis ingeniosus in quadrando circulo labor negatum hactenus plausum destinat; aliis Machinæ perpetuo Motricis irrequieta moles Orbem in perpetuum devovet Oratorem.

Qvid de Medica facultate, qvæ non minus opum ex Hippocratis corrogat Aphorismis, qvam

qvam qvæ sint Crasso diviti pares, Persidi invidendæ. Hanc coluit & Dionysius in regno, & Constantius ac Adrianus in imperio. Pæonem insuper ac Æsculapium ob hanc fatalem morbis scientiam Diis inseruit antiqvitas, qvod dum aliis herbam porrigerent, simul de luce corporum, de mortis minitabundæ discrimine triumpharent.

Nec Jurisperitos prætereo, qvi præterqvam qvod è sui numero Ivonem Cœlo inscripserint, etiam extra Cœlum regnant.

Qvid Theologia? Eam suis nominibus consecravere Cœlites, & insuper acumen illi Augustinus addidit, Patres argumenta, Thomas omnia. Ubiq; illa reliqvis Divinior, seu Gratiæ limites non ultra libertatis ponat terminos, seu Deum in carne proponat, seu in seipso luculentius & Personis. At Eloqventiæ honores qvam reliqvis antecurrunt! Audiimus eam Solio donatam Athenis, curru Imperatorio in Dione, laureis in Nestore, statuis aureis in Gorgia, Romanis fascibus in Tullio, regnis & coronis in Proæresio &c.

Huc spectant præfationes Philosophicæ, qvarum aliqvæ superius.

§. IV.

Altera pars versatilis in omnes partes Eloqventiæ:

Posse qvocung; stylo laudabiliter dicere.

Id vero præstat hæc Eloqventia dupliciter.

Imo dum loqvitur stylo auctorum laudabiliū insistendo; puta nunc Tulliano more, nunc Lipsii aut Puteani, nunc Plinii vel Senecæ &c. Sic

loqvi nemo poterit, nisi legendo hos autores, sibi eorum styli normam impresserit.

Exemplum tamen hujus videre licet in Gvinisii Allocutione tertia, ubi stylo Ciceronis optime qvandam Historiam is Auctor pertractat, ut & Fammianus in Prolusionibus Academicis stylum variorum Poëtarum feliciter imitatur, Academia secunda.

Secundo, dum stylum variat etiam in eadem sententia; nunc eam concise & presse, nunc uberius, nunc acute, nunc erudite, nunc leniter, nunc vehementius efferendo. Sit v.g. hæc Sententia vario stylo efferenda:

Cave Otium: nam est causa libidinis,

Hæc Sententia stylo vario sic effingetur ab hujusmodi Oratore, qvi hic instruitur. Sic inprimis stylo presso & conciso dicet:

Par est omne odisse vitium, sed otium vel maximè: Pudori ludibrium timeat, qvisqvis hoc non formidat: Marcet ille, si qvis otio emarcescat. Unicus hic hostis virtutis robur enervat; nec verecundia in tuto, ubi molle hoc desidiæ telum excepisti.

At stylo Allegorico sic idem efferet:

Vitia qvisqvis nesciit, sæpe didicit desidia magistra. Nullibi certius Pudori naufragium, qvam ubi in otii vada impegisti. Mare hoc Pacificum nunqvam tuto enavigas: æstuat illud, & sæpe alios æstus parit. Si Pacificum dicitur, haud illi te commiseris: Veneris natalibus infame est; in his stagnantibus undis Venus nata. Tu, si odor virtutis & famæ placet, hæc vada effuge: fætet sæpius, qvidqvid stagnat:

Et

Et vitium capiunt, ni moveantur aqvæ.

Stylo autem ampliori sic idem efferret:

Vix qvidqvam fatalius virtuti, vix exitio pudoris opportunius, qvam si qvis à virtutis proposito tantisper ad desidiæ confinia, à laboris tramite ad prærupta ignaviæ sese abripi patiatur. Hæc illa est virtutis noverca, verecundiæ scopulus, puritatis contagio, pudoris naufragium, fomes libidinis luxuriæ incentivum, castimoniæ parricida. Qvisqvis semel otio se permisit, non illum timor supplicii ad scelerum horrorem, non spes præmii ad honesti studium, non virtutis pulchritudo ad vitæ purioris amorem incitabunt. Qvis ergo deinceps se inerti otio dedere? qvis torpere desidia velit?

Stylo erudito sic idem efferret:

Otium qvis non horreat? infame vitium est; parit Sardanapalos. Regnum Veneris est in hac Campania. Nullus Ægystus, postqvam se desidiæ mancipavit, sua Phœdra caruit. Nec Annibalem in luxum qvidqvam emollivit, nisi Campana otia. Nunqvam molle virtutis iter est, nec verecundia bene unqvam inertiæ sinu conqvievit. Ergo qvisqvis florem hunc æstimas, Floram hanc time.

Stylo acuto sic aliter idem efferret:

Periit pudor, cui tempus otio perit. Roseus nempe Pudor est; at Rosa hæc curarum laborumq; spinas amat, nec citius qvam ad otii nomen erubescit. Qvod si desidia Cyprios ignes alit, etiam hæc flamma Rosis nocet: æstu nimio aduruntur flores & marcescunt.

Ut vero alteram hanc Versatilis Eloqventiæ

partem laudemq; assequaris, ea tibi usu faciliora primo reddes, quæ de stylo amplo, allegorico, acuto, erudito, in primis capitibus traduntur.

CAPUT III.

Tertia Species Eloquentiæ.

ELOQUENTIA

Scholastica, extraordinarie perpolita.

ETsi Eloquentia Scholastica possit esse extemporanea vel versatilis, de quibus proxime actum; tamen hæc non est ordinaria, nec in tam frequenti usu. posset quidem dici extraordinaria, sed alio sensu, quam hic sumatur. Ut ergo tertiam hanc Eloquentiæ speciem ab aliis internoscas;

Adnota 1. Eloquentiam Scholasticam hic contraponi Eloquentiæ Civili, de qua alibi. Eloquentia hæc vel est Ordinaria seu de Materia ac argumento quod communiter occurrit seq; offert Oratori pertractandum; hoc enim si extraordinarie juxta mox insinuanda tractetur, ad novam Admirabilis Eloquentiæ speciem pertinebit: vel Eloquēt. Scholast. est Extraordinaria, in qua videlicet aut argumentum non ita obvium, puta Inventio quoad Propositionem non vulgarem ad argumēta; aut Materia dicendi præter ordinem & usitatū Oratori & eventis comunibus morē occurrens.

Adnota 2. Ad idut hæc Eloquentiæ species extraordinarie sit perpolita [quod eam reddit admirabilem] non aliud requiri, nisi ut insistat decem Fundamentis Eloquentiæ admirabilis, quæ initio libelli hujus fuse sunt declarata. Huc ergo imprimis

mis ſpectat Inventio Propoſitionis non obviæ, de qva cap.3. & 8. Huc ſpectant dicta de mira argumentorum & circumſtantiarum combinatione, de variis modis tractandi non obvie argumenti: huc ſenſus admirabiles, mirum acumen, mira ſuisq; locis adhibita eruditio, & alia de qvibus ibi egimus. Hæc extraordinarie perpolient Eloqventiam Scholaſticam in argumento tam ordinario qvam extraordinario.

Adnota 3. Ideas talis Eloqventiæ te habere tũ in Plinii Panegyrico, tum in Orationibus Joann. Baptiſtæ Ferrarii, tum in Panegyricis ſcriptis à P. Paulo Kühn, nempe Arcu Pacis, Trophæo Regali, Gratiis immortalibus, tum in pleriſq; Panegyricis recentiorum. An vero in meis Orationibus ſaltem umbra hujusmodi Eloqventiæ deprehendi poſſit; ad Oratorem Marianum ſeu Panegyricos B. Virg Matri ejusq; Divis cultoribus à me inſcriptos te rejicio, illud te præmonitum volens, me nec tantillum mihi de admirabili ſtylo arrogare, nec arrogantius id evanidæ putidæq; laudis à lectoribus mendicare.

CAPUT IV.

Inſignioris Qvarta Species Eloqventiæ.

ELOQVENTIA

Civilis ſeu Politica extraordinarie propoſita.

ETiam Eloqventia Civilis ſua non caret excellentia, ſi qvibusdam inſiſtat legibus. Porro eloqventiam Civilem intellige tum eam, cujus uſus in legationibus; tum eam cujus uſus in curia & ſenatu; tum eam qvæ Ducem concernit, cu-

jus Oratio sæpe magis militum animos acuit qvam tubarum clangores; tum eam cujus usq; est in Officiosis Orationibus, ut sunt Salutatoriæ, Gratulatoriæ, Gratiarumactoriæ, funebres &c.

De his qvia proprius fuit agendi locus in Svada Civili [id enim vel hoc ipsum nomen illic tradere svadebat] illic toto libello egi, qvare hic cramben odiosam non recoqvo, aut resorbeo. Illud te monitum velim, admirabilitatem & plausum Civili huic Oratori parere non tam Scholasticum plausibiliter agendi modum, qvam Civilem & juxta politiæ leges operosius conformatum. qvo conferet, si non tantum Tacitum ejusq; arcana, si Politica Lipsii vel Chokieri, aliaq; hujusmodi tibi familiaria reddideris, si Regni tui historiam aliorumq; pernoveris; sed si insuper Politicos Oratores, ubi licebit, audieris, legeris, & ex iis ea in plausum parandum traxeris, qvæ plausum illis conciliasse constabit.

LECTOR

hic siste, & audi.

HActenus de Eloqventia non vulgari. nam etiam vulgum ac fæcem Oratorum nescio qvis advertit Momus, uti & Proceres in hoc Latio ac optimates, vel, ut vetus Poëta vocat:

Florem illibatum Populi Svadæq; Medullam.

Ergo qvisqvis hic ad summum contendis, te vulgo exime. Nam nec Tullio satis fuit Civem Romanum fuisse, nisi inter principes imperii Magistratus, Consulis fasces occupasset. Sed tamen ita Romæ Prætor urbanus aut Consul esto, ut in Attica etiam Proconsulare imperium non detre

ctes

ctes. Qvia Romano etiam Tullio adipalis & insipida videtur dicendi ratio, qvæ non Attica. Cæterum qvisqvis nostram hanc Methodum Theon Timonve aut qvispiam é Catonis familia Censorinus lacessis, non unam cervicem è Caligulæ voto impetis, qvia nec unum caput. In ætatis nostræ ingenia ictum expedis, qvi vel in mé unicum aciem ingenii distringis. Erras, si eruditi morem sæculi & ad limam ætatis expolitum orationis genus, eloqventiæ fastum vel probrum putas. Vetus si non desipit, nec novitas (si qvæ hic residet aut relucet) sua caret illecebra; ut nec alia Scenam citius merentur ac theatrum, qvam qvibus inest raræ plurimum novitatis.

Sic Rosa veris qvidem est propria, tamen olim veteris Romæ assensu, & hibernæ pretium commeruere Rosæ, missile Ægypti munus, quia id tunc insolens, qvia novum. Ne tamen in me gratuito malignum Momi ingenium ac munus exerceas, sic te, seu ex Christianæ legibus disciplinæ devoveo, ut Fuscum Oratorem Bilbilitanus Vates: Et si à me alienus Orator sis, adhuc tamen

Te fora mirentur, Regisq́; palatia laudent,
Excolat & geminas plurima palma fores.

INDEX CAPITUM

PARTIS I.

De Fundamentis Eloqventiæ Specialis.

CAPUT I.

Primum non vulgaris Eloqventiæ Fundamentum, Sensus speciales. p. 275

§. 1. *Sensus admirabiles à Causis ingeniose adhibitis.* ib.

§.2 *Sensus admirabiles à Paradoxis & insignioribus Hyperbolis deducti.* 279

§.3. *Sensus admirabiles à suavi rerum & Verborum pugna.* 282

§.4. *Sensus admirabiles à gravibus sententiis desumpti.* 284

§ 5. *Sensus admirabiles à mire adhibito acumine.* 289

§ 6. *Sensus admirabiles per sensus reconditos.* 291

COROLLARIUM.

Modus leves & obvios sensus reddendi graves & admirabiles.

Modus 1. *Per aliqvem ex prædictis sex modis in superioribus.* 292

Modus 2. *Per excultam Oratorie comparationem.* 294

Modus 3. *Per sensus Synonymos.* 295

Modus 4. *Per eruditionem seu propria nomina appellativis substituta.* 298

Modus 5. *Per lusum in verbis ingeniosum, nec levem.* 299

Modus 6. *Per insignem allegoriam duplicē.* 301

Modus 7. *Per alium tropum, vel figuram aut locum insigniorem.* 302

Modus 8 *Per expensionem aliqvarum circumstantiarum & adjunctorum.* 304

CAPUT II.

Secundum non vulgaris eloqventiæ fundamentum mire adhibita Eruditio. 306

Sectio unica.

De usu Eruditionis non vulgari. ibid.

§. 1.

INDEX CAPITUM.

§.1. *Modi tredecim rariores erudite scrib.* ib.
§.2. *De usu & formatione sententiarum.* 328

CAPUT III.

Tertium admirabilioris eloqventiæ fundamentum Acumen Oratorium. 340

SECTIO I.

§.1. *Leges Acuminum Oratoriorum.* ibid.
§ 2. *Fontes Acuminum.* 342
Fons Acuminum Primus: *Concors qvorundam discordia.* 343
Fons 2. *Causa inexpectata dicti vel effectus,* 345
Fons 3. *Destructio ingeniosa sensus præcedentis.* 348
Fons 4. *Ingeniosa traductio vel annominatio.* ibid.
Vel nominis æqvivocati usus aut Conjugatorum vel Notationis nominis. ibid.
Fons 5. *Eruditio in acumen derivata.* 351
Fons 6. *Sensus profundi.* 352
Fons 7. *Circumstantia Nominis, Adjuncta fortunæ, Stemmatis, Scientiarum, Temporis, Loci.* 354
Ibid. affertur fons acuminis ex modo rei tractandæ qvandam novitatem præseferente.

SECTIO II.

Qvatuor species acutæ dictionis ad Eloqventiam non vulgarem pertinentes. 372
§.1. *Prima species acutæ dictionis, Oratio non vulgaris acuta tum longior, ubi agitur de Propositione acuta, ejusq; inveniendæ modi decem afferuntur: tum brevior, ubi affertur Gratulatio Natalis Christi, Salutatio Ducis cujusdam &c.* 373

§. 2.

INDEX CAPITUM.

§.2. Secunda Species acutæ dictionis, Elogiū, ubi affertur triplex scribendi Elogii modus. 391

§.3. Tertia species acutæ dictionis, Inscriptionum sepulchralis (ubi aliqvot tales afferuntur) tum aliæ promiscuæ. 395

§.4. Qvarta species, Dialogismus, ubi duplex exemplum, in Manlio, & Pueritia Alexandri Macedonis. 408

CAPUT IV.

Qvartum Fundamentum non vulgaris Eloqventiæ Specialis allegoriæ & insigniorum figurarum usus.

§.1. Rariora qvædam de allegorico charactere documenta. ibid.

§.2. Ideæ Speciales allegoriæ. 437

§.3. Mira styli exornatio per qvasdā figur 439

CAPUT V.

Qvintum Fundamentum rarioris Eloqventiæ, Descriptiones admirabiles. 442

SECTIO I.

Primum Genus Descriptionis pulchrioris, ubi descriptiones aliqvot floridæ. ibid.

SECTIO II.

Secundum genus Descriptionum non vulgarium, cum ideis aliqvot vibrantioribus. 447

CAPUT VI.

Sextum Fundamentum Eloqventiæ non vulgaris affectus Admirabiles. 45

§.1. Affectuum ciendorum ratio. 45

§ 2.&3. Ideæ affectuum lentū & Pathetic. 45

CAPUT VII.

Septimum Fundamentum rarioris Eloqventiæ

Am

Amplificationis usus singularis. 466

§.1. *Amplificatio brevior non vulgaris.* 1. *Per periphrasim eruditam.* 2. *Per periphrasim Oratoriis ambitu circumductam.* 3. *Per periphrasim sensib. admirabilib exornatam.* 4. *Per brevem comparationem à simili.* 5. *Per brevem comparationẽ eruditam.* 6. *Per congeriem pluriũ similiũ.* 7 *Per congeriem eruditionũ.* 8. *Per explicationem subjecti & prædicati.* 9. *Per explicationẽ qvarundã vocũ in Propositione inclusarum.* 10. *Per excultas definitiones conglobatas.* 11 *Per opposita vel qvasi opposita synonyma.* 12. *Per ingeniosiores conceptus plures &c.* 466

§.2. *Amplificatio longior per sex modos non rsditer deducta.* 479

CAPUT IIX.

8. *Fundamentũ Eloqventiæ non vulgaris, Mira tum rerũ, tum circumstantiar. Combinatio.* 491

§.1. *Mira circumstantiarum ad unam Propositionem accommodatio.* 492

§.2. *Mira circumstantiarum inter se combinatio.* 496. *Mira combinatio Temporum.* 498 *Mira combinatio Stemmatum, Causarum.* 500. 501.

§.3. *Mirum acumen ex varia rerum combinatione.* 502. § 4. *Miræ Propositiones ex varia rerum combinatione.* 504. §.5. *Mira Argumenta probandæ Propositioni apta ex eodem fonte.* 505

CAPUT IX.

9. *Fundamentum non vulgaris Eloqventia, Argumenti tractandi varia nec obvia ratio.* 508

§.1. *Modi 12. variandi argumenti, ib.* §.2. 3. *Decimus*

INDEX CAPITUM.

cimus tertius & ultimus facilior Oratio in scribenda non vulgari eloqventia usitatior. 528

1. *Modi Propositionis variandæ Panegyricæ.* 522

2. *Idea concludendi Propositiones Panegyr* 525

3. *Aliqvot modi exordiendi Panegyrice.* 526

4. *Aliqva ad Confirmationem Panegyric.* 529

5. *Aliqva de Peroratione Panegyrica.* 531

CAPUT X.

Ultima Fundamenta Eloqventiæ laudatioris. Numerus Oratorius & Decorum 2. § *contenta.* 536

PARTIS II.

De Speciebus admirabilioris Eloqventiæ.

CAPVT I.

Prima Species hujus Eloqventiæ: Extemporanea seu subitaria eloqventia. 540

§. 1 *Laus Extemporalis facundiæ.* *ib.*

§. 2. *Specialia Extemporalis Eloqventiæ comparandæ subsidia.* 542

§. 3. 5. 6. 7. *Specialissima ejusdem subsid.* 547. *sq.*

§. 4. *Modus rarior Orationis eruditæ.* 552

CAPVT II.

Secunda admirabilis Eloqventiæ species, Eloquentia Versatilis in omnes partes & in varias styli species. 513

§ 1. *Leges & exempla versatilis Eloqventiæ: & varii ejusdem modi reliqvis* §. *contenti,*

CAPVT III.

De admirabili Eloqventia Scholastica. 580

CAPVT IV.

De Civili seu Politica Eloqventia non vulgari. 582

A.M.D.G.B.V.M.I.C.H.

3 Blatt einbetten Sch

VI

VII

R A ller
23.JUL.1967

Kwiatkiewicz

Svada Civilis

1672

Rara

909